12^tt 51892|B|1

~~£ 50~~ 4 £

Final blank of Sect i not present

Addenda leaf to Sect ii at end of Sect iv

Goguel Med

55150

VSVS OPII SALVBRIS ET NOXIVS, IN MORBORVM MEDELA,

SOLIDIS ET CERTIS PRINCIPIIS SVPERSTRVCTVS

A

D. BALTHASARE LVDOVICO TRALLES

MEDICO VRATISL. SEREN. DVC. SAXO-GOTHAN. CONSILIARIO ET ARCHIATRO, ACAD. CAES. NAT. CVR. ADIVNCTO SOCIET. SCIENT. ELECT. BOICAE MEMBRO.

EDITIO ALTERA. SECT. I. AVCTIOR.

VRATISLAVIAE

SVMTIBVS IO. ERNST. MEYERI

MDCCLXXIIII.

LCOME
HISTORICAL

SERENISSIMO
ET
POTENTISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
D O M I N O
MAXIMILIANO IOSEPHO
SACRI ROMANI IMPERII ELECTORI
ET ARCHIDAPIFERO
UTRIUSQUE BAVARIAE ET PALATINATUS
SUPERIORIS DUCI
COMITI PALATINO AD RHENUM
LANDGRAVIO LEUCHTENBERGENSI
ET RELIQUA

PRINCIPI AC DOMINO
CLEMENTISSIMO
CÆSAREÆQUE NATURÆ CURIOSORUM ACADEMIÆ
PROTECTORI GRATIOSISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS ET ELECTOR!

Dum maxima Pars Europæ internecini belli ineffabiles miſerias, inter lachrymas & ejulatus experitur, atque trementes Muſæ ſub diro Martis imperio fere contabeſcunt, TU tranquillitatem et ſecuritatem felici Bavariæ TUÆ, ſapientia & benignitate præſtas, atque artibus liberalibus DEUM tutelarem TE

ſiſtis, ſub cujus gratioſo præſidio maiora indies incrementa capiant. Ipſe totus ſtudiorum dulcedine perfuſus, fertilitati Terrarum TUARUM, dono a Natura indulto, ingeniorum fertilitatem præfers, atque glorioſum jure reputas, non ſaltem clementiſſimi & juſtiſſimi, ſed & literatiſſimi Principis honoribus condecorari. Hos humillimo obtutu in TE defixus Univerſus eruditus Orbis liberaliter TIBI decernit, hos remotiſſima Poſteritas immortali TUI memoriæ largietur. Quid ergo mirum, SAPIENTISSIME ELECTOR! TE Viros bonos, quibus proſpera Scientiarum fata cordi ſunt, eosque non ſaltem, quos ſubditos TUOS eſſe juſſit benefica Providentia, ſed et peregrinos, beneficiis cumulare, atque animos ipſorum propenſiſſima voluntate erigere, vt intrepidi artium limites extendere audeant. Extollant alia

ineffa-

ineffabilia TUA merita, in elegantiores ſcientias ad unam omnes; extollant librorum rariſſimorum theſauros, quos incredibilibus impenſis adauges; extollant Gazophylacia TUA rariſſimis Antiquitatis monumentis refertiſſima; me his & aliis, quibus Æternitatem Divo TUO NOMINI paras, prorſus miſſis, mea Medicina detinet, TIBIque Liberaliſſimo ejus Altori totum devincit. Neque enim me, ignotum TIBI hominem, & remotiſſimum a Terris TUIS, quas Gratia TUA velut ſolaribus radiis undiquaque diffuſis beas, poteſt fugere, quanta benignitate, quam electoralibus ſumtubus curaveris, ut Academia TUA Ingolſtadienſis inſtruatur Viris egregiis, Artium utiliſſimam docentibus, quanta cura effeceris, ut bene ſit ſubditis TUIS ægrotantibus, ad gregarium militem usque. Sufficeret mihi hæc notitia, ut provolutus

in genua ad Auguſtum thronum TUUM e longinquo adreperem, atque plenus fiducia, fore ut me procul abeſſe haud juberes, devotiſſimo animo TIBI librum offerrem, in quo perficiendo per annos deſudavi, cujusque unicus ſcopus hic fuit, ut ancipitis alicujus remedii uſum curatius determinarem, praxinque clinicam, quæ illo carere prorſus nequit, certiorem & ſecuriorem redderem. Verum & ſimul PROTECTOREM POTENTISSIMVM & CLEMENTISSIMVM *Academiæ Naturæ Curioſorum, TE religioſe ſuſpicio, cujus non Socium ſaltem, ſed auctiore dignitate Adjunctum, me conſtituit, Cæſarea, tuaque Electorali auctoritate inſtructus Eruditiſſimus Præſes. Jure ergo ſi boni aliquid præſtitero, TIBI debentur ſinceri mei conatus. Quam opimum autem, quam invidendum referrem impenſorum laborum præmium, ſi*

TIBI competentiſſimo Judici illi probarentur, cujus ſuffragia cum omnibus Muſis Apollo adipiſci vehementer exoptat. Suſcipe, Terreſtris DEUS, divinum favorem exprimente gratioſiſſimo Vultu, a quo neminem triſtem recedere pateris, humillimæ Venerationis pignus, ad pedes TUOS depoſitum, quod ad TE tantum Principem deferre nunquam auſus eſſem, niſi partite editum Eruditis Viris adjecto calculo probatum, atque utile generis humani ſaluti habitum fuiſſet. Servet TE Supremum Numen cum SERENISSIMA CONJUGE ad extremam vitæ metam incolumem, omnigenaque felicitate cœlitus affluente cumulatiſſimum; Durare jubeat & florere auguſtiſſimo ſanguine ſatam FAMILIAM TUAM Electoralem, ad finem Seculi; Largiatur TIBI regimen beatum, paceque & ſecuritate publica conſpicuum, proculque abeſſe jubeat infan-

dum

dum dolorem Jacturæ TUI, quem non vilis adulatio, ſed intimus ſenſus Veri, Optimum Principem, cujus Exemplar alii intueantur, atque ſumme amabilem Patriæ Parentem ſalutat. Ita ardenter voveo

SERENISSIME PRINCEPS
ET ELECTOR,
SERENITATI TUÆ

Vratislaviæ,
die 24. Sept.
1762.

DEVOTISSIMUS ET SUBJECTISSIMUS
BALTHASAR LUDOVICUS TRALLES.

PRAEFATIO.

Iliada poſt Homerum ſcribere, Noctuas Athenas mittere, Sylvis longe lateque patentibus frondes et ligna inferre, Pelago aquam infundere, denique actos diu cum laude et perfectos labores praeter rem denuo agere videbor multis, dum qui coram abeſt, de Opio Librum publici iuris facio. Oro autem quotquot ita ſentient omnes, vt praeceps Iudicium aliquantisper cohibeant et ſuſpendant,

atque donec inſtituti mei rationem penitius cognoverint, mihi aequi et boni parcant. Tantus exſtat, optime novi, librorum, diſſertationum, obſervationum, controverſiarum de Opio apparatus, vt aſſerente NEVMANNO[a]) plurium hebdomadum tempus ſola lectione aliquis abſumere queat. Turbulentae Praxeos negotiis implicitus, menſes ego bene multos, non hebdomades, olim impendi talium perveſtigationi; verum evenit mihi idem illud, quod neceſſario evenire ſcriptorum de Opio Lectori Vir laudatus aſſeverat. Eam nempe proh dolor! in omnibus fere, quae de hoc remedio vel quaeri vel dici poſſunt, inveni ſententiarum varietatem, vt pervolutis, perlectis, expenſis tot Voluminibus, ſaepe confuſior quam inſtructior receſſerim. Omnia in illis tradita inter ſe conciliaturus, verum a falſo ſegregaturus, inque ſuccum et ſanguinem converſurus, ac vſui applicaturus, poſt diligentem adeo operam adhibitam, toties haeſi et ceſpitavi, dubitationumque et obiectionum myriadibus irretitus neſcivi, cui Autorum fidem adiicere, quidve tandem de Opio credere convictus debuerim. Non pudorem mihi moveri ſentio hac ingenua confeſſione, experietur quippe idem laboris genus quod exantlavi, mecum inire volens, plurima ſcripta de Opio ſi inter ſe conferantur, contra-

a) *lect. de Opio p.* 98.

dictionibus

dictionibus eſſe pleniſſima; quin et optimos adeo Auctores interdum negare, quod antea aſſeruerant, aſſerere quod negarant. Animadverti interim iam a longo tempore, plurima quae praedicantur de Opio, de eius effectubus in corpus, deque vſu in Morborum ſanatione, atque innumera circa haec momenta ſententiarum divortia, pendere ab vna radice, praeſtabilita vniuscuiusvis Scriptoris hypotheſi, commentorumque cerebrinorum vbertate, quibus decepti ſunt tot boni Viri, illorum inſtar, quibus ſumto Opio viſiones et ſomnia illudunt. Dolendum valde, eas ob cauſas parum veri nobis de Opio expoſuiſſe Venerabilem Antiquitatem, in qualitatibus diverſorum graduum pro lubitu remediis aſſiguandis nimis facilem, errorum Auctoritatis praeiudicio nitentium nimis tenacem, inque iis ad Poſteros propagandis, mirum quantum ſtudioſam. Verum vt Galeni Sectatoribus ad Arabes vſque, vix aliquid ſolidi in hoc argumento debemus, ita et poſtea a Chemiſtis ſuis Principiis inhaerentibus, et in Medicinam ea introducentibus, non multum laudabilis praeſtitum eſt. Recentiori aevo Obſervationum vndique collectarum increſcens numerus, Phyſica, Chemia, Anatome magis cultae, potuiſſent omnino multum conferre, vt vera magis docerentur et ſcriberentur de Opio;

ſed fere vſque ad finem elapſi Seculi, ſuis hypotheſibus plenarie indulgentes minus obſeruarunt tot Clari Viri illud, quod priſco aevo iam eleganter monuerat CELSVS, „non poſt rationem inventam eſſe Medicinam, ſed poſt inventam Medicinam, rationem eſſe quaeſitam.„ Clarior autem tandem praeiudiciorum nebulis et vmbris diſſipatis, reddi coepit Doctrina de Opio, WEDELIO, HOFFMANNO, BERGERO, TOMSONO, PITCARNIO, FREINDIO, BOERHAAVIO, MEADIO, GEOFFROY, BVCHNERO, HAMBERGERO lucem ei affundentibus; ſed quo minus tota in apricum deducta ſit, perverſa in medendo conſuetudo, diffuſa compoſitorum farragine, variorumque remediorum compoſitorum ſimultanea adhibitione morbos aggrediendi, in culpa fuit. Huius quippe methodi vitio effectus veri ab Opio emergentes, et habitus eius ad diverſas aegritudines, mirum quantum obſcurati manſerunt; vt de ſyſtematum Medicorum praeſtabilitorum male ſana auctoritate, quibus dum arctiores Muſeorum cancelli Naturae imperitare audebant, ſeſe accommodare illud remedium et ſubiicere debuit, nil dicam. Ego ex quo manus meas morbis curandis admovi, atque ſenſim aliquam peritiam in medendo adeptus ſum, media via inter laudes et vituperia Opii tutiſſimum me iturum reputavi, ſemper tamen certiſſima et infallibilia principia

cogno-

cognoſcere praeoptans, ex quibus vſus rectus et ſecurus deduceretur, nec in commiſſionis nec in omiſſionis vitia vergens. Ea vt impetrarem, omni exiſtimatione et deſpectione Opii ſepoſita, illa phoenomena ſedulo obſervanda duxi, quae ſemper et vbique eveniunt, in corpore humano, magisque vel minus pro differente eius fabrica in ſenſus attendentis incurrunt, quoties doſi vltra illam, quae ordinaria Practicis eſt, haud extenſa Opium fuit exhibitum, Grani nimirum dimidii aut vnius pondere, vtpote quod ſemper apud non adſuetos vſui, in variis Corporis functionibus ſenſibiles parit mutationes.

Deinde cum quod optime monet FREIND b) Medicina vere nil aliud ſit, quam Medicamenti et Morbi comparatio, effectus Opii notos per phoenomena, comparandos cenſui cum ingenio phyſico-mechanico morbi, et indicationibus veris therapeuticis, quibus obtentis ille debellari poteſt, numque effectus illi his indicationibus reſpondeant, an minus, indagavi. Mirum quantum mihi profuit hoc Studium, atque dum ita me geſſi, praeiudicia innumera et opiniones abieci illico, atque ad ſimplicem Veritatem ſibi ſemper ſimilem propius ſenſim acceſſi. Tanto vero magis chara mihi fuit reddita haec methodus, quo magis eam vnicam eſſe, Medico ſummo et Phi-

b) *Emmenol. Cap. XIV. pag. mihi* 140.

et Philoſopho ſummo, PITCARNIO et WOLFIO Iudicibus idoneis intellexi, qua Medicina ad illum certitudinis, qui poſſibilis eſt gradum, perduci poteſt. Nata mihi ita pededentim fuit in vſus privatos, quaedam OPIOLOGIA, ab erroribus vulgaribus repurgata, et niſi omnia me fallunt, WEDELIANAE licet egregiae omnino, multo caſtigatior et ſolidior. Eam vero non mediocri labore paratam, cum mihi in Praxi nondum diu verſato valde vtilis futura fuiſſet, ſi ipſa illo tempore inſtructus fuiſſem; in vſus publicos vlterius perficere, et abſolutiorem reddere decrevi. Cordatus et bonus optavit Cl. BVRGES,[c]) vt Scriptores Medici loco opere adhibitae in recenſendis illis, quae cogitarunt, tantum retuliſſent ea, quae ita ſeſe habere ſciverunt. Pauca enim quae vere facta ſunt in arte, maioris vſus eſſe dicit, quam doctiſſimas Hypotheſes, multo ingenii acumine et eruditione maxima excluſas. Atque dum niſi fallor, Argumentum medicum de Opio hac methodo nondum abſolutum eſt, ſed opinionibus et hypotheſibus intermiſtis adhuc laborat, non otioſum laborem me ſuſcepiſſe mihi viſus ſum, ſi repudiatis omnibus cogitatis de hoc remedio, Lampadem Muſei olentibus, Factorum opiatorum ſinceras imagines exhiberem. Fateor equidem lubens, haberi iam in Auctorum celebrium Operibus multa, quae forte Lecturo-

c) *in praefatione libelli Anglici de inſitione Variolarum.*

rum

rum ea quae trado, Iudicio, me a ſcribendo avocare debuiſſent. Atque profideor publice, parum abfuiſſe, quin omnes ſchedas meas, quas antea per annos congerens et digerens in ordinem facta Opii collegeram, Vulcano devorandas tradidiſſem, ex quo praecipue Cl. YOVNG Tractatum ſuum de Opio Practicis Obſervationibus ſuperſtructum edidiſſe, compertum habui. Nondum viſi, quod valde doleo, eximii Libelli contenta didici ſaltem, ex Commentariis Lipſienſibus de Rebus in Scientia Naturali et Medicina geſtis, ex Bibliotheca Medica Celeb. VOGELII; Tum et ex diario Eruditorum britanico, ex relationibus litterariis Goettingenſibus etc. Scivi vero ſic ſatis accurate Cl. Autorem Obſervationes ſuppeditare, quas per triginta et plurium annorum experientiam, ſedulitate maxima collegit; atque intellexi eventus illos, quos in variis morborum generibus ab Opio natos exponit; gaviſus quoque ſum impenſe, vt eſt Veritatis in omnibus Terrarum Tractubus concors Vnitas, et Simplicitas, dum cum meis notatis Youngina vt plurimum accurate convenire obſervabam. At vero facile deprehendent, duodecim plagulas a Viro egregio exaratas, multorum ſane Voluminum medicorum et integrorum forte Repoſitoriorum pretium ſuperantes perlecturi, diverſa via ipſum et me ſolidam Veritatem quaeſiviſſe. Praeterea YOVNGIVS non niſi ſuam vnius experientiam ſecutus eſt; ego niſi mihi nimis blandior,

dior, gravius et grandius onus humeris meis impoſui, quando ex experientiarum per omnia Secula ab Ortu Medicinae, a numero bene multis Medicis collectarum inter ſe et cum mea propria conſenſu, aut ex variarum experientiarum diſſentientium correctione et conciliatione Opii vſum et Abuſum in morbis ſiſtere aequum duxi. Difficiliorem inquam Laborem ſuſcepi, quanto omnis Aevi fabellis, vmbris, et nebulis diſcuſſis, in apricum vim Opii ponere, quae vera dicta ſunt ad noſtram aetatem de eodem per tot temporum decurſum firmare, quae adhuc perperam pro veris habentur a Viris praeſtantiſſimis, deſtruere molitus ſum. Ita tandem in Syſtema redactam omnem doctrinam de Opio me exhibiturum credidi, quod noctu licet bonam partem, diurnis horis mihi vix vacuis relictis, concinnatum nulla tamen ſpero de Opio ſomnia complectetur. Vera potius et ſolida in perpetuum manſura convictus ſum illa, quae ſcripſi, niſi Opium ceſſet eſſe Opium, et Natura Corporis humani alia reddatur noſtro hoc Seculo, vbi omnia fiunt, fieri quae poſſe negaſſet. Sed vtrumque vix metuendum. Etſi autem ſatis ſecurus ſum, de fundamentorum firmitate et ſoliditate, cui omnia mea innituntur, facile tamen aedificio a me ipſo his ſuperſtructo, cuius ruinam haud metuo, evrithmiam et ſplendorem externum deeſſe largior. Vltro potius profiteor me Autorem Operis imperfecti;

bene video, dum conſpectui publico Iudicum ſeveriorum illud exponendum eſt, eius naevos et defectus, qui vero Architecto vt ſum, aliis negotiis perpetuo diſtracto, et impedito, et eorum catena feſſo, plusque longe bonae Voluntatis publica commoda promovendi, quam Virium habenti, indulgeri et condonari poterunt. Si Methodi qua proceſſi, et applicationis eius aeque eſſet bonitas, nemo Intelligentium ambigeret opinor, quo minus lubens concederet, me propoſuiſſe exemplar, quomodo omnium remediorum heroicorum, et aliorum dextra et ſiniſtra adhibitio in vſus clinicos foret explicanda. Qui me eapropter taxant, quod multa paſſim exhibuerim, quae et alibi inveniuntur, nil prorſus niſi nova deſiderantes, illi methodum non capiunt, quam tenere debui; ſed qui praeſtantiam eius introſpiciunt, me vtilem Compilatorem, et laudabilem Plagiarium ſine dubio habebunt. Valde optarem, plures adhuc, quam per innumera impedimenta licitum fuit, experientias et obſervationes conquirere potuiſſem, quae tamen ab vnoquoque, legendo et experiendo obvenientes, facile ſuis locis in tractatu meo inſeri poterunt, ſemperque ſpero, ita eum reddent veritatibus inconcuſſis magis refertum. Multo autem magis in Votis haberem videre alia generoſa pharmaca, Mercurium, ferrum, peruvianum corticem, eadem methodo pertractata, quod Laboris genus ſi ali-

quis

quis Medentum exercitatiorum ſuſcipere aggreſſus fuerit, meam Operam quam adhibui, non prorſus facilem fuiſſe, tum demum expertus profitebitur. Innocens mihi dum nova haec Editio paratur, Voluptas naſcitur, dudum conficto, non diſplicuiſſe idoneis Iudicibus ſtudium meum, quod certiori reddendae Praxi medicae, Opii adhibitionem poſcenti, impendi. Vel ſolus Illuſtrium Virorum Halleri et Tiſſoti Calculus adiectus, nimis ſufficiens praemium mihi elargitur. Reſcivi autem aliis, iisdemque Celebribus Practicis probatum fuiſſe meum laborem, Doctoresque Academicos Iuvenibus Medicinam addiſcentibus fideliter commendaſſe, vt olim ad aegrorum lectulos, quando Opium porrecturi ſint, via illa incedant, quam indicavi. Tanto maiori igitur animi tranquillitate novae impreſſioni Operis annuere potui, in quo ſedulo perlecto poſt XVI. annos ex quo primo Lucem vidit, nil inveni, quod horum decurſu experientiis ditior multo factus, revocare deberem. Addidi nonnulla lubens, adieciſſemque etiam plura, ſi ſufficiens Otium impetrare potuiſſem. Fagit DEVS! vt ſalus Aegri Proximi aliquod Emolumentum a ſinceris conatubus meis obtineat. Scribebam Vratislaviae die XX. April. An. MDCCLXXIII.

I. N. D.

I. N. D.

P A R T. I.

C A P. I.

Hiſtoria generalis Uſus Opii, et fatorum ejus in Praxi Medica.

§. I.

Illud opinor in decus haud cedit Arti Medicae, INTROITVS quam omnium primam, et interdum pene divinam ſalutare amant Cultores in ipſius praeſtantia defixi haerentes, quod de illis inſtrumentis, quibus quam maxime eius praerogativam, et ſi ita loqui liceret divinitatem aſſerere, renuentibusque palam oſtendere poterant, adeo diverſas ſibique e diametro oppoſitas ſententias animo foveant. Abiiciat aliquis ex materie medicinali quae tot diriſſimorum morborum antidota vitaeque ſanae et longaevae praeſidia ſeſe poſſidere gloriatur, Opium, Peruvianum Corticem, Chalybem, Mercurium, Salia, et pauca quaedam vegetabilia, utaturque tum libere infando illo apparatu quem Officinae pharmaceuticae aſſervant; fallor ego vehementer, aut mutilam, claudicantem, denudatam, exu-

tamque omni energia deprehendet Medicinam, detruſamque ab excelſa ſua dignitatis et poteſtatis ſede, in quam evecta erat, contuebitur. Quotusquisque igitur rerum gnarus absque ſtupore heroica illa quae enumeravi pharmaca, ſine quorum dextra adhibitione in morbis gravioribus vix quicquam fauſti ſucceſſus obtinetur, non a Novitiis Medicis ad lectulos accedentibus et experiri inchoantibus, ſed a viris in artis exercitiis verſatis, ſubactis, et conſeneſcentibus modo ſummis elogiis extolli ad coelos, modo injuriis et contumeliis in abyſſum praecipitari audiat. Cum vero hae inconſideratam adhibitionem ſaltem ferire queant, a laudatorum vero pharmacorum dextro uſu, extra controverſiam, omnis artis gloria, omnis medici fama, et innumerabilium hominum ſalus pendeat, operae pretium ſine dubio facit ille, qui eundem ad certitudinem deducere hancque ita evictam ſiſtere allaborat, ut non niſi rerum ignarus, vimque veritatis ſentire impos contradicere moliatur. Nil certe in vaſto remediorum receptorum apparatu, blandum licet et ſanitati amiciſſimum viſum, ita comparatum eſt, ut non aliquando queat nocere; Nullum medicamentum ex omnibus novit Illuſtr. *Boerhavius*,*) niſi adhibitione tempeſtiva tale fiat. Quantis igitur cautionibus egebit heroicorum uſus! Ad eorum ergo effectus quam ſolertiſſime attendere, eorum vires quibus agunt in humanum corpus curioſius rimari, hasque cognitas cum morborum cauſis mutationibusque, quas fluidis et ſolidis partibus inferunt, accuratiſſime conferre, tumque practicos canones firmo experientiae rationalis fulcro nitentes ſtabilire, quemvis Medicum arti ſuae bene cupientem decebit. Sed hoc opus, hic labor eſt! Niſi vero omnia me fallunt, inter generoſa omnia Opium ſibi fere primam conſiderationem vindicat, cum nullum adeo prompte operetur, nullum in parva adeo doſi magni adeo momenti effectus edat, hisque ſanitati et vitae adeo mirifice proſit vel obſit. Quare poſtquam per multos annos nec nimius amator, nec nimius oſor eius virtutes et vitia ediſce-

*) *in praefat. ad aphoriſmos.*

ediſcere ſpeciali ſtudio et attentione allaboravi, uſum ſalubrem curatius exponere juſtosque eidem limites ponere aggrediar, quos a nonnullis Clariſſimis Viris hucusque vel latius quam aegrorum ſalus jubet, extenſos, vel arctius ac decebat conſtrictos eſſe firmiter perſuaſus ſum. Annuat DEUS et aſſiſtat gratia ſua et benedictione ſincero propoſito!

§. II.

Opium et Meconium exoticum, et Europaeum.

Dum vero de Opio prolixiorem laborem meditor, facile unicuivis meorum lectorum clarum eſt me loqui de ſucco illo papaveris ſpiſſo, et ponderoſo, inflammabili, gummoſo-reſinoſae indolis, coloris obſcure fuſci, ſaporis acris et amari, odorisque gravis et caput ferientis qui Smirna, Alexandria et Aleppo potiſſimum ad nos Europaeos in glebas vel placentas pugni magnitudine, foliis papaveris vel aliis involutas compactus advehitur, et ſub hoc nomine in pharmacopoeorum officinis proſtat. Meum inſtitutum haud poſcit, ut multo diffuſo ſtudio ingrediar auctorum diſceptationem, an noſtrum hoc Opium, quod ex Turcarum ditionibus et Indiis accipimus, ſit vera lachryma lactea Papaveris, quae ex inciſis capitibus exſtillat et collecta aëre ſolisque calore inſpiſſatur, brunum tum colorem adipiſcens, atque a veteribus Opii vocabulo inſignitur; aut an hoc a Turcis et Perſis in uſus proprios reſervetur, et ad nos ſaltem deferatur ſuccus ex papaveris capitibus foliis et ſtolonibus conciſis expreſſus cum aqua coctus et inſpiſſatione lento igne ad extracti conſiſtentiam redactus, qui veteribus Meconium appellabatur. Utramque praeparationem Opii et Meconii deſcribunt *Plinius* [a]) et *Dioſcorides*, [b]) Indosque prius *Affion* poſterius vero *Pouſt* vocare ſolere *Bontius* annotavit. [c]) Opio vero ignobilius et ignavius Meconium nobis ſaltem concedi, atque nobis Opii titulo falſo condecoratum in Medicina uſurpari non pauci Clarorum Virorum ſtatuunt. Sinceram nempe Papaveris lachrymam Patriae ſuae remanere, raroque vel nunquam in Europam ferri aſſerunt *Valentini*, [d]) *Pomet*, [e]) *Hoffmannus*,

a) *Hiſt. Nat. lib XX.*

b) *Mat. Med. lib. IV.*

c) *de Medicina Indorum lib. I. ad caput de Opio.*

d) *Muſ Muſeor. lib II. Sect. VI. c. 16.*

nus,[f] *Lindeſtolpe* [g] et alii; hi tamen omnes ſaltem adhuc in Turcia et Perſia etc. colligi veram lachrymam neutiquam negant. De Opio interea tantum ut de ſucco ex papaveris capitibus expreſſo loquitur *Alpinus* [h] Aegyptiorumque Opium eſſe Graecorum Meconium dicit. Diſertis autem verbis contendit *Lemery* [i] quod opium in lachrymis nullibi reperiatur nullumque aliud Opium vere exiſtat, quam Meconium id eſt extractum ex foliis et capitibus praeparatum cum quo ſcriptore omnino conſentiunt *Savary* [k] et *Condamine*. [l] Atque in ea ſententia quoque verſatur *Neumannus* [m] olim equidem inciſione collectum fuiſſe Opium in lachrymis, taleque vere exſtitiſſe, hodie vero hunc laborem exoleviſſe prorſus, neque facile elargiturum fore ingentem illam copiam Opii quae in Europam adfertur, ſed ex capitibus ſaltem ſuccum exprimi, eumque evaporatione facta inſpiſſatum Opium ſalutari affirmans. Er hunc ipſum ſuccum eſſe aſſerit hodiernum, princeps, optimum, et rariſſimum Opium, quod Meconium olim vocabatur; neque adeo et hoc ad nos deportari dicit, ſed illud quod nos habemus eſſe ſaltem decocti aquoſi ad iuſtam conſiſtentiam provide redactum extractum contendit. At vero collectionem ſollicitam ex inciſis capitibus ſtillantis lachrymae papaveris tamen deſcribunt *Garcias* ab *Orta* [n] quem notis ſuis illuſtravit *Bontius*, deinde *Bellonius*, [o] *Tavernierius*, [p] *Kaempfferus*, [q] non ſecus ac *Nicolaus Brixianus* Regis Navarrae quondam ſtabuli Praefectus, cujus mentionem injicit *Scaliger*, [r] qui omnes oculati fuere praeparationis teſtes, nobisque ita fidem faciunt vetuſta methodo adhuc verum Opium parari. *Wedelius* [s] vero Opium noſtrum non eſſe purum putum Meconium, ſed mixtum ex vero Opio et Meconio ſtatuit. Haud aliter *Jones The Myſteries of Opium revealed* diſcrimen priſtinum inter Opium et Meconium hodie ceſſaviſſe et non ſolum ſuccum lacteum ex capitibus, ſed et expreſſum et calore concretum ex caulibus et foliis Opium vocari ſcribit. Noſtra autem

e) *Hiſtoire de drogues* p. 245.
f) *diſſ. de Correct. Opii* § 4.
g) *de Venenis* p. 588.
h) *de Medicina Aegyptiorum lib. IV. c.* 2.
i) *diction. de drogues.*
k) *diction. de Commerce.*
l) *Memoir de l' Academie Royale Anno* 1739. *p.* 427.
m) *Lect. de Opio p.* 104.
n) *in hiſtoria Aromat.*
o) *lib. III. Obſervat c* 15
p) *Voyage en Turquie en Perſe et aux Indes.*
q) *Amoenit. exotic. Faſcic. III. obſ.* 15.
r) *Exercit. CLXXV. p.* 568.
s) *Opiol. p.* 8. 9.

autem aetate Cl. *Aiſton*[t]) contra ſecus ſentientes diſputans validis argumentis probare anniſus eſt, noſtrum Opium eſſe veram papaveris lachrymam, minimum pro maxima ſua parte. Magni ponderis argumentum huic aſſerto inter alia praebet adornata ab eodem in ſeptentrionali quam habitat regione, methodo a Dioſcoride tradita et Perſis ſollemni capitum papaveris inciſio, lachrymaeque collectio, et deinde etiam expreſſi ex talibus capitibus ſucci inque extractum calore inſpiſſati praeparatio. Utraque producta valde a ſe invicem diverſa fuiſſe dicit, cum lachryma omnes notas veri et optimi Opii a *Bellonio* deſcripti odore, ſapore et facie externa exhiberet, ſuccus vero nec odore nec ſapore id multum referret. Nolo vero diutius huic diſceptationi inhaerere, cui quidem ab Iter facturis in Patriam Opii ſaltem componendae ego in totum ſum impar; neque decedet aliquid meis cogitatis ſive noſtrum Opium quo in praxi utimur pro Veteri Opio, ſive pro Meconio habeatur, cum mihi non cum modo quo praeparatur, ſed cum eius Viribus et actione in corpus humanum res ſit. Neque etiam etymologiae Vocis Opii inhaerebo, neque omne eius quod adeo late patet natale ſolum pervagabor, atque quam male Pharmacopoeis omne Opium thebaicum appelletur monebo, quod Veteribus maxime depraedicabatur, licet aegyptiacum et natolicum Opium vere bonitate a ſe invicem haud differant; neque in imaginarias praerogativas ex nigro et albo papavere parati inquiram, nec de notis bonitatis[u]) nec de adulterandi modis exponendis qui (ea fraudi antiquitas eſt) *Dioſcoridis* tempore iam obtinuerunt, ero ſollicitus. Namque haec talia ſatis iam expoſita apud laudatos maxime Auctores alioſque habentur.

De Opio quod in Europa parari coepit aliqua ſaltem hac occaſione in medium adferre liceat. Aſſeverat praeſtans Materiei Medicinalis Reformator Cl. *Ludovici* [x]) domi collectam maſſam exoticae acumen in ea doſi neutiquam attingere, aliunde ergo comparandam eſſe, adeoque Opii ſuccedaneum non dari.

t) *Act. Medic. Edinburg. Vol. V. Part. I. p. 126. ſeq.*

u) *Jones l. c. dicit Optimum cenſetur quod amaritie colore atque acrimonia eminet, quod prompto lucidam flammam concipit, quod uniforme laeve ac tenax, tantum non omne in aqua ſolvitur, quod*

dari. Sed qui eum notat eleganter probavit Cl. *Dillenius* y) lachrymam papaveris in Germania aeque bonam obtineri. Inciſione capitum papaveris collegit ſuccum gummoſo-reſinoſum, cuius denſati granum unum eundem cum vulgari opio effectum edidit, niſi quod ſomnum aliquanto turbulentiorem, quod recenti forte cruditati tribuendum putat, produxerit: diapnoen etiam paulo largiorem ac vulgarem ſubſequam habuit. In Anglia ſola inciſivae Capitum perfectum Opium obtineri confirmat *Alleque* (diſpenſatorus p. 58.) In Helvetia paravit *Conſtantius de Vebeque* ex capitibus extractum vinoſum, opio paulo debilius cujus doſis a grano uno ad quinque eſſet. (Medic. Helvet. p. 152. 153.) In Gallia *Balduccius* extractum confecit quod ad ij, iij, iv, grana eundem effectum ederet. Non minus *Quercetanus* in Pharmacop. dogmat. c. 24. modum docet conficiendi Opii ex noſtro Papavere hortenſi, quem in Schroedero dilucidato probat *Ettmullerus*, opium hoc modo praeparatum exotico adeo praeferens cum non ſit adulteratum et nullas quisquilias admixtas habeat. Atque etiam de *Alſtoni lachryma*, quae ſapore et odore vulgare Opium ſuperabat; non dubitare licet, quod eosdem effectus ac hoc aequa doſi, forte quoque eminentiores ediderit. Paravit etiam praeeunte manuductione Dioſcoridis ſcarificatione capitum papaveris verum Opium in lachrymis Stockholmiae regius Bibliothecarius et Botanicus, Iohannes *Falck* et Carlſtadii in Wermelandia *Lindeſtolpius* z) quod utrumque ſine dubio ſimiles vires ac exoticum ſeſe poſſidere commonſtravit. Goettingae autem Illuſtr. de *Haller* a) ex capitibus inciſis papaveris foliis ſimplicibus glabris praeparavit extractum vinoſum quod Opio nihilo fuit debilius dum ſuccus in hac ſpecie eſt amariſſimus, et odor ſtatim caput ferit vimque valde narcoticam ineſſe ſatis demonſtrat. Nolo hic obliviſci praeparationis Opii britannici Cl. *Arnot* b) quod vero Meconium potius dici mereretur, cum capitum et caulium maceratione in aqua fervente et decoctione fuerit impetratum atque *Arnotus* ſimul notet duplam portionem huius demum aequare vires Opii tur-

cici,

rubicundam in ſolutionibus praebet Tincturam, empyreuma minus ſpirat nec ſordibus internis ſcatet, quod diſſectum ſcintillas totidem ſalis volatilis oleoſi particulas ſpargit, quod in proportione ad totam molem levius eſt. Vide et hic Geofroy Mat. Med. T. II. p. 687.

x) *Pharmac. moderno ſeculo applic.* p. 367. *et in notis.*

y) *Ephem. Nat. Cur. Cent IX. et X obſ.* 43.

z) *de Venenis* p. 588.

a) *vide diſſ. Cl. Spraegelii Experimenta circa varia venena in vivis animalibus instituta continentem ſub Halleriano praeſidio habitam* §. 21. *videatur Hallerus ipſe in*

cici. Ego ante multos annos animo volvens innocuam ſeminis papaveris ad vncias adſumtionem, graveolentemque halitum quem diſciſſa ſpargunt dum naribus abmoventur capita, ex vulneratis iis exudans lac calore aeſtivo ſiccatum collegi ad pauca granula, dedique ad fluxiones varias cohibendas non alio vt mihi quidem videbatur ſuceſſu, ac ſi ex Oriente acceptum Opium adhibuiſſem. Memor ſcilicet eorum quae ſcripſit *Bellonius* lib. III. obſ. c. 15. *Si papaver in Europa, Gallia, Germania, Italia coleretur, arbitror Opium perinde, colligi poſſe, ac in Aſia, modo neceſſaria cura in eo legendo adhiberetur.*

Enumeratione Plantarum horti regii p. 88. et Phyſiol. Tom. V. p 605
b) *Act. Medic. Edimburg. Vol. V. Part. I. no. 2.*

§. III.

Duo Extrema in laudando et vituperando Opio monſtrantur Exemplo Hecqueti, et Stahlii qui cum ſuis notatur.

De hoc autem Opio quod loquor, ut omnes in Autorum lectionibus verſati concedent illico, nemo facile enumeraverit opinionum adſertionumque ſibi prorſus contradicentium immenſam faraginem, nemo coordinaverit facile militantes inter ſe pro aſſerenda et infringenda virtute eius ſalutari integros medicorum exercitus. Duos ut vobis ſiſtam Illuſtres Viros, mirum quantum a ſe invicem diſſentientes permittite obſecro Lectores, *Stahlium* et *Hecquetum*. Neutrum legi vellem a medico artis exercitia exorſuro, qui ſi huius ductum ſecutus fuerit audax nimis, ſi illius timidus nimis in porrigendo aegris Opio evadere deberet. Practicus ſit in ſuis operibus iam verſatus, et clinicis obſervationibus ſat dives, qui hyperbolicis elogiis Hecqueti, atque anxiis dehortationibus et terriculamentis Sthalii non moveatur. Paucis dicam, quae de adminiſtranda Venaeſectione mens fuit *Botallo* et *Helmontio*, altero eam pro univerſali omnium morborum remedio audacter venditante, altero eam ad inferos proſcribente, talis prorſus animo *Hecqueti* et *Stahlii* de opio inſedit ſententia. Hic nempe negligendum eſſe prorſus opium, vixque niſi ſub urgentiſſima neceſſitate avara manu praebendum praecipit. Ille id pro polychreſto et panchreſto pharmaco, quod vix ulli morborum ſummum ſolamen haud adferat, ſpecioſa verborum pompa depraedicat. Adeo vtrinque ad extrema deflectere potuerunt Viri graves, et erudi-

eruditione exquiſita conſpicui,ut mirum non ſit mediocri ingenio Medicos praejudicatis ſuis opinionibus collaudantibus Opium vel vituperantibus, liberaliter indulſiſſe. Vix certe inter Proceres Reipublicae medicae exſtitit aliquis, qui adeo ſiniſtre et abjecte de Opio ſenſit, quam Celeberrimus *Stahlius*. Infamatum eousque ab integerrimo coeteroquin Viro pharmacum hoc nemo ignorat, ut impoſturae inſimulatum integra diſſertatione palam exhibuerit, fallaxque et inſidum, et tantum non veneno ſum plus ſimplice vice denominaverit. Neque tantum aegris imponere ſedante ſua vi opium, quibus ad ſenſum ſaltem tantillum levaminis adferat, ibidem aſſeverare laborat, ſed Medicos ipſos etiam fallere contendit, ut viſa mitigatione malorum in inanem ſpem erigantur, haecque bona temporaria ſtabilia et perpetua ſibi augurentur, donec ſe turpiter deceptos cogantur animadvertere, quando opio ſuo nil ſe praeſtitiſſe laude dignum, principique morbo nil detraxiſſe, rerum eventus luculentur edoceat. Nempe ipſos motus ad ſuperandum morbum ſervandumque aegrum ſalutares et neceſſarios ſupprimi exhibito opio, naturae ſui corporis et vitae conſervatrici torporem et negligentiam induci,lentisque adeo morborum ſchematibus occaſionem ſuppeditari, vel e contrario naturam in ſtuporem coniectam tandemque ex eo reverſam molem negotii per neglectum auctam nunc agnoſcentem ad nova importuna, inſtabilia turbulenta conamina conſurgere, et in graves errores coniici, quin anxiam, trepidantem, deliriis irretitam, reddi, aſſerere haud dubitat. Licet vero haec omnia et longe plura dura omnino dictu haberi debeant, tamen nemo hypotheſium ſtahlianarum gnarus facile ibit inficias Cl. Stahlium Pathologia ſua ſemel ſtabilita, non potuiſſe aliter de uſu Opii ſentire. Quando enim ſumme exorbitantium motuum impetum per communem experientiam opium ſaepe compeſcere obſervatur, motus vero omnes in morbis ſine exceptione omnibus obvenientes vere non morboſi, ſed cauſis morborum a Principio intelligente ſalutari conſilio oppoſiti declarantur a *Stahlio*, hos

hos neutiquam inhibendos,ſed tolerandos potius et promovendos eſſe neceſſaria ſequela ſtatuendum erit.Eaque propter quando tota diſſertatione *de impoſtura opii* omnem lapidem moverat,vt vſum eius fallacem,intempeſtivum,et noxium declararet, non poterat non ad finem tendens adnectere conſilium, in tanta rerum perplexarum implicatione tutiſſimum eſſe abſtinere, niſi vrſerint et vere vrſerint ſymptomata, quae tamen etiam in antecedentibus ne quidem palliari debere opio edixerat, morbum primarium curandum praecipiens, quo ſublato ſponte ſymptomata ceſſarent. Nimis autem credo demonſtratum fuit ab illis qui miſſo illo Phantaſmate Anima directrice motuum vitalium, ex phyſico-mechanicis potius quam moralibus cauſis morborum ingenium ſolidis ratiociniis ſincera experientia fultis deduxerunt hactenus, inſalubres valde et mortiferos, haud raro eſſe motus illos, quorum ſalubritatem *Stahlius* cum ſectatoribus perperam Orbi Medico perſuadere anniſus eſt. Neque bene capitur quomodo intentiones morales turbare corpus phyſicum opium, hocque in animam agere fere ſaepius prius (vt omnino neceſſum eſt per hypotheſin) quam in corpus quaeat. Nimis ſaepe motus ſanitati et vitae aegrorum adverſantur, vt operae pretium ſit, iisdem quietem imponere, dolendum ſaltem quod non ſemper et non omnes motus componat opium, quibus ſopitis prodigii inſtar curationes morborum gravium toties omni methodo incnrabilium ſucceſſurae erant. Quod ſymptomatum mitigationem attinet, quam ſupervacaneam adeo *Stahlius* habet, perpendendum crediderim, non ſemper cito adeo ſanationem morbi principis ſuccedere vt ferri commode quaeant ſymptomata, et ſine noxa; non raro ſymptoma aliquod obſtare morbi curationi, imo vero ſubinde novum morbum hactenus praeſente multo atrociorem, ni cito removeatur, excludere; quibus omnibus probe conſideratis vanum et noxium haud fuerit Opio prudenter ſymptomatum ferociam compoſuiſſe. Neque terrere adeo poſſunt vt ad Getas et Sauromatas relegandum ducat Opium, attentius conſiderantem, tra-

gici illi effectus, quorum hiſtorias diſſertatione citata conſignavit *Stahlius*. Omnes nimirum aegri quos exhibet ab vna doſi Opii, quod probe notari velim e vivis ſublati ſunt, licet eorum aliqui breve ante aſſumtum praebium morti proximi haud iudicarentur. Aut ergo alia cauſa mortis ſubfuiſſe debet, aut Opium ipſis incondita doſi, non medica ſed empirica manu porectum fuit; tunc autem abuſum infulſum non tollere vſum circumſpectum et ſapientem, quivis concedat neceſſum eſt. Sane quomodo ab aliquot capitibus papaveris in cereviſia maceratis lenta febris cum torpore et ſtupore cieri, tumque ſeptimo febrilis huius coſtitutionis die placida analyſis inſequi potuerit, licet de hac Cereviſia quae ad palatum non erat, bis tantillum ſaltem hauſiſſet aeger, non bene capitur. c) Porro qua ratione in calculoſa nephritide 6. vel 7. guttulae liquoris opiati, ſi vel Eſſentia ſaturatiſſima opii vel laudanum liquidum fuerit, mortem excluſerint ingenue me ignorare lubens profiteor. d) Diuturnum certe et quotidianum eiusmodi remediorum vſum, ſive neceſſarium et vere indicatum, ſive perperam iuſto diutius protractum, iuſtoque forte largiorem innumeris vicibus ſaltem vitae aegrorum nil detrimenti atuliſſe obſervavi. Sineque noxa ſenſim aucta doſi ingentem Opii copiam quotidie ſumſiſſe homines plurimis illisque certiſſimis obſervatis conſtare, optime notat Illuſtr. van *Swieten*. e) Neutiquam ergo ſi non imprudenter, impudenter et ſine diſcrimine, ſi non ad captandam levi et evanido dolorum ac vigilarium lenimine aegri agnatorumque benevolentiam, ſed opportune et neceſſitate rerum exigente porrexerit Opium cautus et ſagax Medicus, impoſturae poterit argui, neque morabitur ipſum durum diſſertationis ſtahlianae epiphonema: *Veniet forte tempus ad poſteritatem omnibus votis merito praecipiendum, quo eius generis facinora ſeveriore quam nudarum dehortationum energia compeſcantur. Faxit* DEUS! Faxit is clementiſſime! vt profanum et audax Medicorum vulgus, quod ſaltem nocere non prodeſſe opio dato novit, in perpetuum a lectulis aegro-

c) §. 30.

d) §. 33.

e) *in Comment. ad aph. Boerhav. ad aph.* 202. *Tom. I. p.* 325.

aegrorum arceatur, et abſit; abſit vero et infelix et barbarum tempus, quo Opium Medicina abiiciat; benedicat alma Providentia cordatorum Virorum conatubus, qui vſum et abuſum Opii in commoda generis humani acuratiſſime ſeiungere laborant, poſitoque damnoſo adeo in artium omnium cultura auctoritatis praeiudicio, ſolidae et ingenuae veritati litant. Huius autem qui fidum et attendum ſatis ſectatorem agit, is non facile extorquere ſibi *Stahlium* generoſum hoc remedium paſſurus eſt, ſtatuet tamen et tuebitur, haberi in ea diſſertatione nonnulla, quae caeco impetu ad exhibitionem opii haud ferri ſolidis, et ad phoenomena ingeſtum opium inſequentia ſedulo attendentibus, ac in Praxi clinica ſatis verſatis, laudabilia et calculo digniſſima iudicabuntur. Multoque igitur maiori laude dignos ſeſe praeſtituri fuerant Clariſſimi quidam Illuſtris *Stahlii* diſcipuli, ſi non tenaces adeo eius veſtigiis inhaeſiſſent, inque Magiſtri verba, non auſi experiri virtutem medicinalem Opii, nimis praecipites iurraſſet, totumque negligendum et fere eiiciendum ex foro medico voluiſſent; ſed potius quae rigide nimis et ſine limitibus poſitis Praeceptor aſſerverat, emollire et mitius interpretari ſtuduiſſent, cautionesque eius ſinceras abuſui potius oppoſuiſſent, quam ad evertendum vſum adhibuiſſent. Verum quot ex ſchola Viri coeteroquin praeſtantiſſimi, quae ferax omnino et longe lateque patens dum viveret exſtitit, filii prodierunt, tot hoſtes etiam infenſos opium nactum eſt, ne tantillum quidem dicam quam ipſi Praeceptor ſcripſerat, relaxantes, iuratumque Patri in opium, ut Hannibal in Romanos odium, ſancte reſervantes. Unum inſtar omnium nominare liceat Cl. Halenſium Profeſſorem *Iunckerum*, quem genuinum placitorum ſtahlianorum defenſorem et propagatorem norunt omnes, cuius Tabulas practicas ſedulo pervolvens non ſemel miratus ſum, ipſum fere in omnibus illis affectubus reieciſſe et noxium declaraſſe hoc ſedativum pharmacum, in quibus ab aliis Practicis cordatis et celebribus quam maxime indicatum

atque ita neceſſarium iudicatur, vt plane eo carere medendi methodus nequeat. Nil iuvat compilare *Nenteri*, *Alberti*, *Goelickii* aliorumque dehortationes, et vituperaria, quae tamen dum optimi Viri Opium cane peius et angue reformidarunt, valorem tantum et auctoritatem obtinere nequeunt, quam practicotatorum Medicorum aientes experientiae, qui innumeris vicibus innoxios, laudabiles et a nullo alio remedio vnquam ſperandos effectus ab Opio notarunt. De Vratislavienſibus Medicis Stahlii olim Auditoribus paucula in medium proferre liceat. Fuit inter celebres noſtrates Practicos Reſpondens olim ſtahlianae diſſertationes *de impoſtura Opii* Beatus *Brunſvitzius*, qui omni reliquo vitae tempore quod ſciens ſcribo, nimis alta mente repoſtam geſſit tematis ſui inauguralis memoriam, quam vt ab eo latum vnguem ante aegrorum lectulos receſſiſſet. Gloriam dum viveret Medicorum Vratislavienſium eruditione, et ſcriptis amplificavit poſt fata adhuc celebris *Kanoldus* ſed clinica Praxi nunquam dives, vt odium erga corticem, quem *Goelickius* etiam impoſturae peculiari diſſertatione inſimulavit adnotante Illuſtr. *Werlhofio* f) adeo ſuo interitu obſignavit, ſine cortice Quartanam funeſtam expertus, ita etiam omni experientia quoad opii effectus orbus ex hac vita diſceſſit. Numquid igitur ponderoſae ſatis ſunt criminationes eius in opium pleno ore promulgatae? numquid quando ipſius ſyſtema ſaltem ratione vſus Opii apracticum exſtitit, in genere et ſine exceptione a praeiudiciis theoreticis, a ſyſtematibus apracticis, fraudibusque et lucrum olentibus Medicorum methodis, vſum Opii deduxiſſe ſuffecerit? g) Anne aeternae oblocutiones ſtuporem tantum et ſomnum inducere Opium; ſymptomata palliare; rariſſima eſſe ſymptomata vrgentia ſedans remedium poſcentia; vix dari motus abſolute nimios; centum pravos effectus Opii ſemper decem per accidens ſalutaribus opponi poſſe; et quae ſunt reliqua, an inquam oblocutiones hae, millenis fauſtis ſucceſſubus ab opio in morbis ſonticis vere enatis infrin-

f) *in Oſervat de febribus p* 16. *ex Annalibus phyſico-medicis Vratisl. Tentam.* 28.

g) *Videantur illi Annales ſub titulo* der Breßlauiſchen Sammlungen *editae* 1717. *Menſe Novembr. p.* 293. *ſeq.*

fringendis et annihilandis pares habendae ſunt? Expertos audire iuvat et ſequi, vitioque omnino vertendum eſt minus expertis, quando quaſi e tripode de laudibus et vituperiis remediorum altum ſonantes ſententias pronunciare licitum ſibi reputant.

§. IIII.

Atque ex ſolo caſtae et attentae experientiae defectu praeiudicatisque opinionibus Opii vſum formidabilem et doloſum habentibus deduci debere certum eſt, quod cana et venerabilis antiquitas medica ipſi non adeo faverit. Ab illius igitur ſuffragiis, licet aliorum medicaminum ſenſim neglectorum recentioreque aevo feliciter iterum in artem revocatorum energia et praerogativa commode inde adſtruatur, nihil tutaminis in Opium redundat. Vetuſtiſſimo tempore iam cognitum fuiſſe papaver ſatis certum eſt. Dum mortem Gorgythionis deſcribit *Homerus* μήκων ἐνὶ κήπῳ poëtica imagine ſimul ſiſtit. Atque Rex Romanorum Tarquinius Superbus monſtraturus legatis a filio miſſis quid fieri praeoptaret in horto altiſſima Papaveris capita deiiciebat. Antiquiſſimo tempore etiam in diaeta iam adhibitum fuit ſemen papaveris. Τρόφιμον illud vocat *Hippocrates*; h) cereale papaver memorat *Virgilius* i) non quod Ceres eo vſa ſit ad oblivionem doloris, cum filiam quaereret vt aliqui volunt, ſed quod pertineat inter frumenta et quod ſpeciatim Cereri ſacrum eſſet. Namque *Dioſcorides* et *Galenus* k) recenſent Veteres ex farina melle et ſemine papaveris coxiſſe panes et placentas, *Ovidius* IV. Faſtor. ad menſas ſecundas id refert, ita prandentes hortatus:

Papaver antiquitati notum fuit innocensque ſemen ipſi ſaepe adhibitum in diaeta, vt receptiori aevo.

Nec pigeat niveo tritum cum lacte Papaver
Sumere et expreſſis mella liquata favis.

talique cibi genere ad hunc diem tota Sileſia mea priſco ritu vt alias, ita maxime Vigilia ante feſtum nativitatis Chriſti delectatur. Exiſtimat equidem Cl. Daniel le *Clerc* l) vix vnquam antiquitus eſu papaveris nutritionem reſpectam fuiſſe, et a papaveris ſemine, apud eos qui hodie id in panibus comedunt

h) *lib. II. de diaeta.*

i) *Georgic. lib. I.*

k) *lib. I. de alimentorum facultatibus.*

l) *Hiſtoire de la Medicine liv. III. ch. 2. in fine.*

dunt coctione ſomniferam et malignam vim abactam fuiſſe. Sed optime monet Celeb. *Alſton* ad τϱοφιμὸν *Hippocratis* provocans, ſemen papaveris eſſe analogum amygdalis illiusque oleum expreſſum aeque innocens eſſe, ac oleum olivarum; ſeque ſaepe magnam quantitatem ſeminis papaveris comediſſe, ſine noxa ſineque animadverſione virtutis alicuius ſoporiferae. m) Atque hanc ego ipſe cui panes et placentulae eiusmodi contuſo papavere mellito fere crudo largiter conſperſae, maxime ad palatum ſunt, nunquam expertus fui. Nimis durus mihi videtur ea propter *Simon Pauli* quando Baccalaureum quendam ſtolidum habet, homicidii poſtulat, et in ius rapiendum ducit, quod grandaevae matronae panem martium ſemine papaveris ſubactum verſus noctem comedendum ſuaſerit. Praeter rem Vir bonus credit, quod huius panis papaveracei culpa adhuc dormitet, ſenio ſine dubio aut morbo ſaltem longam noctem dormire iuſſa. *Quadripart. Botan. p. 424.* Medicinalis certe ac noxia vis ſedans ac ſoporifera papaveris, et illius quod Antiqui cognitum habebant, et illius quod hodie nobis eſt, antiquorum (vt ex Dioſcoridis deſcriptione collata cum externa facie noſtratis plantae patet) ſimillimi, ſaltem haeret in lacteo ſucco capitum et caulium, quamvis ſemini omnino praeter nutrientem etiam inſit virtus medicinalis demulcens, leniens, et refrigerans. Succus vero lacteus capitum longe alius eſt ac lac quod ex contuſis ſeminibus nigris et albis aqua addita terendo et emulgendo elicitur, dulce hoc eſt et blandum, ille vero amarus et guſtui adverſus. Fallitur Cel Young, quando inter Opium et Syrupum Semin. papaveris vix differentiam dari ſtatuit de Opio c. 40.

§. V.

Illius autem lactei ſucci qui inſpiſſatus Opii et Meconii nomine venit, vires ſoporiferae quando et quibus primo cognitae fuerint, vix accuratius determinare licet. Qui in his Opii antiquitatibus dilucidandis multa cum doctrina verſatur Cl. *Alſton* n) an Graeci vel Aegyptii eius inventores ſalutari debeant,

m) *Act. Edimburg. Tom. V. Part. I. Tent. 2. In Argovia oleum preſſum ſeminis papaveris incolas adhibere loco butyri ſine noxa, teſtatur Wagner Hiſt. Nat. Helvet. p. 262. Matthiolus ſcribit, eos qui tridentinas valles Stiriam et ſuperiorem incolunt, placentulis veſci cum vtriusque papaveris ſeminibus et farina paratis, oleaque expreſſo in cibis continuo vti, non tamen veternoſos fieri aut diuturniore ſomno capi. Atque Geofroy Mat. Med. Tom. II. p. 713. refert cum Oleum Olivarum anno 1701. necatis perfrigida hyeme Oleis in Patria ſua fere deficeret, oleo ex ſeminibus vtriusque papaveris preſſo ſat mul-*

non

non conſtare inquit, probabile tamen eſſe putat, hunc honorem primae cognitionis virtutis ſoporiferae papaveris Graecis, et aevo Hippocratico deberi. An autem *Hippocrati* ipſi Opium ſat bene notum et vere adhibitum fuerit, de eo quidem pulchra inquirenti naſcitur Occupatio. De doloribus variis quorum panacea Opium habetur, ſat ſaepe agit venerabilis Senex, vt et de remediis dolorum, ſed non liquet illis ipſum etiam Opium annumeratum velle. *Quaecunque pharmaca* inquit o) *doloris gratia, ea omnia ſine periculo ſemper exhibentur, ſi iuxta praeſcriptum adhibueris,* pharmaca autem haec doloris gratia danda non enarrat. Ita quoque poſtea de variarum virium remediis locutus et ea addit *quae ſomnum procurant*, p) dum quietem ſanguini conciliant, ſed quae pro talibus habeat non indicat. Optime equidem notat le *Clerc* q) diverſis locis loqui *Hippocratem* de planta quam μήκων nominat, Graecisque omnibus vt notum μήκων dici papaver; addit vero, *Hippocratem* huic plantae ſaepe adſcribere virtutem purgantem, atque tum de papavere non loqui poſſe. Scilicet *Galenus de ſimplicium medicamentorum facultatibus* r) docet, quosdam peplum ordini purgantium adſcriptum, et papaver ſpumeum pro vna eademque planta habere, et in Commentario in *Hippocratem* aſſerit, peplum et meconium aut potius μήκων *Hippocrati* ſaepe ſignificare rem eandem. Deinde etiam *Plinium* animadvertere docet laudatus le *Clerc* Tithymalum, qui idem illud ſit ac peplus, quoque appellatum fuiſſe μήκων. Haec qui conſideraverit ſedulo facile ſtatuet cum Celeb. *Schultzio* s) multis locis apud *Hippocratem* vbi ὀπὸς μήκωνος legitur, non ſuccum papaveris ſed peplii ſeu papaveris ſpumei intelligendum eſſe. Sane ſi vllibi in omnibus *Hippocratis* operibus invenire eſt nominatum et commendatum Opium invenitur certe *lib. II. de Morb. Mulier.* §. 79. Ibi nempe inter ea quae Uteros ad locum ſuum reducunt legitur, *et piper et myrrha et ſuccus papaveris*, ὀπὸς μήκωνος. Hippocratem vero hic loci non voluiſſe ſuccum peplii ex ſequente §o clarum red-

ditur

tes in cibis innoxie vſos eſſe.

Antiquitates Opii veri et Veteres Medici ipſi diffidentes.

n) *l. c. p.* 146.

o) *lib. de affect.* §. 33.

p) *l. c.* §. 35.

q) *Hiſt. de la Medicine Part. I. liv. III. ch.* 22.

r) *lib. VIII.*

s) *Comp. Hiſt. Med.* §. 321.

ditur in quo ſomnificum papaveris ſuccum ὑπνωτικὸν μηκώνιον pro levando corde ab vtero ſtrangulato expreſſis verbis nominat, vbi quidem τὸ ὑπνωτικὸν aperte cavet, ne μηκώνιον purgans peplii ſuccus habeatur. Et ex hoc vnico loco hippocratico ſaltem probari poteſt Artis noſtrae Parentem Opium ſomniferum non penitus latuiſſe. Alius quidem adhuc locus habetur ex quo ipſi tribui poſſe videtur huius remedii cognitio. Nempe dum *Popularium* lib. VI. ſect. VI. de Odontalgia loquitur Hegeſippo ὑπνικὸν inditum fuiſſe dicit, quod non profuit, non interim addit quale hoc ὑπνικὸν fuerit. Cum vero alia ὑπνικὰ hyoſcyamus, mandragora, cynogloſſa quae etiam veteribus inter ſomnifera referebatur et hodie adhuc a multis perperam refertur, vt recte monet *Fuller* Pharmac. p. 355. *Hippocrati* cognita fuerint, et paſſim memorentur, non auſim contradicere *Lindeſtolpio*, t) qui hic Mandragoram et ſemen hyoſcyami potius intelligendum credit, quam Opium. Quicquid ſit, illud certiſſimum eſt, quod et largiuntur Clariſſimi Viri le *Clerc*, u) *Schulzius* x) et *Alſton* y) *Hippocratem* in iis caſibus, vbi praecipue Opium poſtea vſurpatum fuit, et hodie vſurpatur, in doloribus, in motuum exorbitantium vitiis (ſi vnicam ſtrangulationem vteri exceperis) in fluxionibus coërcendis, nunquam adhibuiſſe. Provocat equidem *Wedelius* z) qui Hippocratem expreſſe Opii in ſcriptis ſuis non meminiſſe dicit, et locum lib. II. de morbis mulierum forte praetervidit, illius interim qui libro Epidemiorum ſexto habetur probe memor, ad *Nicolaum Alexandrinum lib. I. de Comp. Medic.* antidotum aliquam Hippocratis deſcribentem, cuius compoſitionem Opium ingrediatur, verum eum ipſum hac antidoto vſum fuiſſe et ad modo indicatos fines non conſtat.

Merito autem quantum ex Monumentis Veterum iudicare licet, ſectae Empiricae haec laus tribui debet, quod Opii frequentiorem vſum in Praxin Medicam introduxerit. Apud omnes in genere Empiricos crebriorem vt caſtorei, ita et

Opii

t) *de Venenis* p. 594.

u) *Hiſtoire de la Medicine* p. 210. *in fine.*

x) *Comp. Hiſt. Med.* §. 321.

y) *l. c. p.* 146.

z) *Opiol. lib. I. ſect. I. c.* 3.

Opii abhibitionem fuiſſe, notavit *Schulzius.* a) Quando igitur conſideramus *Hippocratem* initio belli Peloponneſiaci Anno Mundi 3554. et *Serapionem Alexandrinum* Sectae Empiricorum Auctorem (*niſi Philinus Cous* fuerit) Anno Mundi 3700. floruiſſe, integrum ſeculum cum dimidio a Praxi Hippocratis elapſum fuiſſe patet, antequam Opii vſus florere in commoda aegrotantium inciperet. Conſtat autem ex Coelii Aureliani teſtimonio quod allegat *Schulzius*, b) *Serapionem* ſaepius adhibuiſſe catapotia ex Opio et hyoſcyamo. Atque poſt eum demum, non primus, vt aliquibus videtur, *Heraclides* Tarentinus Sectae Empiricae addictus, quem Virum ſincerum et omnium Empiricorum facile doctiſſimum Operumque medicinae admodum peritum fuiſſe *Schulzius* c) ait, ſaepius et ad varias corporis aegritudines externe et interne Opium adhibuit. Varia autem in vſu habebat remedia *Heraclides* quae Opium ingrediebatur, ad ſuffocationem vterinam, ad dolores et vigilias leuandas, ad ictum beſtiarum, ad choleram etc. de quibus videndus *Galenus* d) et eum citans Cl. le *Clerc.* e)

a) *Hiſt. Med.* §. 400. *et* 472

b) §. 460.

c) §. 470.

d) *de antidotis lib. II. c.* 3.

e) *Hiſtoire de la Medicine pag.* 374. 375.

Memoratu digna ſunt quae laudatus le *Clerc* de Empiricis Opii vſui fauentibus diſſerit. *Veroſimile eſt* inquit (ſed potius verum ex Galeni et Aureliani teſtimonio) *Empiricos primos fuiſſe qui Opium ſaepiuſcule in vſum duxerunt. Nil poterant invenire in tota materie medicinali, quod magis ipſis honori eſſet. Cum ſe vnam experientiam ſequi profiterentur, et ratiocinia riderent, poſtulabantur iure ab ipſis reales effectus, quia cum inanibus verbis rem habere nolebant. Nil vero aptius erat quam Opium, vt promiſſis ſtare poſſent, quae dederant aegris doloribus et vigiliis defatigatis, de leniendis ipſorum malis per ſomni delicias. Atque quoniam inter omnes morbos praecipue illi qui doloribus ſtipantur, ſanitatem impatienter anhelare faciunt aegros, dubitari nequit Medicos qui non ſaltem ſolamen promittebant, ſed et reapſe praeſtabant, habitos fuiſſe pro Viris admodum peritis. Opium*

certe vt noſtra ita et ea tempeſtate nonnullos Medicos felices reddidit nulla alia re meritos quam quod remedium hoc opportuno tempore adhibuiſſent; verum etiam alioquin praeſtantibus Viris aliquando nocumento fuit, quando infeliciter eo vſi erant. f)

f) p. 373.

Videtur tamen poſt haec Empiricorum tempora Medicina Graecorum Romam migrante, atque Philoſophiae corpuſculari Epicuri per Aſclepiadem ſuperſtrui incipiente, ac in meras coniecturas abeunte, iterum Opium fuiſſe neglectum, aut ſaltem non ex merito aeſtimatum; atque etiam a Methodicis deinceps et dogmaticis Medicis inſuper habitum. Qui inter vtroſque medius incedebat Eclecticumque agebat *Corn. Celſus* non niſi nimia neceſſitate vrgente anodynis quae vehementia medicamenta vocat, vtendum dicit. g) Poſt *Celſum*, *Dioſcoridi et Galeno* qui in obſtructionibus hepatis et ſplenis cum hyoſcyamo et mandragora Opium vt in aliis morbis adhibebat, ſedulo illud fuit nominatum, neque de eo reliqui Graeci tacent, vt ex ſcriptis eorum quae relicta poſſidemus ſatis innoteſcit. *Galenum* autem timidiſſimum fuiſſe in porrigendo Opio certum eſt, atque hoc inter alia vel ex eo apparet, quod Corpora viventium, ab omnium ex Opio, hyoſcyamo et mandragora compoſitorum medicamentorum vſu mortificationi ſimile quippiam pati crediderit h). *Aetium* porro, *Trallianum*, *Paulum Aginetam* variosque alios ex Graecis Medicos rariſſime vel nunquam commendaſſe Opium Lectoribus eorum notiſſimum, quod ipſum illis exprobraturus *Bontius* i) *Graeci vero* inquit *tantum noxas huius medicamenti videntur noviſſe, vſum vere et virtutes plane divinas non ſatis exploratas habuiſſe.*

g) lib. V. c. 25.

h) lib. III. de Compoſ. Medicament. c. 10. et lib. VIII. c. 4.

i) Med. Indor. in notis in Garciam ab Orta in caput 4.

§. VI.

nihilominus tamen vſurpantes opiata remedia, quorum vis a ſolo Opio.

Verum licet adeo male audiverit primis Artis Statoribus Opium, opiatis tamen remediis antiquiſſimos Medicos ſatis frequenter vſos eſſe, certo conſtat, quod paradoxum omnino et vix credibile primo intuitu videri poterat. Namque apud *Celſum* non tantum, ſed qui ea in libro ſuo de compoſitione

tione medicamentorum data opera congeſſit, apud *Scribonium Largum* vetuſtiſſima compoſita pharmaca et ſic dictae antidoti habentur, quae ad dolores et fluxiones compeſcendas laudantur, omnesque opio per varia additamenta correcto reputato refertae et refertiſſimae inveniuntur. Inter varias autem et bene multas nemini Medicorum ignota eſſe poteſt antiquiſſima illa compoſitio a Philone Tarſenſe inventore *Philonium* vocata, qui ipſe a ſe concinnatam hanc antidotum graeca elegia mythologicis narratiunculis plena deſcripſit. Quam magni vero aeſtimatum fuerit, quamque fructuoſum per multos annos ſeſe praeſtiterit hoc *Philonium* ex *Galeni* teſtimonio colligi poteſt, cui id prima antidotorum vocatur [k]) quae dolores ſedando celebres factae ſunt, quaque Medici in colica, dolores ex calculo, pleuritide, aſthmate, haemoptyſi, ſingultu vſi fuerunt. Non minori in pretio deinde per multos annos exſtitit celebratiſſimum illud *Mithridatium Damocratis*, cumque *Plinius* [l]) Virum hunc eximio hoc elogio exornaverit, quod inter primos medentum ſuo tempore fuerit, mithridatio ſuo pro panacea venditato ipſum multa bona aegris attuliſſe; nemo facile dubitaverit. Quotusquisque autem Opiata pharmaca Veterum in memoriam revocans vltro non reminiſceretur famoſae non per annos ſed per ſeriem tot ſeculorum, ad noſtrum aevum vsque, laudibusque cumulatiſſimae *Theriacae*. Haec ſane Auctoris *Andromachi* Cretenſis nomine adhuc ſuperbiens, iam tum magnam celebritatem adepta erat cum ille *Neronis* Caeſaris Medicus primarius, primusque omnium honorifico Archiatri titulo condecoratus [m]) ac artis ſuae ſtudioſiſſimus, compoſitionem et vſum ſui remedii Graeco carmine deſcriberet, hocque Summo Principi dicaret. Hanc Medicinam illis temporibus exoptatiſſimo ſucceſſu aegris propinatam, ac a ſummis Imperantibus adeo ſaepius adhibitam, eoque in honore habitam fuiſſe, vt ob fauſtos et celeres effectus vix vllum pharmacum pari paſſu cum eadem incedere poſſe creditum fuerit, fida et in dubia

k) *de Compoſ. Medic. lib. IX c.* 4.

l) *Hiſt.* Nat. *lib.* 25. *ſect.* 49.

m) *le Clerc p.* 585. *Schulze* §. 614. *qui ſignificatum vocis expendit.*

Scriptorum monumenta loquuntur. [n]) Quin ſummi Principes magno ſumtu in Provinciis alebant homines, qui collecta loco et tempore iuſtis omnia ſimplicia ad componendam Theriacam neceſſaria, Romam transmitterent, et in ſplendidis ſuis aedibus non mediocri pompa eam confici iubebant; atque ſingulis diebus *Antoninus* Imperator eam proſperae valetudini conſulturus ad magnitudinem fabae ieiunus magna cum fiducia deglutiebat. o). Neminem vero Medicorum fugit frequentiſſimum hunc et per manus traditum vſum Theriacae per tot temporum decurſum perſtitiſſe apud homines adeo alioquin novitatis avidos, atque eousque invaluiſſe, vt ad peſſimum et damnoſum abuſum vsque in morbis potiſſimum acutis, inflammatoriis, exanthematicis ob decantatam praeſentaneam et omnibus aliis palmam praeripientem vim alexiteriam extenderetur. Miremine vero mecum Lectores Optimi! callidum ad famam nominis obtinendam ſtudium Andromachi. Viderat hic et toties collaudari audiverat vires medicatas Mithridatii Damocratis; poterat eo expertus vti et prodeſſe Archiater Principi et Aulae Proceribus, ſed aſtutus et laudes captans effingebat novum compoſitum. Paucis ex Mithridatii compoſitione reiectis, omnia ingredientia fideliter ſervabat, addebat praeter quaedam alia (ohe! quanta inventionis gloria, quanto mortalium emolumento!) viperarum carnes, augebat ſimul (en omnem rei cardinem!) opii quantitatem. Ob hoc artificium vnicum effectus noviter inventae Theriacae ſegnius multo, vtpote Opii minore copia praegnans Mithridatium ſuperarunt feliciter; ob ſolum Opium ſuam celebritatem aſſecuta Theriaca hanc longe lateque comprobatam retinuit, et hodie per totam Europam immutata antiquatae compoſitionis facie retinet. Hoc ſane quod aſſero pulchre confirmant verba quae apud *Nigriſolum de febre china expugnata* in inſerta huic Opuſculo Hiſtorica deſcriptione Opii p. 70. lego: *Theriaca Veneta eo ſolum nomine mithridatio et reliquis compoſitionibus opiatis praevalet, quod*

n) *Conf. Galenus lib. I. de Antidotis c. 1. et lib. I. de Theriaca ad Piſonem c. 5 vbi Graecum Carmen elegiacum Andromachi habetur.*

o) *le Clerc p.* 559. *Schultze* §. 618.

quod Opium maiori copia admittat. Nolo inter alia quae annotare poteram ſilentio praeterire *Maſſam. Pil. de Cynogloſſa*, cuius inventionis antiquitas non ſine ratione a *Tralliani* temporibus deducitur, cum apud eum integra compoſitio cum omnibus ingredientibus legatur. p) Eo lubentius autem hoc remedium in medium produco, cum ipſi haec contigerit felicitas, vt non ſaltem non ſecus ac Theriaca, ad noſtrum aevum vſque reſervatum fuerit, ſed, quod mirandum, ab iis etiam qui cum *Stahlio* Opium horrent et damnant, in artis operibus nihilominus civitate donatum ſit, atque non raro licet paulo refracta doſi dignum habeatur, quod in vſum vocetur. Saepius equidem fateor, hunc peculiarem affectum in maſſam Pil. de Cynogl. capere nequivi. Namque ſi non prorſus in exilium ablegandum eſt Opium, ſi correctio eius per additionem nonnullorum quorumcunque ſtatuenda eſt, poterant Stahliani ex numeroſis aliud eligere compoſitum opiatum, aut novum conficere pro lubitu quod ſemine hyoſcyami deſtitueretur. Id enim eadem quantitate ac opium compoſitioni adiectum ſine controverſia Opio multo peius eſt, et ab iis adeo qui Opium in Praxi amant ob vim ſtupefacientem valde eminentem merito negligitur et repudiatur. Quodſi minus dextre ſine indicatione iuſta adhibeatur opiatum remedium, ac ita vere aegris noxam adferre aptum eſt, non minorum certe noxam, multo minus loco huius magnum emolumentum afferet maſſa pilularum de cynogloſſa, cuius aeque ſiniſtri effectus commemorati proſtant, ac aliorum opiatorum ipſiusque Opii ſine aliis adiectis porrecti. Sed haec in tranſitu! Sufficit conſtitiſſe ex hactenus allatis, quod luculenter commonſtrare in animo habebam. Vſum Opii etiam antiquiſſimis temporibus involucris licet variis tecti ſatis familiarem fuiſſe, eoque adeo aevo, quo id communi conſenſu reformidabatur et damnabatur, ab omnibus tamen in antidotis ſic dictis multa cum fiducia, multoque fructu ac ſatis largiter, fuiſſe vſurpatum. Scilicet illi etiam qui odio

p) *lib. V. cap. de Tuſſi.*

proſequebantur Opium neceſſitate vrgente coacti et melioribus quibus fidere poterant deſtituti ad hoc heroicum pharmacum refugere, Philonio, Mithridatio, Theriaca, vti debebant, dum interim alii, oſores Opii palam videri geſtientes, clam tamen id in auxilium vocabant, vt arcanis inſtructi ab aegris ſuis reputarentur. Quando autem in ea luce qua hodie radiat Medicina, et ei ſerviens materia medica, infandum omnium illorum ſimplicium quae Philonium, Mithridatium, Theriacam ingrediuntur, apparatum attentis oculis intuemur, non poterit non ille ſapientum medicorum ſine exceptione omnium conſenſu confuſum chaos haberi, meritoque naſci iis debet admiratio, quod ſancte adeo nihilominus ſerventur vetuſtae compoſitiones et alicubi locorum non ſine feſtivis plauſibus et ceremoniis in officinis adornetur Theriacae praecipue praeparatio. *) Interim dum millenis experientiis vtilia ſeſe praeſtiterunt cum ipſa theriaca talia pharmaca, quaerere poterat aliquis rerum ignarus, vnde nihilominus vere abſurdorum, inutilium, inter ſe pugnantium ſine ratione cumulatorum ſimplicium farragini polychreſtae adeo vires. Bene cognitum habeo non paucos etiam emunctioris naſi viros reſponſuros fore illico, negari poſſe neutiquam, licet minus ſano conſilio ſelecta videantur ea quae Philonium, Mithridatium, Theriacam conſtituunt, vnione tamen adeo diverſorum, intimaque eorum miſtione emergere novum quoddam remedii genus, quod nec ſimplicia nec ex paucioribus ſimplicibus enata compoſita elargitura erant. Ad vero minus credo ad annuendum faciles hi quidem invenient ſagaciores; conſiderata quippe et abiecta mole vel prorſus vel ea propter otioſorum, quod minutula in vno praebio doſis ad nullum effectum habilis et idonea exiſtat, reliqua quae remanent ſunt acria, aromatica, ſtimulantia, calefacientia. Haec vere eandem ferme actionem in corpus humanum exerunt, nullumque eorum ſingulare quippiam prae altero praeſtare aptum eſt; ergo praeter rem cumulantur, cum vnum inſtar omnium foret,

*) *Reiicit Theriacam et diaſcordium Young. cap. vltimo.*

foret, quantitate quae omnium eſt, aſſumtum. Supereſt igitur ſolum Opium, a quo ſolo acribus irretito omnis illa eminens theriacae et mithridatii virtus medicinalis pendet. Hanc veritatem qui agnoſcere negat, is obſecro praeparari ſibi curet philonium, theriacam, etc. ſine opio tuncque eorum vires in medendo ſedulus periclitetur. Certe cito ſatis opinor priſtinam virtutem gratis expectans nucleo deperdito caſſas ſupereſſe nuces et inertia putamina experietur, nilque operoſa tot ſimplicium confuſione praeſtari dolebit, quod aroma quodvis, vel radix quaevis acri ſapore pollens non praeſtitiſſet. Alius interim medens vnico ſimplicique inſtructus Opio miros adeo effectus velox edere poterit, quos ſine eo compoſitiſſima licet attamen inermis theriaca edere non poterat, quibus maiores addita opio infanda illa ex tota fere materie medica deprompta farrago edere haud potens eſt. Neque etiam cum poſt occaſum bonarum litterarum in Oriente et Occidente etiam Medicina defeciſſet atque haec tantum ab Arabibus reſuſcitari inciperet, omnia eorum compoſita pharmaca opiata plus boni praeſtiterunt quam Opium ſimplex et ſolum. Id dandum interim Arabibus Rhaſi, Serapioni, Avicennae, Haly Abbati, Avenzoari et aliis quod frequentiorem vſum Opii in reſurgentem Medicinam ſtatim iterum introduxerint. Poterat et deinceps recentius aevum ſine vllo aegrorum damno carere Diaſcordio *Fracaſtorii* quod eandem opii doſin a quo tamen omnis virtus eſt, in volumine multo maiore ac Theriaca complectitur, nil quae hac praerogativae poſſidet, ſi omnia ingredientia ſpectes. Non quoque opus habebat *Quercetanus* vt Andromachi compoſitum emendaturus coeleſtem Theriacam Terrarum incolis elargiretur, ſpecioſoque invento opii nativam dotem vini et vitrioli ſpiritu corrumperet, et infringeret, quam ipſi intemeratam reliquerat *Andromachus*.

§. VII.

§. VII.

Uſus Opii frequentioris in artem introductio, a Paracelſi temporibus a Viris Clariſſimis ſuſcepta.

Qui non pauca vituperia meretur ſuperciliofus, loquax et nugivendulus *Paracelſus*, in eo tamen laudari debet, quod per Europam divagatus et praxin variis locis exercens laudano ſuo ſolo ſine multo disſpendio vſus ſit. Tribus de eo paratis piluis Baſileae cardialgia laborantem ſanabat *Cornelium* a *Lichtenfels* quem alii Medici liberare nequiverant. Illam autem huius et paucorum aliorum remediorum adhibitione famam obtinebat, vt miros effectus ab arcanis eius quae iactitabundus crepabat reſultandes, ignarum Vulgus ſupra naturalem evectae ſcientiae, quin Cacodaemoni, neſcio qua vi eius conatus iuvanti tribueret. Sed magis idoneos et ſtrenuos defenſores, amatoresque *Paracelſo* et vivente adhuc et mortuo nanciſcebatur Opium Viros egregios et doctiſſimos *Platerum*, *Geſnerum*, et *Horſtium*. *) Horum ſane honoribus meritisque id annumerari debet, quod primi generoſo auſu ampliorem aditum in Praxin medicam eidem recluſerint, diffuſioremque longe in medendo campum patere debere commonſtraverint, ac hactenus ab ignaris iuſtoque timidioribus Medicis creditum fuerat. Inter felices hos in Praxi Triumviros Celeb. *Platerus* qui ſemi-mortuum vſum opii ſe reſtituere velle edixerat, et vere primus notante *Fullero* q) id ſub ſcamno reiectum protraxit, rerum vſu edoctus optavit, vt Medici tandem temere introductam et male inveteratam de pernicioſo Opii vſu opinionem deponerent, cum ſine eo ſaepiſſime ſe turpiter dent, ac nec quicquam ferma laude dignum deſtituti tam heroico Medicamento efficere poſint; dum e contra pharmaca opiata dextre adhibita aegris magnam vtilitatem Medico vero magnam exiſtimationem adferrent. r) Quanta vero ipſi *Platero* in Opium locata fuerit fiducia, vel ex vno hoc intelligi poteſt, quod vt de eo inter alios refert *Valentini*, s) dicere ſolitus fuerit ſe Opio eum cuius membra rota ſemi-fracta ſint, vivum conſervaturum. Poſt Platerum, qui in Helvetia medicinam multo cum applauſu docendo et faciendo

*) *Lib. I. Epiſt. Sect. II. p.* 355. *et Lib. II. Sect. XVI. vbi agitur de vſu laudari Opiati, variisque obſervationibus inſignes fructus comprobantur tum et Lib. III p.* 286.

q) *Pharmacopoeiae extemp. p.* 131.

r) *Tom. II. Praxeos c.* 13.

s) *Muſ. Muſeorum p.* 272. §. 6.

ciendo, Opii vſum communem fecerat, in Belgio eidem multum tribuebat *Helmontius* Opium donum Creatoris ſpecificum veneratus. t) Sed multo adhuc maiori affectu in id ferebatur illius diſcipulus decus olim Belgarum Medicorum Franciſcus de le Boe *Sylvius* felix Practicus, Leydenſiumque Celeberrimus Profeſſor, eo ipſo anno Orbem ingreſſus, quo Platerus tantus Opii Encomiaſtes diem ſuum obierat, novus futurus ſtrenuus huius remedii Propugnator. Hic non facile vllam occaſionem quae id poſcere videbatur, ſine eius vſu praetermiſit; plurimisque formulis quae in ipſius Operibus exſtant ſedulo id admiſcuit, vnde etiam Cavilatores quidam adnotante cum aliis *Valentini* u) eum ſecundum excellentiam Doctorem Opiatum ſalutarunt. Atque hi tamen mitius multo cum eo egerunt, quam fecit Cl. *Leonicerus*, x) qui non dubitavit aſſerere *Sylvium* tandem ſemetipſum Opio trucidaviſſe. Non poſſum hic loci in me ſuſcipere, vt ab hac culpa eundem abſolvam, nullus tamen dubito ſi eadem cenſura qua Doctores ferreos, Aſino Doctores, Lanio Doctores, et aquarios Doctores perſtringit durus ille Medico Maſtyx *Gideon Harveus*, perſtringendos quoque Doctores Opiatos duxiſſet, *Sylvium* ob impenſum et forte nimium pauliſper in Opium amorem, in Catalogi eorum fronte appararriturum fuiſſe. Cavit eapropter etiam ſedulo *Cl. Sthalius* y) quando vere vrgentibus ſymptomatibus ſed adhuc tum cum multa limitatione opium adhibere permittit, ne quid hoc Vrgere ſit, e ſilvianis dogmatibus hauriatur. Illis autem a Praeceptore imbutus Cornelius *Bontekoe* non ſaltem Potum foliorum Thée et fabarum Coffée ſed et Opium in ſua praxi magno honore proſecutus eſt, atque vt in Theoria ſylviana via inceſſit Stephanus *Blancardus* ita et in practicis ſcriptis methodum ſylvianam et remedia, et inter ea Opium etiam liberaliter commendavit. Cum tandem Belgio invidenda illa contingeret felicitas, vt in gremio ſuo naſcentem videret *Boerhaavium*, atque hic ad hoc opus benigna Numinis Providen-

t) *de lithiaſi.*

u) *Muſ. Muſeorum p 272.*

x) *Metamorphoſ. Apoll. et Aeſculap. p. 2.*

y) *diſſ. de impoſtura §o penultimo.*

tia deſtinatus omnem Medicinam cultiorem et magis emaculatam redderet, nullius hypotheſeos indultu ſed veritate effectuum comprobatum illi aſſeruit Opium. Laudant hoc aurei eius aphoriſmi practici in multorum morborum curatione, vſusque neceſſitatem limitibus ſuis circumſcriptum inculcant. Atque dum pro ſumma qua erat perſpicacia, in Oratione Medicinae facilem ſimplicitatem aſſerente materiae medicae acutis proſpecturae compendium ſelectu incomparabili exhibet, cui nec demas nec addas cum ratione aliquid, non oblitus eſt etiam digniſſimum Opium in illud recipere. Imo vero conqueſto in iuvenili aetate de faſtidioſa varietate in curatione morborum applauſit *Sydenhamo*, quod ſenex morbos numero plurimos communi methodo VSe. purgatione, opio ſanabiles eſſe fuerit confeſſus. Verum et magni praeceptoris magnus diſcipulus Illuſtris van *Swieten* z) poſtquam more ſuo ſolide et eleganter tempeſtivum Opii vſum docuerat, quem per ſua Commentaria vbique, rebus ita poſtulantibus extollit, *Certe* inquit *prudenter adhibitum debita doſi, licet etiam per Menſes continuetur, omni noxa caret, vnde non immerito dixit Eruditiſſimus Johannes Terentius Lyncaeus in notis ſuis ad Franciſci Hernandes rerum mexicanarum novae Hiſpaniae theſaurum, quod cum vniverſus Oriens et Meridies impune et quotidie vtatur Opio, Datura, Bangue et ſimilibus dolendum ſit infinitos mortales dolorum cruciatubus perire, vnius huius remedii ignorantia, qui Orco eripi poſſent, ſi Medici totius orbis conſenſu perſuaſi eo ſaepius vterentur.* Sed ante tempora *Boerhaavii* Praeceptor eius Archibaldus *Pitcarnius* Scotus natione, apud Leydenſes Profeſſor in *Elementis Medicinae phyſico-mathematicis* magnum ſeſe Fautorem Opii iam comprobaverat. Non minori autem numero in Anglia, ac in Belgio Opium inſignes defenſores et Amicos nactum eſt, qui omni ſtudio eius innocentiam et praeſtantiam contra ignaros et malevolos tueri et ſtabilire anniſi ſunt. Eminet inter omnes ſine dubio ſincerus ille et cordatus *Sydenhamus*

z) *in Comment. Tom. I. p.* 372.

denhamus in cuius aureis Operibus hippocratica fide et induſtria exaratis laudanum liquidum toties commendatum in morborum variorum curatione legitur. Poſtquam illius praeparationem docuiſſet *Profecto non mihi hic tempero*, inquit, *quin gratulabundus animadvertam, DEVM omnipotentem non aliud remedium, quod vel pluribus malis debellandis par ſit, vel eadem efficacius exſtirpet, humano generi in miſeriarum ſolamen conceſſiſſe, quam ſunt Opiata.* Et paucis interiectis *ita neceſſarium eſt*, ait, *in hominis periti manu organum iam laudatum Medicamentum, vt ſine illo manca ſit, et claudicet Medicina, cum maiora praeſtet quam quis ab vno remedio facile ſperaverit.* a) Neque in praxi ſua potiſſimum in iis morbis curandis, quos data opera deſcripſit, Phthiſi, Variolis Opio carere voluit Richardus *Morton*, namque *in Phthiſiologia* ſua paſſim, et ſat larga doſi pilulas de cynogloſſa et de ſtyrace dandas praecipit; in variolis autem nullam Opiatorum doſin formidandam vult, quousque ſenſim progrediendo ad eam deventum fuerit, quae efferatos motus mitiget. b) *Mortono* autem tepidiorem Opii Amicum *Hamiltonum* vix aliquis habuerit, vbi eum in tractatu *de febre miliari* paſſim opiatis patrocinatum eſſe, puerperaeque recenti dolore colico laboranti ſeſquihorae ſpatio centum guttas laudani liquidi exhibuiſſe animadverterit. c) Porro qui Myſteria Opii revelata patrio ſermone edidit d) et a *Neumanno* de Fautoribus huius remedii verba facien te e) fere inſtar omnium citatus eſt Iohannes *Jones* Collegii Medici Londinenſis Socius, delicias illas animique placidam ſecurritatem et tranquilitatem, quam opium hominibus pariat, cum nulla in orbe terrarum voluptate comparari poſſe expertus aſſeruit, vtpote quae omnes imaginatione concipiendas infinities ſuperet. At non iucundam ſaltem aegris ſed vtiliſſimam ſimul eſſe operationem Opii externe et interne vſurpati poſt alia quae de eo commentatur, in variis morborum generibus vndecim diſtinctis capitibus prolixe edocet.

a) *Operum* p. 230. 231.

b) *Exercit. III. cap. VIII. p.* 119.

c) *Cap. de curatione ſymptomatum.*

d) *The Myſteries of Opium revealed.*

e) *lect. de Opio p.* 97.

Non omittere poſſum inter medicos Anglos longe celeberrimum Johannem *Freind*, quem in *Emmenilogia* ſua in remediorum Menſium vitiis dicatorum viribus explicandis occupatum, facta brevi digreſſione vt de modo operationis Opii in corpus humanum, ita et de eximiis dotibus eius pulchre commentatum fuiſſe, culpamque ſi nocuerit, non in remedium, ſed in medentem reieciſſe inter omnes conſtat. Neque latet aliquem rerum medicarum gnarum quantum *Freindius* in variolis mali moris curandis vt purgantibus ita et Opiatis dederit. Silentio etiam non praetereundus eſt Humfredus *Ridley* cuius obſervationes miram eius propenſionem et fiduciam in Opium, liberalitatemque in ipſa pharmaci huius exhibitione luculenter ſatis eloquuntur. Inter multas prima ſola ſufficiens teſtis eſto! Loquitur vero haec, Opium crudum, quod raro Medici vltra granum vnum porrigere ſolent, ad Granum vnum cum dimidio, et cum bis vel ter hac doſi aſſumtum vomitu redderetur, in pilulis Matth. ad grana duo pro vno praebio cum ſalute Aegri datum fuiſſe. Monet inſuper in fine obſervationis quae choleram graviorem complectitur Cl. Autor, ingens impendere periculum, a nimis exigua paregoricorum adminiſtratione. Praeter laudatos autem Doctiſſimos Viros Richardus *Mead* in *Monitis* ſuis et *praeceptis medicis* quae iam Senex evulgavit, Opium dextre adhibendum non vno loco laudat et commendat. Atque ille *Nucleus* vt audit *totius Medicinae*, quem iuſſu Sereniſſimi Ducis Cumbriae in vſus copiarum regiarum publici iuris fecerunt Medici, Chirurgi et Pharmacopoei Regii, elegantiſſima et ſelectiſſima pharmaca complectens, multa ſimul habet quae polychreſtum Opium in ſe fovent. Qui dein data opera de Morbis Militum egregium tractatum conſignavit Ioh. *Pringle* variis eorum morbis quoque Opium deſtinavit, licet limitibus ſapienter circumſcriptum. Ante paucos autem Annos Celebr. Edinburgenſium Medicus Georgius *Young* vtiliſſimas in Praxi obſervationes de Viribus Opii in ſanandis

variis corporis humani affectubus, magno certe aegrorum bono ſingulari tractatu evulgavit. f) Sed et in Germania noſtra non defuerunt Medici clariſſimi, qui ſtudiis ſuis artis gloriae litantes et eius limites extendere allaborantes, Opio eam neutiquam carere poſſe ſagaces introſpexerunt. Commemorare, poſtquam *Horſtium* iam laudavi, mihi primo loco liceat Danielem *Sennertum* ſuo tempore Medicum celebratiſſimum, in cuius operibus practicis ab indigenis et exteris Eruditis in honorem Vratislaviae meae, quae eum genuerat, multa exiſtimatione exceptis, ampla habetur Opii commemoratio. Jungi eidem meretur Celeb. *Wedelius* cuius *Opiologia* defenſionibus, abſolutionibus, laudibus, commendationibus Opii vbique refertiſſima invenitur, quas excerpere ſupervacaneum omnino foret, notaviſſe mihi ſufficiat divini remedii elogio Opium inſtruere *Wedelium* haud dubitaſſe. g) Neſcio vero an ex noſtratibus aliquis melius meritum ſeſe de introductione Opii in vſum clinicum praeſtiterit, quam in ſelectu totius materie medicinalis exhibendo feliciſſimus ille et dexterrimus Daniel *Ludovici*. *Quanto Infantum* inquit, *Gravidarum*, *Puerperarum*, *exhauſtorum Senum*, *Phthiſicorum*, *Epilepticorum*, *aliorumque ferina tuſſi*, *defluxionibus*, *haemorrhagiis*, *profluvis*, *ſuperpurgationibus*, *colliquationibus*, *diverſis humorum aut ſanguinis effervefcentiis*, *vagis fixisque doloribus pene enectorum damno innocens Opium iniuſte damnatum*, *aut longe parcius*, *ſerius timidiusue attactum ſit*, *hic non dicemus*, *niſi quod ad haec fere tempora aeque multos ob meticuloſam opiatorum intermiſſionem quam per Empiricorum manus occubuiſſe credamus*. h) Digna notatu haberi debent haec verba ex calamo Viri candidiſſimi profecta, quia puriſſimum affectum in Opium dilucide teſtantur. Non niſi ergo per errorem in ſui gratiam, et tanquam ſecum facientem (licet adeo multis paraſangis ab eius placitis abſit) diſſertatione *de impoſtura Opii* allegavit hunc Virum, cum laude vt alioquin ſaepius ſolet Cl. *Stahlius*, i) quem primum de

f) *A Treatiſe an Opium founded on practical Obſervations Edinbourgh* 1753.

g) *p.* 141.

h) *in Pharmacia moderno ſeculo applicanda p.* 367.

i) §. 34.

de efficacia materiae medicae non tralatitia, ſed ſolidae experientiae reſpondente cordate locutum ſimul aſſerit, dum fatalem Phyſicorum horoſcopum eum maxime ab eo tempore orſum fuiſſe perhibet, quo opium in Aſcendente comparere inceperit. Certe optandum eſſet vt *Stahlius* locum allegaſſet, vbi hoc aſſertum *Ludovici* eius modo allegatis ad verbum elogiis e diametro contrarium habeatur. Certe dum de aliorum ad materiam medicam ſpectantium efficacia, ipſo teſte *Stahlio*, cordate et ſecundum ſolidam experientiam pronunciavit, de Opio alibi non potuit ſiniſtre ſentire, atque aſſerere, quod infelici et fatali ſidere in Medicinam irrepſerit. Id Virum cordatum et ſincerum qualis exſtitit *Ludovici* minime deceret. Sed de his ſatis! Venio ad multorum celebrium in Germania Medicorum ipſiusque *Stahlii* Praeceptorem Michaëlem *Ettmullerum*, cuius adeo et alterius *Wedelii* ſententiis de ſalubritate Opii illum haud fuiſſe imbutum, ſed vtriusque veſtigia penitus deſerviſſe non ſatis mirum videri poterat, niſi in favorem hypotheſeos culpa reiicienda foret. Pleniſſima ſunt omnia *Ettmulleri* opera commendatione Opii, ſpeciatim vero magnum medentum applauſum conſecuta eſt eius diſſertatio *de Vi Opii diaphoretica* in cuius ſtatim Prooemio Opium vi polychreſta, nec vnquam ſatis laudata, ac ſingulariſſimis prorſus dotibus pollere aſſeverat. Non minus autem favit Opio Collega doctiſſimus *Ettmulleri*, eſt poſt fatum huius immaturum ad ſenium maturum in Academiae Lipſienſis ſingulare decus ſuperſtes, ipſique *Boerhaavio* magni factus Iohannes *Bohnius*. Etenim non tantum elegantiſſimae eius Diſſertationes, ſed et multa doctrina refertus Tractatus *de Officio medici duplici* paſſim honorificam Opii dextre vſurpandi mentionem faciunt. Meum quoque cuius cineres devota mente veneror, fidiſſimum Praeceptorem Fridericum *Hoffmannum* non latuit Opii in Praxi adhibendi neceſſitas, vſusque egregius. Non ſaltem in operibus practicis maturae et conſeneſcentis Experientiae foetubus, ſed olim

iam

iam diſſertatione *de correctione Opii* multum legitimo vſui Opii patrocinatus eſt. Poſtquam ibidem inter aliae pro eo militantia ſolide demonſtraverat contra ſcholam opinor Cl. Collegae, ſaepiſſime in Praxi opus eſſe vt motus ſolidorum nimii conſopiantur ita ſcribit: *Sedativis itaque opus eſſe in foro medico firmiter concludi poteſt, an autem praeſentius detur Opio rite praeparato, praeſertim vbi graviores motus ſedandi ſunt, merito dubitandum. Quando Vetuſtiſſima Medicinae reſpicimus tempora, nulla remediorum genera per tot ſeculorum ſeriem in vſu et exiſtimatione magis conſtanter permanſerunt, quam quae Opium habent pro baſi.* k) Valde peccarem ſi hic loci obliviſcerer Cel. Laurentii *Heiſteri* cuius *Compendium Medicinae Practicae*, vna cum *Obſervationibus Medico-Chirurgicis* ſufficientia documenta continent, quanti habeatur peritiſſimo Viro in morborum curatione ſapienter vſurpatum Opium. Claudat tandem agmen Medicorum Germanorum eorum hodie dulce Decus Illuſtr. *Werlhofius* qui et in Variolis l) et in fluxionibus variis, m) aliis minus certis, et ipſis ſtypticis potius Opium extollit, atque hac occaſione ſua facit, quae Cl. Adrianus van *Royen* in poëmate incomparabili *de Amoribus et connubiis Plantarum* de Anodyne illa Medicina cecinit.

k) §. 3.

l) *de Variolis et anthracibus p.* 95.

m) *Caution. medic. p.* 21.

Vivat Apollineis nimium ſuſpecta miniſtris
Vivat in innumeris ſola medela malis.

Nimis autem fatigarem Lectorum meorum animos, minusque lenium iudicio forte Compilatoris crimine laborare videri poſſem, ſi exſpatiando per omnem cultiorem Europam Opio fautores conquirerem. Mitto itaque lubens poſt alios quosdam Italos *Miſchelottum* et *Mareſchottum* ſpeciatim in Variolis valde Opio patrocinatos, et ſi qui fuerint alii eius amici, Gallos *Riolanum*, *Hollerium*, *Fernelium*, n) *Rondeletium*, *Ranchinum*, *Riverium*, *Cheſneum*, quos vero omnes indicibili affectu in hoc remedium ſuperat *Hecquetus*. Taceo permultos variarum regionum Medicos quos antea iam

n) *hic ad omnia longe efficaciſſimum dixit Opium lib. VI. c.* 1.

laudare

laudare debuiſſem *Ridiinum*, *Lentilium*, *Timaeum*, *Bergerum*, *Mynſichtum*, *Zwelferum*, *Salam*, *Hartmannum*, *Barbettium*, *Michaelem*, *Craanium*, *Waldſchmidium*, *Clauderum*, *Sinapium*, *Albinum*, *Tillingium*, qui peculiari tractatu non ſaltem Panegyricum Phaleris perſuadentium verborum refertum dicit Laudano, ſed obſervationibus et hiſtoriis morborum in quibus mira prorſus praeſtitit Lectoribus venerationem remedii inducere laborat. In Indicis adeo non minus ac in Europae regionibus vires eximias Opii expertus profiteri debuit Cl. *Bontius*, *Si nobis* inquiens *hic de Opio non eſſet proſpectum fruſtra in calidiſſimis his regionibus Medicinam faceremus dyſenteriae*, *cholerae*, *febribus ardentibus*, *ac reliquis bilioſis affectubus Orgaſmo turgidis*, *et ne fucum videar obtrudere*, *quid in noſtris regionibus confectiones opiatae tantopere celebratae*, *Theriacam dico ac Mithridatium quid denique Philonium? quae niſi Opio tanquam baſi ſuffultae eſſent*, *fruſtra ab iis effectus tam manifeſto iuvantes quis expectet. Et profecto inſignis eſt oſcitantia iſta*, *quae in abuſum medicamenti ac minus bene praeparati dicuntur*, *in vſum nobiliſſimi inter omnia pharmaci velle referre*, *ſine fundamento ſaepe*, *ac in ſcholis ſine experientia.* Ita tot Clariſſimis Viris teſtibus omni exceptione maioribus ſimul aſſurgentibus, quos ſane omnes impoſtores habere nefas fuerit et piaculum, ſibi conſtat, ſuaque luce radiat virtus Opii medicinalis, neque egere ea plurium in artis exercitiis celeberrimorum Medicorum ſuffragiis videtur. Magnus ex hoc communi conſenſu murus aheneus contra obtrectatorum tela Opio ſurgit, quem dirutum iri vnquam vix eredibili eſt, quando ſua adeo interna bonitate et efficacia ſe ipſum, quousque aegritudinibus ſeſe gravius mulctatum ſentiet humanum genus, conſtanter tuebitur. Eaque propter non immerito Gabriel *Clauderus*, qui inter res medicamentoſas quas e largifluo regni vegetabilis Cornu Copiae non modio aut trimodio, ſed toto horreo nobis admetitur DEVS, praerogativam pluribus

ribus aliis Opium dubiam facere edixerat, Medicum modernum ſibi gratulari poſſe pronunciavit, ſi legitimum vſum Optatorum intellexerit. o)

o) *Ephem. N. C. Dec. II. Ao. V. obſ. 178.*

§ VIII.

Opium tamen etiam a magnis Medicis inter venena relatum.

Nollem tamen exinde Palladium et Aſylum iis conditum, qui non bene perſpicientes Opii ipſius, et operationis in Corpus noſtrum indolem, illotis manibus, et vix audito ſymptomate moleſto, quod huius remedii vſum poſcere videbatur, ſine reſpectu indicationum ex morbi principis idea naſcentium, ad largas doſes veloces convolant, et ita bene conſultum aegrotantium ſaluti non ſine gravi ſaepe eorum damno arbitrantur. Longiſſime a me abſit, vt temerariis et empyricis auſubus velificari in me ſuſcipiam. Habet nempe et bonitas Opii ſuos limites, malaque ex vſu improvido ſaepe ſaepius enata abſolvi prorſus et inter innocentiſſima pharmaca quae vix vnquam nocuerunt, referri illud vetant. Neque patientur ſibi facile os obturari, qui effectus in omnium oculos incurrentes, ſenſubusque aegri ſaepe dulciſſimos et deſideratiſſimos equidem concedunt, ſed latere anguem ſub herba clamitant, et infidas illas atque periculoſas inducias, quiete et pace poſt aliquot horulas exſpirantibus, aliquando triſtes omnino et infauſtos eventus inſequi vrgent, in mortis periculum aegros adducentes, vel ſempiternum ſilentium querelis eorum imponentes. Incredibile eſſe dictu iam notavit *Carolus Piſo*, p) quot nimium credulos intemperante vel laudani noſtro aevo celeberrimi, vel pilularum de cynogloſſa vſu, Themiſones et circumforanei mittant in Orcum. Scilicet vt inſignes et a nullo medicaminum niſi ab Opio ſolo expectandos effectus, innumerabilibus vicibus obſervatos, proterve et impudenter negare et calumniari, impudentis eſt; ita damna a tot Claris Viris notata, et errores in adhibitione commiſſos, licet terra tectos, ridere et vilipendere, Medicum cordatum et in generoſorum administratione circumſpectum haud decet. Ita nimirum certum eſt ab omni aevo

p) *de morbis a Colluvie ſeroſa lib. IV. c. 2.*

et profuiſſe et obfuiſſe Opium, vt commode ſatis et ſignificanter *Wiliſius* binas ipſi facies aſſignaverit, q) viſaque vna prorſus angelica, alteram veluti numiſmate inverſo inſpectam plane diabolicam apparere, in qua haud minus damni ac maleficii, quam in priori emolumenti detegatur, edixerit. Quin huic panaceae adeo multum toxici adiungi affirmavit, vt de vſu eius crebro ac familiari minime ſecuros eſſe liceat. Plura dicam, recentiſſimus de Opio Scriptor *Youngius* aſſerere haud dubitat, in numero infinitis caſibus Opium non eſſe adhibendum, licet in iis ipſis hactenus quammaxime pro dono coeleſti fuerit habitum. Atque vt de levioribus noxis, quas minus dextre pro hominum et morborum genio, temporeque et doſi haud opportunis exhibitum patrat Opium, nunc taceam ſane ſi non ſaepius et evidenter graviſſima damna attuliſſet mortalibus, valde abſurdum foret, id vnquam adeo infamari potuiſſe, vt pro veneno fuerit declaratum, quod tamen a multis et hercle ſagacibus Viris factum. Non ſane hic me movet effatum *Montani*, r) Periculoſa eſſe illa ſtupefacientia ex Opio inquientis, praeſertim per os exhibita quoniam nihil aliud faciant quam mortificare. Neque moror ſteriles et ridiculas pene inculpationes, quales inter alias ſunt *Tabernaemontani* s) qui Opium venenum eſſe intus aſſumtum, hominique mortem maturare, externe vero vſurpatum coecos, ſurdos claudos, reddere aſſeveravit; Sed plus ponderis habentia iudicia reſpicio. Bene equidem novi innocentiam Opii adſtruere molientem exclamare *Simonem Pauli*, t) *Quis vero Opium venenum appellabit? cuius accuratam definitionem adhuc deſidero.* Sed ſatis magnum eorum numerum invenio, qui illud ita ſalutandum eſſe iudicant Opium per ſe potum cum *Galeno* u) exitiale habuiſſe omnem Antiquitatem Medicam, rerum gnaris conſtat; atque innumera illa et multiplicia in corrigendo Opio occupata molimina, de quibus quandum valeant, ſuo loco vberius exponam, vnicum hunc fontem agnoſcunt, quod aliquid

q) *Pharmaceut. Ration. Part. I. ſect. VII. c. 2.*

r) *de doloribus cap. ſupra Rhaſen lect.* 5.

s) *lib II. p.* 290. *Herbar.*

t) *Quadrip. botan. p* 422.

u) *de Theriaca ad piſonem c.* 13.

quid venenoſi et vitae humanae adverſi hoſpitari in eo per tot ſecula creditum fuerit, ſeparatione eapropter, caſtratione, immutatione, indigens. Valde credo notabile eſt, Proſperum *Alpinum* non obſtante repitita ſua obſervatione, qua ipſi conſtitit, Aegyptios frequenter Opio vti, eidemque longo tempore ſic adſueſcere, vt ad trium adeo drachmatum pondus id aſſumere audeant tamen id venenum praevalidum declarare, quod nullo pacto iuvet, ſed omnino Homini noceat. Atque ne forte aliquis illas largiſſimas doſes innocentiam Opii commonſtrare opinetur; haud eſſe abſurdum *Alpinus* addit, vt homines aliquarum venenorum vſui adſueſcant, praeſertim ſi a minima quantitate incipiendo, ad maiores ſenſim progrediantur. x) Recentiori aevo Cl. *Sennertus* Venena e plantis recenſurus, caput primum Opio impendit, *Dioſcoridem*, *Galenum*, *Plinium*, *Avicennam* et omnes in illum Commentatores ſecutus, acriterque ſimul contra *Freitagium* pugnat, ſuamque de venenoſa Opii indole ſententiam rigide defendit. y) Non minus *Bohnius* in cauſa venenationis Medicum depoſiturum inſtructurus, claris verbis ad venena refert Arſenicum, Mercurium ſublimatum, Cicutam, Opium. z) *Boerhaavius* etiam Opium catalogo violentorum et ſingulari modo cerebrum afficientium venenorum inſerit. a) Porro III. *Mead* in tractatu eleganti *de Venenis* poſtquam de venenis animalibus morſu Viperae, Tarantulae, deque venenis mineralibus egerat, peculiare caput Opio dicavit. Accedit Celeb. *Hoffmannus* qui de Venenis ſoporiferis agens, eminere in eorum numero praecipue Opium dicit, probatque fuſe ſoporiferum hoc cum aliis ſtupefacientibus, Mandragora, Hyoſcyamo, Solano, Stramonio, Datura, non ſine ratione venenis annumerari cum celeriter et exigua mole noceant, paulo vero maiori necent. b) Sic quoque Celeb. *Heiſterus* inter narcotica venena Opium primo loco ponit c) et *Neumannus* Opium inter omnia nota vocat fortiſſimum ſoporiferum et ſtupefaciens, largiori doſi

x) *de Medicina Aegyptiorum lib. IV. c. I. p. 255.*

y) *lib. VI. Part. II. c. I.*

z) *de Officio Medici duplici p. 637.*

a) *Inſtit.* §. 1138.

b) *Med. Syſt. Tom. II. p.* 269

c) *Comp. Med. Pract. c.* 19.

doſi necans, periculoſum admodum ſubiectum regni vegetabilis, meritoque venenis annumerandum. d) Simili ratione *Lindeſtolpius* in tractatu pereleganti *de Venenis*, de venenis ſoporiferis et narcoticis agens Opium non ommittit. e) Neque obſtare dicit Cl. *Hebenſtreit* Opii Virulentiae quosdam continuo vſu illi adſuefieri poſſe, id quod de Turcis ſuum Maslac, Opium ſcilicet orientale, ſe ipſo teſte devorantibus haud ſemel conſtitit. Coeteroquin enim illum papaveris ſuccum ſub parvo volumine venenum eſſe omnino aſſerit, quo vis vitae pereat, et humorum motus ſiſtatur. f) Conſentit coniunctiſſimo ſuo Collegae Celeb. *Ludwig* Opium anodyna quidem vi praeditum, ſed inconſiderate datum venenatas vires exercere contendens, g) atque qui ſub moderamine Illuſtr. de *Haller* experimenta circa varia venena inſtituit doctiſſimus *Spraegelius* in claſſem eorum conſulto receptum Opium haud praetermiſit. h) Tandem Celeb. *Young* in ipſa praefatione ſui tractatus Opium conſiderat, tanquam verum et exitale venenum, quod largiori doſi ſumptum ſubito necet, minori vero vt lentum Venenum ſaepe agat Medicos et aegros decipiens, et eo maiora mala inconſiderate exhibitum patrans, quo minus cauſſa ſubeſſe videtur, eadem timendi. Gravibus igitur his et gratis certe haud promulgatis ſummorum Medicorum aſſertis haud opinor aliquid detrahet *Hecquetus* quando exploſa veterum Philoſophia, recentiori aevo accuſationem veneni ſponte ceſſare debuiſſe autumat, illamque multo ſtudio infringere molitur, ac apud illos ſaltem qui Vino ſaepius incaluere, et lymphe blandiorem indolem ita depravarunt, venenoſos effectus Opium edere poſſe, perperam ſibi imaginatur. *i*)

d) *Lect. de Opio p.* 107. 108.

e) *Cap. X. p.* 588.

f) *Anthropol. forenſ. Sect. II. Membr. II c. II.* §. 12.

g) *Therap. Gen.* §. 1394.

h) *diſſertatione peculiari quae haec experimenta continet.*

i) *Reflexions ſur l'uſage de l'Opium a pag.* 72-85. *et* 100

§. VIIII.

Opium quousque remedium et Venenum.

Verum ne adeo a ſe invicem abhorrentia elogia et vituperia Opio affixa cordatos offendant, ac ne aliquis forte proteiforme ipſi eſſe ingenium ſuſpicetur, quo fiat, vt vnum Opium perſonatum modo, tanquam Panacea ſine Pari, modo

larva

larva poſita tanquam remedium inſecurum, imo vero plane tanquam teterrimum toxicum ſeſe conſpiciendum praebeat, brevibus an et quousque Venenum et remedium haberi idem debeat, diſpiciamus. Mirum eſt, multos claros Viros fuſius egiſſe de venenis, quin integros libros de iis conſcripſiſſe, neque tamen quod praecipuum erat, expoſuiſſe, quid nomine veneni intellectum velint, notionemque adaequatam huius vocis haud ſuppeditaſſe. Laudari eapropter debet Ill. *Hoffmannus* qui clarius expoſuit per venenum intelligendam eſſe *materiam quae ſumma partium ſuarum tenuitate, et activitate interne et externe animantium corporibus admota celeriter et exigua in quantitate vniverſum genus nervoſum adficiendo vel magnam perniciem vel certam mortem inferat.* Tres vero notas characteriſticas venenorum ponit, *primo* in minima mole ſummam activitatem, *ſecundo* celerrimam noxam aut mortem, *tertio* actionem in genus nervoſum omne. k) Verum enim vero inter medicamenta, id eſt, inter corpora vel natura producta, vel ex his arte praeparata, quae ingeſta vel applicata corpori, eius fluida et ſolida, omnesque functiones ita mutant, vt exinde ſanitas et vitae duratio emergat, dantur non minus quae minima mole, ſummaque activitate, atque actione in ſyntaxin nervoſam, hoc praeſtant. Igitur omne illud quod licet etiam exigua mole in nervos agendo, talem mutationem in corpore parit, quae in conſervationem eius tendit, et functiones antea a ſueto ordine naturali deflectentes in naturalem ſtatum ſeu ſanitatem reducit quomodocunque, erit medicamentum, atque e contra omne illud, quod eam functionum mutationem producit, quam corpus ſanitate, et vita praecipue ſalvis manentibus non diu fert, venenum appellari debebit. Ex his ergo clariſſime conficitur, et venenum et remedium in relatione cum corpore illo, cui interne vel externe applicatur, ſaltem eſſe vel venenum vel remedium. Deinde ex hac differentia ſtabilita ſtatim apparet, nulli corporum naturalium, niſi illis ſolis

k) *diſſ. de Erroribus vulgaribus circa venena* §. 1. *et Med. Syſt. Tom. II. Part. II. c. 2.*

ſolis quae aſſumta vel applicata humano corpori nunquam ſanitati et vitae emolumentum ſed potius ſubito damnum manifeſtum et mortis periculum attulerunt, abſolute veneni nomen competere. Neque minus clarum ſic redditur, multa pro venenis habita, ſi ad functiones praeter naturam affectus in naturalem ſtatum redigendas ſine vitae diſcrimine iis vti noverit peritus Artifex, praeſtantiſſima pharmaca evadere poſſe, dum medicamenta in vulgus habita, et in venenorum catalogum neutiquam referri ſolita ſi, tempore et doſi iuconditis porrigantur, ac nec corpori aegrotantis nec morbo quem patitur rite accommodentur, in peſſima omnino venena degenerare queunt. His omnibus vt decet ſuppoſitis, nemo rerum gnarus amplius diffitebitur, Opium in ſe nec remedium nec venenum exiſtere, ſed corporis doſeos, temporis, circumſtantiarumque aliarum varietate, vel iuvare corpus humanum, vel laedere, vna ſemper conſtantique operationis et actionis ratione ſervata, a corporis humani reactione differente diverſimode determinata. Raro vero omnino, niſi prorſus ab incautis porrectum, atque ſub illis morbi et aegri conditionibus quae in totum adhibitionem generoſi huius remedii contraindicabant in exitium ſtatim Opium detruſit aliquem, feralemque adeo operationem ſubito edidit, qualis a venenis proficiſci ſolet, vbi non manifeſte in doſi graviter peccatum fuerit, quam tamen quod probe obſervari velim, non praeſtabilitae quaedam ponderis leges, ſed prorſus conditio corporis definit. Sine dubio tragicum illud funus, a *Cornelio Nepote* in *Dione* commemoratum, cuius Dionyſius vitae Parentis pertaeſus Auctor fuit, larga opiati remedii doſi excluſum eſt. Cum enim infelix Pater morbo graviori conflictaretur, coegit Medicos filius paricida vt potentiori pharmaco ſoporem inducerent, quo impetrato perpetuo ſomno obrutus ex vivis diſceſſit. Neque certe illa doſis Opii mediocris eſſe potuit, qua *Plinio* referente[1]) Pater Caecinnae Licinius adverſae valetudinis et vitae impa-

1) *Hiſt. Nat. lib.* XX. *c.* 18.

impatiens, ſemetipſum interfecit. Liberalem etiam Opii quantitatem Confectioni mithridaticae quam aſſumere conſueverat *Avicenna* ſervi ipſius admiſcuerant, vt comminanti Hero os obturarent, vnde hic perpetuo ſilentio ſopitus eos obiurgare deſiit. m) Recentiori tempeſtate Miles ille Hungarus apud *Sanctorium* n) ſeptem Opii pilulas aſſumſerat (largiorem omnino doſin, ſive opium purum ſive laudanum aliquod fuerit) a quibus deglutitis ſpiritum tanto impetu trahebat, vt paulo poſt deficeret. Eadem ratione infelici errore Nobilis ille cuius *Hildanus* meminit, o) doſes aliquot laudani, ſchedula quae vſum legitimum praeſcripſerat, per ſervum negligentem a Medico reverſum non accepta, incautus ſimul ingeſſerat; ſomno autem tam profundo corripiebatur, vt dormiendo inter vivos eſſe deſineret. Ita quoque quem habet *Williſius* p) Vir ille robuſtus cum colica atroci vexaretur, magnam Opii quantitatem nimis audax ſumſerat, a qua inter angores et deliquia viſum ſibi ademptum querens tandem interibat. Integra vero eius drachma dabatur a Fallopio Nebuloni ad mortem condemnato permiſſu Ducis Piſani quae poſt ſeptem horarum ſpatium elapſum illum enectum, cultroque anatomico deſtinatum a poena ſupplicii liberabat. q) Eodem drachmae vnius pondere iuveni miſero (cuius fatum recenſet Hiſtoria Academiae Regiae ſcientiarum Pariſienſis r.) dederant Opium ſodales compotatores, vt eum bibendo vincerent, ſolutum in vini cyatho; ſed delirus primo redditus, poſtea ſoporoſus, poſt 15. horas exſpiravit. Atque ſi omnes Opio ſubito extinctorum antea ſanorum hominum hiſtoriae quas Autores varii conſignarunt ſollicite expendantur, omnium interitum nimiis praebiis tribuendum eſſe liquido conſtabit. Dubito ego adhuc valde, an vna laudani pilula a qua devorata quosdam ſoporem adeo profundum obdormiviſſe ſcribit *Williſius* s) vt nunquam expergefieri potuerint, vna fuerit et ſufficiens mortis cauſa. Neque facile credo foeminam illam apud *Ridlinum* t) quae ad

m) *leg. Vita eius Operibus praefixa.*

n) *method. vitandi errores lib. VIII. c. 12.*

o) *de Gangraena et ſphacelo c. 24.*

p) *de Anima Brutorum Part. II. Cap. III. p. 179*

q) *de Compoſ. Medic. cap. 8.*

r) *Ao. 1735 p. 6*

s) *Pharmaceut. Ration. Part. I Sect. VII. c. II.*

t) *Cur. Med. Cent. IX. Obſ. 51.*

ab vnico grano extracti Opii cydoniati tam male ſe habuit, vt mortem inſtare metueret, et Medicum media nocte acceſſeret, vere morituram fuiſſe maxime cum ſale Volatili oleoſo fuerit adiuta, quod ego quidem congruum Opii antidotum haud agnoſco. Quodſi autem poſt acceptum hoc granum diem ſuum obiiſſet, id factum foret ſine dubio, quoniam morbo cum quo, conflictabatur, minime conveniebat, ſed illum potius graviorem et periculoſiorem reddere aptum erat. Rectiſſime Cl. *Schulzius*, Quia vltra granum vnum aſſumtum Opium lethargum accerſit, et aliquibus lethiferum eſt, factum eſſe declarat, vt in Catalogum venenorum ſolemniter relatum fuerit, ob triſtes effectus, qui conſecuti ſunt, ſi a temerariis hominibus datum fuit, ſine illis cautelis quas rectus vſus requirit. u) Sunt qui paulo largiorem doſin bene ferunt, ſunt qui doſi granum integrum non habente valde offenduntur, vix vero niſi peculiari idioſyncraſia, aut morbo praeſente adiutum vnum granum necare aptum eſt, quam vis ſymptomata periculum portendere viſa forte ingeneraverit. Apprime huc faciunt verba quae apud *Nigriſolum* in Tr. *de febre china expugnata* in Hiſtorica Opii deſcriptione ipſi inſerta habentur: *Qui Opium in venenorum cenſum referunt, concedant neceſſe habent, lethale demum evadere, ſi ſiniſter illius vſus fuerit, ideoque non meliori iure venenis accenſendum eſſe, quam optima medicamenta, imo auſim dicere ipſa alimenta, inter quae panis referendus, omnium innocentiſſimum, qui ſi citra modum ingeſtus fuerit, ſuffocationem inducere poteſt.* Adeo ſane intereſt doſes legitimas pharmacis pro corporum quibus deſtinantur indole ſtabiliviſſe, ne ex pharmaco imcomparabili venenum emergat, ſi doſis nimis extendatur; adeo vero etiam certum habetur, ipſa venena teterrima refractis et refractiſſimis doſibus adhibita, in ſumma quandoque remedia abire. Quotusquisque non horret famoſum arſenicum? quis vero neſcit minutulas doſes non raro febribus fuiſſe oppoſitas, etiam ſine damno? Ipſe certe

u) *diſſ. de Medicam. opiatis officin.* §. 3.

Illuſtris

Illuſtris *Werlhofius* quamvis id nunquam expertus, nec experiri audens nec experiri opus habens, cum ſecurior praeſto ſit Cortex peruvianus, non vult tamen alienam experientiam maxime Slevogtianam impugnare aut conviciari. x) Ergo largitur lubens, arſenicum pro doſeos determinatione induere poſſe naturam medicamenti; valdeque probabile eſt, non paucos medentum qui ſibi ſuis arcanis exigisque eorum doſibus placent, minutiſſimis atomis arſenici aliquando prodeſſe poſſe. Quam tetrum et deleterium venenum omnibus habetur Mercurius ſublimatus? interim tamen nihilominus, *ſi granum eius vnum* docente *Boerhaavio*, y) *aquae vncia dilutum fuerit, et drachma vna talis miſturae ſyrupo violaceo mitificata potatur bis terve in die, mira praeſtat in morbis multis incurabilibus.* Auſcultandum interim omnino, ſincero monito, quod ſagaciſſimus Vir adiungit, *Prudenter a prudente Medico, abſtine ſi methodum neſcis.* Haec vero non latet Eximium Gerardum van *Swieten* cuius duae epiſtolae in diſſertatione hiſtorica qua epidemicarum febrium in Lucenſis dominii quibusdam pagis deſcriptio traditur, a Ioſepho *Benevenuto*, Luccae 1754. publicata, vſum Mercurii ſublimati concernentes, habentur. In illis hoc venenum ad granum dimidium ſolutum in vncia vna Spiritus frumenti proponit, deque hac ſolutione cochleare vnum vel ad ſummum duo mane et veſperi aſſumpta, ita tamen vt magna copia iuſculum ex hordei cremore vel ſimile quid ſuperbibatur, vt certum Luis et Cancri remedium communicat. Vtinam omnes Medici bene callerent methodum exhibendi Opium, vtinam ab eo abſtinerent qui eam ignorant! Sed eam ſcientes probe non morabuntur huic nobili remedio adſperſa vituperia, cum et illi qui in genere minus magnifice de eius in medendo energia ſentiunt, vel ſub certis conditionibus id venenoſum habent, veri tamen amore ducti diſſimulare laudabilis virtutis notitiam nequeant. Scribit de Opio ea quidem ratione Cl. *Neumannus* vt non facile Lectorum aliquis

x) *Caution Med. Tract.* I. §. 16.

y) *Chemiae Part. II. Proceſſu* 198.

eundem inter ſolidos Amicos Opii ſit repoſiturus, dum periculoſiſſimum toxicum id declarare haud dubitat, ſed addit tamen nihilominus prudens, non negari interim poſſe, ex eo vnum alterumque vtile medicamentum praeparari poſſe. z) Deſtinavit in libro ſuo *de Venenis* Illuſtr. *Mead* Opio integrum caput, ſed dignum memoratu eſt, in eodem ipſum de Opio non tanquam de veneno, ſed potius vt de remedio agere. Refert Opium inter venena ſummus *Boerhaavius*, ſed quis neſcit eum in aphoriſmis practicis multoties idem illud Opium inter ſumma et vnice iuvantia remedia locare. Atque qui eidem paulo minus ac *Boerhaavius* favet *Hoffmannus*, etſi eminere in venenorum ſoporiferorum catalogo Opium affirmarat, tamen paulo poſt diſertis verbis *Equidem hiſce medicamentis* inquit *multum noxae et periculi ineſt, vt non longe a veneni natura recedant; tamen etiam omni tempore in iis magnum praeſidium ad dolores et fluxiones cohibendas quaeſitum fuit.* a) Et in diſſertatione *de Opii correctione et vſu* olim a ſe edita maſcule contra ſecus ſentientes defenderat, Opium neutiquam in venenorum claſſem eſſe referendum. Mirum certe primo intuitu et paradoxum videri debet vnum naturale corpus, ſibique ſemper ſimile a Viris praeſtantiſſimis in contradictionibus certe ſibi non placentibus, modo declarari venenum, modo iterum a veneni imputatione abſolvi. Ita tamen ſe res habet, dum ſubiecti, temporis, doſeos, morbi, differentia id remedium vel venenum facit. Ex his vero omnibus clariſſime conſtat male artis veritati et gloriae conſuli, damnaque in hominum ſalutem redundare infinita, ſi praeiudicatis opinionibus ſeducti Medici Opium vel tantum vt venenum, vel tantum vt remedium fuerint intuiti, ſineque vllo alio reſpectu tenaces ſuae hypotheſeos perſtiterint. Solus quippe vſus et abuſus id remedium et venenum facit.

z) *Lect. de Opio* p. 108

a) *Med. Syſt. Tom. II. Part. III. c. 7* p. 269.

§. X.

Multa vero et circumſpecta Obſervatione, intimiorique Operationis in Corpus humanum notitia opus eſt, vt exhibitum miſeris mortalibus aegris Opium, venenum nunquam ſaepe vero remedium ſummum, et non venenorum quorundam ſaltem, ſed et multorum morborum ſine vſu eius tempeſtivo veneni inſtar cito iugulantium, ſaluberrimum evadat Antidotum. Eapropter ego quidem illos omnes, qui vel fautores nimios, vel hoſtes nimios Opiatorum, ſtudiorum ſuorum medicorum duces nacti ſunt, nunc vero ipſi artis exercitiis ſeſe devovere aggrediuntur; candide vellem monitos, vt ſedulo illorum Auctorum Practicorum monita ſequantur, qui nec timide nec temere Opio vtendum inculcant, atque in quos adeo nullius vel amoris vel odii excedentis in pharmacum hoc ſuſpicio cadere poteſt. Hos inter *Freitagium*, b) qui laudanum ſuum omni morbo, et omni aetati, convenire multa opera probare perperam annititur, nullus numero. Ita et quo minus poſt alios miſſos commendem Celeberrimum coeteroquin *Hecquetum*, hyperbolica eius elogia opio dicata faciunt, quibus qui fidem nimis praeceps adhibuerit, vereor vt non raro voto excidat, nimiaque ſua ſecuritate et fiducia in hoc ſedans remedium rebus aegri bene conſulat. Semper puto integerrimae Arti nocuit male ſana vniverſalium remediorum commemoratio, ſive ab illiteratis prorſus hominibus, ſive a Chemicis a Medicina alienis ipſi obtruſa, ſive etiam a Medicis coeteroquin doctis praeiudiciorum illuſione deceptis, profecta. An igitur audiendus eſt Vir clariſſimus, quando ſtatim ſub initium ſui tractatus, c) in quo inter varia aperte ſibi invicem contradicentia, certe ingenioſa et verborum coloribus exornata dictio demonſtrandi ordinem et rigorem multum ſaepe ſuperat, praemittendis certe neutiquam praemiſſis, Opio virtutem generalem, certam, et infallibilem adſignat. An licet aſſerere morbum omnem cuiuscunque ingenii fuerit, quocunque nomine demum inſignia-

Auctores praecipui a quibus Opii vſus in Praxi diſcendus.

b) *Tractatu de Opio.*

c) *Reflexions ſur l'uſage de l'Opium.*

tur, nil aliud eſſe quam fervorem, impetum, motum inordinatum, turbas in corpore, firmaque ſequela repente concludere, Opium eapropter eſſe remedium quorumcunque morborum certum, quoniam omnes has turbas refraenat et
d) p. 8. 9. ſeq. inhibet? d). An ſufficit poſt impugnatum abuſum remediorum evacuantium, a ſecus ſentientibus collegis forte nimis extenſum, Alterantium Claſſi palmam decernere, atque palam aſſerere, dari in eadem ſimplex aliquod, quod in omnibus morbis certius ſuos effectus edat, quod ſit minus periculoſum, magisque vniverſale quam omnia purgantia, tale vero eſſe ſummum illud naturae opus, et miraculum Medicinae, Opium, cuius notiſſimi effectus adeo longe lateque ſe exten-
e). 67. 68. dant, vt credibile ſit, omnibus morbis illud inſervire poſſe. e) Taceo lubens plures *Hecqueti* laudes in Opium ſparſas plenis manibus iuſtos limites qui ſine exceptione omnibus remediis ſtatuendi ſunt, mirum quantum excedentes, vnum adhuc referre liceat, quod vt nil diſſimulem, in libello multam licet doctrinam ſui Autoris oſtendente, omnium maxime mihi diſplicuit. Quotusquisque Medicorum ſolidas demonſtrationes in arte ſua amans, poſtulans, et vrgens, non aegre feret, quando adeo luxurianti ſuo ingenio indulgere *Hecquetum* animadvertit, vt ſpirituoſas Opii particulas depoſitarias ſpiritus vitalis a Creatore ipſis impreſſi venditet, ipſasque cum ſe et in ſe gerere creata naturalia principia omnis oſcillationis ſtatuat, quam adeo in corpore deficientem et turbatam reſtituant, et in iuſtum ordinem dirigant. Quotusquisque *Hecqueto* ad applaudendum aſſurget, quando Arborem fuiſſe aſſerit, Arborem Vitae in Paradiſo, cui prae reliquis Creator ſpiritum vivificum indiderat, ſanitatem conſervare et mortem praeſervare aptum futurum, ſi homo in ſtatu Innocentiae permanſiſſet; forte autem ipſum elegiſſe Plantam, cui ſpiritum crediderit homini peccatori ſanitatem reddituram, ab Opio quippe renovationem potentiae in Organis corporeis, reſtitutionem deperditi ordinis in motubus

oſcilla-

oſcillatoriis, et quae ſunt reliqua, proficiſci, nilque aliud ad ſanationem requiri. Tolerari certe poſſent eiusmodi Tropi et ſchemata ſi Rhetorem ageret Cl. *Hecquetus*, Opioque Panegyricum diceret, an vero eiusmodi cothurnus Medicum deceat, atque ad remediorum operationem explanandam, eademque iuſtis vſibus accommodanda ſufficiat, aequi Lectores iudicent. Mihi vero ignoſcant has quas veri Amor extorquet, animadverſiones, Manes Hecquetiani, Viri coeteroquin omni cultu digniſſimi, qui dum viveret, Senex iam Venerabilis *Medicinam* ſuam *naturalem* f) edens, de quo vel per ſomnium haud cogitaſſem, prolixum ſuum affectum erga me tum iuvenem et tenuiſſima mea ſcripta publice teſtatus eſt. Plaudo aliis eius egregiis laboribus, ſed cum in Opio commendando ſine omni dubio nimius fuerit, melius et famae ſuae et aegrorum ſaluti conſulent, adhibitionem legitimam ab eiusmodi Magiſtris diſcere laborantes, qui largiuntur lubentes, damna graviſſima id patrare poſſe, ſed tamen ſimul vrgent, ac verbis factisque probant, ſervandum eſſe in arte vtiliſſimum hoc anodynum pharmacum. Rectiſſime monet Cl. *Schulzius* g) abſolute damnari et repudiari Opium haud poſſe, dum culpa ſaltem redundat in temerarium et imprudentem vſum, quem ſe ipſum toto animo abhorrere, diſſuadere, damnare, affirmat. Non deflectent opinor, a Via Regia in facienda Medicina, qui quae de Opio *Williſius* h) conſignavit, ſerio expendent; quoniam cautus et dexter eius Encomiaſtes, et emolumenta et nocumenta inde emergentia explanat, cautelasque practicas pro his evitandis, et illis promovendis, adiungit. Neque poenitebit vel decies legiſſe aurea ſcripta cordati *Sydenhami*, qui licet latiſſimum vſum in ſanandis morbis Opio adſignet, et Creatoris benefici generi humano bene cupientis Miſericordiam et Amorem veneratus Opium tanquam donum divinitus datum ſummis elogiis concelebret, tamen toties tempus et ordinem adhibitionis, et monita egregia ſuppeditat, quibus in caſibus illud non

f) *Medicine naturelle.*

g) *in Praef. diſſ. de remediis Opiatis officinalibus.*

h) *Pharmaceut. Ration. Part. I. ſect. VII. c. 1. et 2.*

non ſaltem nil proſit, ſed damna etiam inferat. Sonticis certe rationibus motus *Wedelius* inter fautores opii haud poſtremus, ſacram Vitae Anchoram habet Opium bene et circumſpecte agentibus, cymbam autem Charontis imperitis, inque horum manu ceu gladium in manu furioſi, cavendumque eſſe ſedulo inculcat, ne narcotica fiant necrotica.[i] Dedit haec convictio Cl. Viro anſam vt *Opiologiam* ſuam conſcriberet, ancipitis huius pharmaci ingenium, vſum et abuſum eleganter exhibentem, Practicisque Medicis vtiliſſimam. Non reticendus hic a me eſt Celeb. *Pitcarnius*, qui non ſaltem agendi modum Opii indagavit ſedulo, ſed et ipſum methodo medendi egregie applicuit, atque in *Elementis Medicinae* in quibus morbis potiſſimum, et quo tempore hoc remedium exhibendum ſit accuratius edocuit. Iisdem laudibus mihi exornandus venit Alexander *Thomſon*, cuius elegantem de Opio diſſertationem qui legerit attentus, praeter Theoretica inveniet multa in Praxi certe vtiliſſima, ſcietque convictus, vbi audacter porrigi id debet, vbi abſtinuiſſe ab eodem conſultius habendum. Bona quoque circa vſum nonnulla habet qui in Tractatu de ſomno et ſomniferis ſimul practice de Opio ſcripſit Olaus *Borrichius*. Ita et *Ridlinus* in *lineis medicis*, *curis medicis* et *obſervationibus medicis* paſſim Opium multum egregii praeſtare teſtatur, ſed tamen etiam paſſim limitandum vſum dicit, et in praxi ſalubres cautelas ſubminiſtrat. Meretur porro evolvi Cl. *Bohnii* liber bonae frugis pleniſſimus *de officio Medici duplici* capite *de doloris mitigatione* tantoque diligentius praecepta eius in ſuccum et ſanguinem convertenda ſunt, quo magis vtramque faciem Opii perſpexit Vir Doctiſſimus, ita vt ſincerus pronunciaverit: *Vt Opii vim ſedativam quotidie ſalutarem experimur, ita et virulentiam illius narcoticam, quam paulo largior et repetitus vſus praeſtat, non raro lugemus.*[k] Idem ipſum pulchre ſciens Magnificus de *Berger nullum ſaepe maius* ait[l] *ab alio remedio auxilium neque periculum in vllo remedio*

i) p. 141.

k) p. 640.

l) *diſſ. de vi Opii rarefaciente p. 5.*

medio maius, quare ipſe laudabilem navavit Operam, vt operationem Opii accuratius enuclearet, atque ex eadem cognita ſub quibus conditionibus id corpori humano vel proſit, vel noceat, liquido deduceret. Fere oblivioni dediſſem Michaelem Aloyſium *Sinapium*, qui tamen omnino laudari debet, quod in Tractatu ſuo *de remedio doloris ſeu materia anodynorum, nec non Opii cauſa criminali in foro Medico*, m) Opium quidem extollat, et Aletophilum Advocatum conſtituat, cauſam eius acturum, ſed tamen etiam eius vitia ingenuus confiteatur, et Medicorum illorum imperitiam accuſet, qui Opio idololatricum deferunt honorem, et panaceas inde conficiunt, legesque tandem circa vſum a Magiſtratu Medico promulgatas ſuppeditet. Non autem magis accuratam et magis fidam manuductionem aliquis facile obtinuerit, quam quae traditur ab Illuſtr. *Boerhaavio*, cuius quidem ab odio et amore in medium veritatis tramitem perinde recedens affectus integerrimum Virum impulit, vt quam ſolertiſſime in morbis curandis caveret, ne aegrorum ſaluti vel omittendo vel exhibendo Opium deeſſet, quare illius vſum magna circumſpectione prae multis aliis definivit iuſtosque limites ipſi ſtatuit. Huius praecepta firmata ac perſpicua methodo explicata dedit Illuſtr. Commentator van *Swieten* aſſidua opera longoque tempore mentem Praeceptoris edoctus, quique adeo in ſplendidiſſimo ſuo Opere nullam occaſionem indicare oblitus eſt, qua nata paregoricorum vſum ex caſtiſſimae artis legibus adhibere, vel intermittere praeſtat. Devenio tandem ad magnum meum Praeceptorem Venerabilem *Hoffmannum* non ſine cura mihi nominandum. Non nocebit aegrorum ſaluti facile, eius cautionibus qui fuerit inſtructus, quin dum ipſe ardenter optavit, quidam Medici celebriores in depraedicandis Opii laudibus fuiſſent parciores, n) ac quoties de eodem tractat, fuſius propemodum damna quae inferre aptum eſt, quam proſperos effectus enarrat, o) nimia fere puſillanimitate in adhibitione huius pharmaci laboraſſe videri poterat

m) *pd. Amſtel.* 1699.

n) *Med. Syſt. Tom. II. p.* 275

o) *e. g. T. II. Part. II. c.* 7.

rat

rat iis, qui audaces pauliſper iuvamen in medela morborum Opio committere conſuevere. Bene etiam hoc ipſum perſpexit *Hecquetus*, inter praecipuos Fautores Opii eminentem locum occupans, qui de Fama Hoffmanni ſatis perſuaſus, atque calculo ipſius non libenter carere volens, ſatis artificioſe omnes dehortationes Optimi Viri, non niſi temerarium abuſum reſpicere, aut male ad ipſum delatis alienorum experimentorum denunciationibus niti aſſeveravit. p) Sed certum eſt, et mihi diſcipulisque aliis Hoffmanni omnibus notum, nunquam fere illum confugere ſolitum fuiſſe ad Opium, niſi vrgente magna neceſſitate, deinde eum Correctionem Opio neceſſariam iudicaſſe, correcto vero opio egregias virtutes paſſim adſignaſſe. q) Porro etiam vix Medicorum quempiam latere poteſt, ab eo tempore quo in Vitriolo eiusque oleo dulcificato ſulphur anodynum is quaeſivit, atque liquorem ſuum anodynum mineralem invenit, eum fere parcius Opium praebere ſolitum fuiſſe ac antea, id quod et fatetur ipſe, r) quodque Lectoribus Medicinae Conſultatoriae facile perſpicuum evadere debet. Interim tamen nihilominus verum eſt, *Hoffmannum* licet effuſiore amore Opium complexus nunquam fuerit, tamen id neutiquam parvi aeſtimaſſe, ſed laudaſſe ſuo loco, et ea quidem tempora vbi nil iuvat, ſi iuvamini locus, quam Opium, probe perſpecta tenuiſſe. Scilicet quod dixit *Valentini*: Quando debita doſi, debitoque tempore illud datur, incomparabilis Medicina eſt, s) hoc *Hoffmanno* erat artis Opus, et arcana medendi methodus. Eapropter etiam omnia in eius operibus dogmata Opium ſpectantia ponderaſſe quam diligentiſſime fructuoſum erit, atque tum maxime intrepide ad ſummum hoc remedium accedere conſultum habebitur, quando indicari illud a circumſpecto adeo medico inculcatur. Nullibi autem in compendio eius adhibitionem magis accurate determinari novi, quam in Monitis Medicis Illuſtr. Richardi *Mead*, quae eapropter plus ſimplici vice vel ſolius huius

p) *reflexions ſur l' Vſage de l' Opium p. 362. ſeq.*

q) *praecipue diſſ. de Opii Correctione et Med. Syſt. Tom. III. p.* 574.

r) *Med. Syſt. Tom. III. p.* 575. *et Tom. IV. Part. II. p.* 390.

s) *Muſ. Muſ. p.* 272. §. 6.

huius pharmaci intuitu pervolvenda credo. Varia etiam apprime vtilia hinc inde habet *Pringle* cuius ductum ſecutum fuiſſe neminem Practicorum poenitebit. Multo autem plura legi poſſunt apud Cl. *Young* quae eximio fructu ſeſe apud aegrorum lectulos commendatura ſunt. Docet enim Vir Clariſſimus ea omnia ſolerter et candide, quae per 30. annorum Praxin quoad bonos et triſtes effectus in morbis variis ab opio vidit. Summam attentionem merentur eius dehortationes memorique mente tenenda eſt eius regula paradoxa licet apparens primo intuitu, Saepe adeo in ſumma agrynia et in ſummo dolore, vbi plurimi opium quammaxime requiri reputant, opium eſſe quammaxime damnoſum. Habeo adhuc duas diſſertationes quas prae aliis laudare debeo, vnam Halae ſub Illuſtris *Buchneri*, alteram Ienae ſub Cl. *Hambergeri* Praeſidio de Opio habitam; vtraque multa complectitur iis ſcitu vtiliſſima qui hoc remedio vt decet vti voluerint. Supereſſent quaedam alia ſcripta Doctiſſimorum Virorum hic loci afferenda, quae tamen ne nimis prolixus ſim ſilentio praetereo, nil interim eorum bonitati detrahere cupiens.

CAPVT II.

Phoenomenorum omnium ſuccincta Recenſio, quae Opium aſſumtum in Corpore humano inſequuntur.

§. I.

Inſtituti ratio, et fundamentum totius Operis, perpetuis Experientiis nitens.

Ego quidem in eo memet ipſum felicem praedico, quod mature ſatis et dum primas manus praxi medicae admovebam, ab odio et amore Opii aeque recedens miſſis illis, qui ad praeſtabilitae ſuae hypotheſeos leges, eius virtutes et vitia revocant, ac detorquent, hos potiſſimum Autores

res legerim, et relegerim, pro vſu huius remedii addiſcendo qui id nec nimis vituperant, nec nimis laudant. Ita nempe cautus vtrinque vitare ſcopulos didici, atque dum per DEI gratiam nemini dato Opio Autor funeris fui, tamen etiam ſimul methodum detexi, curandi affectus ſonticos, quos in humanae ſalutis ſuaeque famae magnum detrimentum intactos et haud ſanatos relinquunt Practici Cunctatores, et iurati Opii hoſtes. At vero lectioni variorum ſcriptorum intentus animadverti ſaepe cum dolore, ne quidem inter illos, qui ſapienter prae reliquis circa Opium ſeſe geſſerunt, ſive morbos et eorum tempora, ſive remedium ipſum, actionemque eius, ſive alia ſpectes, conſenſum dari et ſententiarum amicitiam; ſed Viros graves interdum aliis non minori fama celebribus, et interdum adeo ſibimetipſis aperte contradicere. Igitur optavi diu, quemadmodum in Praefamime huius laboris iam faſſus ſum, cognoſcere principia certa et fallere omnino neſcia, Theoriae et Praxi dextre adaptanda, quorum ope tutum me ab erroribus omnibus praeſtarem; atque ad quae methodum medendi quorumcunque, ac placita quorumvis revocans, ſimplicem Veritatem vt alibi ita et hic ſolis Magnorum Virorum Auctoritatibus neutiquam nitentem eruerem, et ſtabilirem. Multoties me detinuit magnamque voluptatem legenti peperit Oratio incomparabilis qua Cl. *Pitcarnius Medicinam ab omni Philoſophorum Secta eſſe liberam*, oſtendit, atque quam vellem videre artem adeo repurgatam, et in id faſtigium elatam, quo illam deduci debere Vir doctiſſimus monet, vt Vitae mortalium ſanitative melius conſulatur. Poſtulat certe iure, vt in Medicina vel facienda vel docenda, nil pro vero affirmetur, de quo vsque adeo ſumus incerti. Ergo non licere aſſerit, vt in Medicina id pro Principio adhibeatur, de quo diſputant Viri et mathematice docti, et minimis praeiudiciis irretiti. Cauſarum phyſicarum inveſtigationem adeo Medicis neque vtilem, neque neceſſariam eſſe contendit; t) ſed iis incumbere ſaltem ait, vt vires medica-

t) §. 4.

medicamentorum et morborum quae per operationes poſſunt inveniri expendant, et ad leges revocent, non autem vt cauſis phyſicis eruendis inſudent. u) Ex eo errore factum eſſe queritur, quod Ars Medica per tot ſecula manſerit inculta, et coniecturis deturpata. Quo autem emendetur illa, et cultior reddatur, conſilium ſuppeditat vt Medici imitentur Aſtronomos, qui non opiniones adſciſcunt in ſuam artem, et fabulam de Mundo condunt, ſed obſervationes longa temporum et locorum intercapedine diſſidentes, motuum coeleſtium phoenomena conferendo, vires illas definiunt, quibus corpora mota ad alia mota, vel immota contendunt. Eadem ratione affirmat, incumbere Medicis, vt obſervationes quae inſtitutae ſunt, et vbique inſtituuntur, circa morbos morborumque auxilia conferant, et nulla habita ratione opinionum quae ſenſu perceptis certitudine cedunt, ex eo quod fieri ſolet, quid futurum ſit, quid faciendum colligant. x) Concludit tandem, in Medicina tractanda nihil eſſe adhibendum pro Principio, quod non tam certum ſit, ac ea quae in ſenſus incurrunt. Atque praeter Pitcarniana haec a longo inde tempore animo quoque fixa haeſerunt, cum iis prorſus conſpirantia Cl. *Baglivi* Conſilia, y) Aſtronomorum veſtigiis inquientis inhaerere deberent Practici, in efformandis morborum hypotheſibus. Hoc efficient, ſi prius idioma didicerint, quo natura loquitur, et modos quibus eadem exprimitur, id eſt longam in obſervandis iuvantium et laedentium eventibus exercitationem. Ego quoties horum contemplationi immerſus eram, faciemque adeo modernam cultioris noſtrae Medicinae Practicae deſideratis Pitcarnianis et Baglivianis comparabam, eheu quam longo intervallo ipſam adhuc remotam conſpexi, ab ea certitudine, quae poſtulatur a laudatis ſapientiſſimis Viris, vt ars haberi promereatur. Sive vero fiduciam mihi naſci ſentirem, fore vt poſt tot exantlatos Praeſtantiſſimorum Hominum labores quibus omnino longe cultior reddita eſt, etiam poſt fata Baglivi et Pitcarnii, quam fuerat

u) §. 5.

x) §. 7.

y) *Lib. I Prax. Med. c. XII.* §. 8.

elapſis ſeculis, maiora quoque incrementa etiam in poſterum caperet; ſive deſperarem vt vnquam ad ſublime illud culmen eveheretur, quo his ducibus Viam monſtrantibus evehenda eſt, perſpexi tamen illico, ſaltem hac vna incedendum eſſe, cum nonniſi huic ſoli methodo acceptum referre debeat, quicquid certi hodie poſſidet. Vtilis mihi non ſemel fuit horum omnium toti Medicinae proficuorum, ad ſpecialiores veritates inveniendas, diiudicantas, et ab hypotheſibus ſegregandas applicatio, adeo quidem, vt et morborum quorundam ingenium et medicamentorum multorum facultates, felicemque et ſiniſtram eorum adhibitionem inde intelligerem rectius. Cumque heroicorum vires quae ſi non iuvant, certo certius nocent, quaeque ſola iuvant, quando indicantur, et omiſſa morbos fortuito eventui relinquunt, eo accuratius noviſſe, et morbis exacte cognitis dextre oppoſuiſſe expediat, ſaepius certe in votis habui Pitcarniana methodo per omnem Praxeos medicae campum Vſum Opii accuratiſſime poſſem ediſcere. Atque illius methodi probe tenax, denuoque lectioni ſcriptorum huc facientium intentus, facili negotio commenta et errores circa hoc remedium vna cum eorum fontibus perſpexi, veritatesque practicas et obſervationibus multorum aliorum et meis conſtanter ſibi ſimilibus enatas, agnovi et digeſſi, tandemque in vſus privatos eas in ſyſtema quoddam vires Opii in omnibus morborum generibus complexurum, redigere decrevi. Forte autem imparem me habuiſſem Operi, abieciſſemque animum, et difficultatibus hinc inde obviis deterreri me iterum paſſus eſſem, niſi bonis avibus incidiſſem in Illuſtr. L. B. de *Wolf horas ſubſecivas Marpurgenſes* atque ibidem inveniſſem eadem eximia dogmata[z]) quae calcar omnino mihi addere debebant, vt initum ſemel conſilium proſequerer ſtrenue. Fuſius nimirum eo loco quem magno in pretio habitum adeo lubenter meum feci, de Medico Aſtronomos imitante agens Pitcarnii conſilia explicat Vir ſummus, et quam ampla vtilitate ſeſe commendare

z) *Anni* 1729. *Trimeſtri brumali.*

dare apta ſint, oſtendit. Aſtronomia inquit nata eſt ex obſervationibus, quae ſe offerebant omnium oculis etiam Vulgo et obſervationibus communibus, diligenti attentione et contemplatione repetita inſtitutis. Ex his omnis Aſtronomiae evidentia, namque ex iis, vocatis in ſubſidium principiis aliis veluti geometricis et opticis, collegerunt Aſtronomi, quae legitima ratiocinandi forma inde conſequuntur. Hac via incedentes problemata ſolvunt, dum ſufficientia data quae ſupponebantur, praeſto ſunt. Medicina eiusque incrementa ortum habet ab obſervationibus, nec quicquam boni ſperandum, ſi hypotheſibus indulgeatur, et a priori deducere quis voluerit, quae ad illam pertinent, cum a poſteriori ſaltem latens Veritas poſſit erui. Quodſi ergo Medicus Aſtronomum imitari velit, de quocunque Obiecto ad artem ſalutarem ſpectante veluti de morbo quodam (addo de remedio, eius effectu, et ad morbum habitudine) primum colligere debet obſervationes communes, ſive obvias, quae quaſi ſponte ſua ſe offerunt, et obſervatoris oculos perſtringunt. Nec obſtat obſervationes eiusmodi iam dudum ab aliis fuiſſe annotatas, imo ipſi vulgo cognitas. Ex his autem obſervationibus repetitis, vocatis quoque in vſum et ſubſidium principiis aliis, legitima ratiocinandi forma debet colligere, quae inde ſequuntur, neque admittere debet, niſi quae citra paralogiſmum ex obſervatis inferuntur. Illa autem principia in ſubſidium vocanda peti debent ex Anatomia, Phyſica, et Chymia. Ea ſi adhibuerit Medicus, non eſt quod ſuſpecta habeat, quorum Veritas a poſteriori longe clariſſime patet. Hisque ſolis praeſidiis habebit Medicinam ab hypotheſibus noxiis liberam, Theoriamque et praxin nequaquam his ſuperſtructam. Natae ſic Propoſitiones determinatae perpetuo dein cum vlterioribus oſervationibus conferendae, donec conſtet conſtans Experientiae conſenſus. Ceſſabit tunc diſſenſus ſententiarum, errores detegentur, et ingenue agnoſcentur, ſolidaque conſtabit Veritas, ac pra-

xeos firmum ſtabilietur fundamentum. Bono conſilio excerpſi, et contraxi cogitata Wolfiana, vt lectoribus meis pateret, quales mihi leges olim ſanxerim Opii vſum legitimum cognoſcere exoptans. Inculcavit eas mihi denuo. et ſua propria agendi ratione ob oculos poſuit Illuſtr. ab *Haller* a) qui vnicum ad verum tramitem: Experientiam agnoſcens, eodem ſtrenuus et aſſiduus in inveniendis abditis et abſtruſis naturae actionibus inceſſit hactenus, atque nobiliſſimo Exemplo diſcipulis praeivit. Tali igitur methodo, quam vnice valentem declararunt Eruditiſſimi Viri, iam Opium et eius vſum aegris ſalubrem et noxium exponere Tyronibus Artis Medicisque nonnullis, forte nondum ſatis in rite adhibendo hoc remedio verſatis, decrevi. Scilicet poſito omni Auctoritatis praeiudicio, et primo quidem miſſo omni reſpectu ad morbos quosdam, eorumque medelam, miſſis adeo fin bus ſingulis quibus dicari poteſt remedium a medente, ante omnia ſaltem inquiram quales mutationes edat in Corpore humano Opium quacunque etiam intentione exhibitum, imo vero ſi vel ſano homini exhibeatur. Illas mutationes, illa phoenomena in ſenſus incurrentia, illos effectus exhibitionem ſequentes, diuturna et Conſtantini experientia cognitos, ante omnia ſimplex ſaltem et fidelis Hiſtoricus enarrabo daboque ſimul operam, vt conſentientibus diverſiſſimarum Regionum diverſarumque aetatum Medicis obſervationum harum inconcuſſa veritas conſtet. De hac vero tanto minus vlla ratione dubitandum erit cum obſervationes ipſae, aut iam ſatis animadverſe eſſe queant a Practicis omnibus, aut ſi obiter habitae ſint ab iis qui iſtuin finum ſolum tantum reſpiciunt; cui Opium dicarunt, omnes caeteros effectus ſive proſperos ſive ſiniſtros homini praetervident, inpoſterum facile animadverti poſſunt cum aeque ab amicis ac Oſoribus Opii neceſſario admitti debeant, experientia perpetua vtrosque convicente. Sicubi autem eiusmodi effectus occurrerint quos a nonnullis in dubium vocatos ſcivero, aut vbi ob

a) *vide eius epiſtolam diſſertationi de ferro ſanguinis humani Goettingae habitae annexam*

vitia

vitia in experiundo commiſſa contrarios a me memorandis vrgeri intellexero, nil ego dubii in medio relinquam, ſed id agam laborioſiſſime, vt effectus veri ab imaginariis diſpeſcantur, hique refellantur experientiis omni exceptione maioribus, illi autem harum ope et conſenſu ſtabiliantur quam firmiſſime. Deinde vero vocatis in ſubſidium phyſicis, chemicis, anatomicis et mechanico-hydraulicis principiis allaborabo vt modus quo opium illas enarratas mutationes ſeu effectus omnes in corpore vivo evenire faciat, quantum poſſibile eſt clarus reddatur. Atque omni huic operae deſtinabitur locus in Tractatus mei quem paro Parte prima. In ſecunda poſtmodum accedam ad diverſa morborum genera, ſuppeditaque notione eorum genuina phyſico mechanica applicabo Opium ad Praxin clinicam, vſumque dextrum eius et ſiniſtrum commonſtrare annitar, ita quidem, vt effectus ab illius adhibitione per obſervationes conſtantes in corpore emergentes, cum indicationibus therapeuticis in quovis morbo comparem, atque an his illi reſpondeant, an minus, ac curatiſſime indicem. Hac ratione errores in medendo evitare docebo, caſus omnes in quibus felix remedii vſus ſperari poteſt indigitabo ac ſententiarum circa haec momenta divortia componere annitar. Aliqua mihi naſcitur fiducia, me ita incedere in animo habentem non inanem operam inpenſurum, maxime cum ipſum *Hecquetum* b) largiri videam dari omnino methodum aliquam circa vſum Opii, hancque non niſi ſequelam eſſe obſervationum conſtantium, quarum ope Medicus vitare diſcit ſiniſtros eventus interdum evenientes. Faxit DEVS vt in ſui gloriam, et generis humani commoda, ſcopum praefixum attingam feliciter!

b) *p.* 208.

§. II.

§. II.

EXPERIENTIA I.

Opium exhibitum Pulſum Cordis et arteriarum, adeoque omnem circuitum humorum intendit, et accelerat.

Contrarium falſo aſſerentes Auctores.

Huius Experientiae veritatem Obſervatio ſolers iis omnibus qui in experiundo ſat attenti et cauti incedunt, reddere debet omni exceptione maiorem, quanquam non ſine dolore contrarium tueri videar Celeberrimos quosdam Viros, a quibus id minime expectaſſem. Patet ergo, iam in ipſo laborum meorum quos aggredior, initio, quam ambigua ſint et dubia medentum de Opio dogmata, imo vero quam ſaepe falſa, cum ne quidem omnes conſentiant, quod id pulſum acceleret et vegetiorem faciat, licet hoc ipſum digitus vniuscuiusvis experiri per millenas occaſiones obvias facile quaeat. Praeiudiciis potius a veteribus derivatis, vel Opinionibus etiam modernis decepti, aut ex ſyſtematis ante obſervationes conditi ſequelis lapſi, egregii coeteroquin Medici haud pauci, affirmare non dubitant, tardiores ictus pulſuum et debiliores percipi, poſtquam homini propinatum fuit Opium. Inter veteres papaver et hyoſcyamum bibentibus rarum eſſe pulſum perperam iam dixit *Aurelianus*, c) ac in ea ſententia fuerunt Graeci fere omnes, vt in ſequentibus ex eorum placitis paſſim adducentis colligere et clarius perſpicere dabitur. Inter neotericos autem *Williſius* durante Opii energia pulſum de crebritate ſua remittere, et nonnunquam ſubito debilem evadere perhibuit. d) Non minus Civis eius *Sydenhamus*, ſanguinis motum Opio retardari putat, tractatione de variolis confluentibus et alibi. Deinde etiam *Rammazzini* in ſoporatis ab Opio pulſum exilem et tardum ſe deprehendiſſe notat. e) Porro *Ettmüllerus* de Opio memorat, quod ſanguinis in orbem motum ſedatiorem ſuo vſu reddat, cum pulſus exinde factus rarior et tardior, quam ante exhibitionem fuerat, quietiorem ſanguinis circuitum innuat. f) De homine qui per errorem Opii grana tria cum dimidio aſſumſerat, dum varia phoenomena oborta recenſet *Schelhammerus*, quae in ſequen-

c) *de morb. acut. Lib. I. c. 4.*

d) *Pharmaceut. Ration. ſect. VII. c. I. p. 183.*

e) *de morbis artificum Cap. XX. Opp. p. 570.*

f) *diſſ. de vi Opii diaph. Cap. I. §. 3.*

ſequentibus aliquoties mea faciam, tertia ab aſſumtione hora elapſa, qua illa phoenomena iam diſparere ſenſim incipiebant, pulſum ſenſim ſumſiſſe incrementum dicit, qui ab initio ſuppreſſus fuerat. g) Omnia haec Virorum coeteroquin Doctiſſimorum aſſerta omnino falſa, me non multum moverent, ſed aerumnoſus plane et dolens video communi errore etiam abreptum fuiſſe Venerandum mihi ad cineres Praeceptorem *Hoffmannum*. Etenim non ſaltem in diſſertatione quadam huc ſpectante, h) Opiata motus vitales cordis nempe et arteriarum valde ſiſtere, et circulationem ſanguinis debiliorem et languidiorem reddere ſcripſit; ſed et poſt multos annos ab ea edita elapſos, eandem ſententiam ſibi adhuc animo haerere teſtatus eſt, quando in *Medicina ſua ſyſtematica* i) et in genere ſtupefactiva ſanguinis circuitum languidiorem efficere, et ab Opiatis in ſpecie haud dubia experientia teſte pulſum languidum, depreſſum, ſedatiorem, ac parvum fieri affirmat. Conſentit Hoffmannianis aſſertis Illuſtr. *Richterus*, k) praeter Opium et venae ſectionem vix habere quippiam Medicinam teſtatus, quo certius et velocius motum vitalem extinguat. Singularis autem prorſus et minus expectata eſt ſententia *Stentzelii* l) qui de cortice peruviano paroxiſmum febrilem inhibente verba faciens, illum habere particulas ait ad naturam Opii proxime accedentes, hincque eſſe quod ſyſtolen cordis temperet. Neque alienus eſt ab eiusmodi opinione *Hecquetus* m) quando Opium vniverſali conſenſu moderari ſaltus et tumultus ſanguinis, huiusque impetum inhibere ſtatuit. Dari quoque Opiata poſſe ad minuendam cordis contractionem arbitratur *Lindeſtolpe*, n) qui vt *Stentzelius* in peruviano cortice vim opiatam agnoſcit. Non minus *Geoffroy* o) ſibi perſuaſum habuit, quod Opium ſanguinis motus efferos compeſcat, et pulſum arteriarum magnum et elatum, ſimul vero etiam tardum efficiat. De accelerato motu humorum agens de *Gorter* p) ſi is reſtet ablata etiam cauſa ſtimulante quietem inducendam eſſe dicit nar-

g) *Ephem. N. C. Dec. II. de V. obſ.* 12.

h) *de Opiatorum mechanica operandi ratione* §. 9. *et alibi.*

i) *Tom. II. Part. II. Cap. VII.* §. 3. 4. *et* 16. *in ſcholio et Tom. III. p.* 537.

k) *diſſert. de ſalutari frigoris in Medicina vſu p.* 16.

l) *Taxicol. lib. I. p.* 63. §. 62. *Sed et Aquinut iam analogiam dari reputaoerat inter Chinam et Opium Vide Nigriſoli Febrem China Chinae expugnatam p.* 53.

m) *Reflexions ſur l' Vſage de l' Opium p.* 8. 9.

n) *de Veneris c. XVII. theſ.* 30. *et* 45.

o) *Mat. Med. lib. II. p* 6[illegible]5.

p) *Comp. Med. Tr XLVI.* §20

 coticis

coticis et Opiatis. Recentiſſimo tempore Robertus *Whitt* ab Illuſtri *Hallero* q) allegatus, cordis irritabilitatem Opio aboleri reputavit, deſideratiſſimusque *Hahnius* r) meus *in Hiſtoria Podagrae Eminentiſſimi Cardinalis de Sintzendorff* validos pulſuum ictus ſemper ſe pilulis de cynogloſſa compeſcuiſſe enarrat. Praeter hos Cl. *Degnerus* s) de Opii veneno notum eſſe dicit, quod motus ita ſimpliciter in corpore inhibeat, vt ne quidem vlla ſenſibilis mutatio vel corruptio phyſica animadverti queat, praeter eam quam ex ſimplici defectu motus ſanguinis circulatorii ſequi neceſſum eſt. Addo adhuc Cl. *Hebenſtreit* t) qui Opio motum humorum vitalem ita opprimi poſſe aſſerit, vt vera mortis imago ſiſtatur vivente tamen aegro; quandoquidem ad vitam minimus ſanguinis circulus eiusque circa cerebrum et cor motus ſufficiat. u) Et alibi Opium ſub parvo volumine venenum eſſe, quo vis vitae pereat, et humorum motus ſiſtatur, aſſeverat. Videtur haec ad ſenſum deduxiſſe Cl. *Alſton*, x) qui microſcopii ope in pede Ranae cuius ventriculo ſolutionem aquoſam Opii ad aliquot guttas indiderat, immutata craſi ſanguinis, celeritatem tamen eius ſueta vltra dimidium minorem, quam in his animantibus eſſe ſolet, auctam vero ſenſim cum debilitata Rana vires iterum reciperet obſervavit. Eidem Ranae aqua frigida refectae dupla pars opii deinceps fuit indita, motus vero ſanguinis qui adhuc magis lentus, quam prima vice potabatur, ad quietem plenariam, et intra quadrantem horae in ipſam mortem vergebat. Ita et Cl. *Whytt* y) ſolutionem Opii Ranae ventriculo iniectam effeciſſe refert, vt Cor quadruplo minore celeritate ac antea moveretur. Non ſatis dolere poſſum, quod Whyttianus his ſeſe induci paſſus ſit Vir ſummus *Gerhardus van Swieten*. Namque probare ea putat, opium in refraenando motu cordis ſuam exercere efficaciam, et eapropter id in haemorrhagia vteri vt vita debiliſſima maneat, non dubitat commentare. (Comm. T. IV. p. 506)

§. III.

Cauſae huius erroris eius-

Ego vero omnes illos Clariſſimos Viros de quibus locutus ſum, et ſi forte plures ſuperfuerint idem ſentientes, niſi aſſerta

ſua

q) *Diſſ. de partibus ſenſibilibus et irritabilibus.*

r) *p.* 18.

s) *de dyſenteria biblioſa Cap. II. §.* 73.

t) *Anthropolog. forenſ. p.* 170.

u) *l. c. p.* 511. *in fine.*

x) *Act. Edinb. Vol. V. Part. I. Art. II. ſect. III. §. 7.*

y) *Nova Act. med. Edinb. Vol. I. Art. XIX. §. 3. Vid. Haller Phyſiol. Tom. V. p. 608. vbi plura Whyttiana placita de retardato motu cordis per Opium citantur.*

ſua debitis conditionibus incluſa et limitata velint, minus recte ſentire obſervatione iugi et nunquam fallaci convictus fui, quoties pulſum Opio exhibito vere increſcentem et celeriorem redditum, attente proprio digito exploravi. Veteres equidem mihi contrarios non valde moror, nam de mira qualitate Opii, quam ſibi finxere, quaque ſibi ipſis impoſuere, in ſequentibus acturus ſum. Recentiores autem omnes quos citavi Auctores, eapropter deceptos credo, quia Opium mediocri etiam praebio porrectum, poſtquam antea vitale flumen celerius proiecerat, tandem languorem circuli finita ſua operatione relinquit, id quod fere ſemper accidere ſolet, quando in corpore noſtro qualicunque de cauſa vltra naturalem celeritatem evectus pulſus ipſo ſuo curſu feſſus tandem quaſi redditus eſt. Deinde quoque eapropter hallucinati ſunt quia doſes maiores temeraria manu porrectae, aut plures mediocres crebro nimis exhibitae poſtquam perniciſſimos ictus pulſuum ab Obſervatoribus non ſatis attentis praeterviſos excluſerunt, tandem brevi ante mortem ipſam, vel in vitae periculo ad quod hominem adduxere, pulſum exilem et tardum poſt ſe trahunt. Sat vero frequens etiam et forte praecipua erroris cauſa videtur Obſervatio perpetua tot motuum exorbitantium Opio conſopitorum, vnde ſine dubio nimis praecipites, neque ſatis ſolliciti, an id etiam de pulſu valeat, cum *Hecqueto* [z]) concluſerunt multi Opium agere vniverſaliter in omnes motus corporis, atque illos brevi tempore pacare, et magis tranquillos reddere, quemadmodum et *Ettmullerus* [a]) Opium quaevis in republica noſtra microcosmica turbata pacatiora reddere, et quosvis humorum motus cohibere edixerat. Haec ſane vis ſedans Opii perperam vniverſalis habita, adeo alte multorum Medicorum animis inſedit, vt quanquam hoc falſiſſimum exiſtat, ad ipſos motus vitales, et ſanguinis circuitum male extenſa ſit. Vt vero denuo ad ipſos huius ſententiae patronos accedam, *VVilliſius* certe de pulſu crebriori per Opium minuto loquens, et non bene memor eorum, quae paulo ante ſcripſerat, de actione huius remedii, dicta a me niſi fal-

que confutatio.

z) *p.* 28.

a) *diſſ. de Vi opii diaph. in praefatione et Cap. I.* §. 2.

b) *Pharmaceut. Rat. Part. I. ſect. VII. Cap. I. p.* 180.

lor confirmat. b) Namque expreſſis verbis, quae notari volo, maiori doſi datum Opium ſpiritus cerebelli incolas etiam perimere, motum cordis labefactare, pulſumque debiliorem efficere, aliter autem modica doſi tantum ad ſpiritus cerebri pertingente ſenſus externos et internos quidem ab eo ligari, pulſum vero ſolito ritu peragi notat. Quanquam vero nec hoc veritati reſpondeat, cum pulſus poſt Opium aſſumtum haud ſolito ritu peragatur, ſed potius vere celerior et fortior reddatur, ac ante Opium fuerat, ſufficit tamen, *VVilliſium* largiri, nonniſi maiorem Opii doſin inhibere pulſum, quod ipſum ego lubens concedo, modo mihi concedatur, et a minuta et a largiori celerem et celerrimum praeceſſiſſe, antequam debilis micaret. *Rammazzinum* quod attinet hic quidem in ſoporatis ab Opio, pulſum tardum deprehendit; Eum vero de talibus, qui amplius aut plane non, aut aegre expergefacti ſunt, loqui credibile eſt, cum pulſui tardo alia phoenomena iuncta enarret, pallorem nempe, faciem cadaveroſam, et extremorum frigus, quae omnia nunquam Opium niſi intempeſtive aſſumtum, ad mortis periculum adducens, et vere occidens inſequuntur. Meque pulſum tardum in ſoporatis ab Opio a Rammazzino commemoratum ita vt feci explicantem, minime falli, clariſſimum reddetur in ſubſequentibus, quando in Experientiae ſecundae contemplatione occupabor, et alium locum Cl. Viri adducturus ſum, qui pulſum ab Opio celeriorem et fortiorem redditum aperte probat. Pro *Ettmullero* nil habeo quo eius lapſum excuſem, quomodo autem probatum dabo falſam fuiſſe experientiam *Schelhammeri* adeo diſertis verbis expreſſam? Videtur mihi certe mangni ponderis oppoſitio formari contra eum poſſe, quod non praeciſe dicat, primis horis poſt vſum Opii pulſum fuiſſe nonnihil ſuppreſſum, ſed quod antea recenſeat hominem morti proximum fuiſſe, et poſt hoc phoenomenon obſervatum demum adiiciat pulſum ab initio ſuppreſſum ſenſim ſumſiſſe incrementa. Sane quia primis horis adfuit ſiccitas oris, videtur et adfuiſſe

calor

calor et motus circuli auctus. Deinde praeiudicio plenum fuiſſe *Schelhammerum* quoad languorem circuli patet, quoniam homini ab Opio in vitae periculo verſanti aquam apoplecticam ſpirituoſam propinavit verae actioni Opii clariori ſenſim in his ſchedis evaſurae, minime contrariam. Lubentiſſime abſolutum vellem ab errore meum *Hoffmannum*, ſed nimis aperte et repetitis vicibus de pulſu debili et tardo ab Opiatis loquitur, ſaltem loco ex *Medicina Syſtematica* allegato addit verba *praeſertim immoderatius vſurpatis*, vt adeo quadantenus mitigari ſeſe eius aſſertum patiatur. Forte quia hoc loco de Opiatis non vt medicamentis, ſed vt venenis agit, ad venenoſam actionem magis reſpexit quam medicamentoſam; namque quando vel intempeſtive vel largiter datum Opium in venenum degenerat, et necat, periculum ſummum et mortem non infert antea, niſi pulſus primo celer in tardum valde et intermittendem plane abierit. Quoad Celeb. *Richterum* ambigo adhuc, an ipſi, an potius Reſpondenti qui ſe Auctorem diſſertationis profitetur, tribui debeat falſa de motu vitali ob Opio imminuto ſententia. Morientis et brevi morituri pulſus nil probat, alioquin enim de omnibus et acerrimis irritantibus quae necare tandem apta ſunt dici deberet, quod pulſum cohiberent, quem tamen propria ſua virtute intendunt. Minus etiam apte in hac diſſertatione provocatur et locum aliquem Cl. de *Gorter*, c) hicque anodyna ad motum minuentia referre dicitur, cum evolventi conſtare debeat *Gorterum* eo loco de prorſus aliis motubus ab Opio conſopiendis loqui, atque de circulatorio motu ne verbulum addere. Doleo ſaltem quod alibi narcotica et opiata ad ipſum acceleratum motum humorum pacandum retulerit vt §ho antecedente notavi, atque ita Opio vniverſalem vim ſedantem motus ſine exceptione omnes falſo adſcripſerit. *Stentzelio* ſuum luſum relinquo, illam analogiam inter Opium et Corticem quam cum quibusdam aliis ſibi imaginatur, invenire neſciens. Sed bonus *Hecquetus*

c (*Comp. Med. Tr. LXXXVI, p. 137.*)

 ipſe

ipſe errorem ſuum initio libelli commiſſum profitetur, dum oblitus antea a ſe dictorum ſibi ipſi contradicit expreſſis verbis alibi ſcribens[d]) *quod accuſatio Opium ſanguinis curſum inhibere et circulationem retardare evidenter falſa ſit*, hocque aſſertum ſtringentibus argumentis probans. *Lindeſtolpium* quoque ſemetipſum confutare apparebit in ſequentibus. *Geoffroy*[e]) diſerte notavit, ceſſante operatione Opii pulſum languidum et depreſſum reddi, ſi vero ab actione Opii, et durante Operatione, quoque talis foret, non opus erat dicere, quod ea finita talis reddatur. Cl. *Whytt*[f]) redarguit Illuſtr. ab *Haller* qui non obſervare potuit irritabilitatem Cordis vt illi ſtatuere placuerat Opio aboleri. *Tiſſot* quoque[g]) irritabilitatem Cordis parum et ſaepe nihil debilitari ab Opio ſcribit. Largiri autem poſſum lubens Cl. *VVhytt* magna doſi datum pulſum valde lentum efficere,[h]) per ea quae de praegreſſo velociore iam monui. Amantiſſimus meus *Habnius* ictus pulſuum celeriores aegri ſui Cardinalis retardare potuit pilulis de cynogloſſa quia illi podagricis et chiragricis doloribus concitatiores redditi fuere; idque ſemper ſuccedit, ſi ſtimulus aliquis ſenſum acutiorem reddens fuerit cauſa celerioris circuitus, qui adeo obtuſo ſenſu minuitur, corde non amplius ſollicitato, dum interim opium ex ſua indole homini ſine ſenſu doloroſo pulſum frequentiorem exhibenti propinatum, neutiquam illum refraenaret. Cl. *Degnerus* et *Hebenſtreit* locis citatis Opium vnice conſiderant vt venenum, adeoque videntur ſaltem attenti fuiſſe, ad illa phoenomena, quibus praeſentibus necat, atque inter ea pulſum debilem et lentum offendiſſe. Notatu autem dignum eſt *Alſtonum* recenſioni de motus ſanguinis tarditate in rana ſua obſervata, adiicere: Omni hoc tempore quo ad eam attentus erat ſe non obſervare poſſe lentam vibrationem pulſus. Id ſibi primo intuitu repugnare videtur, verum *Alſtonus* vidit ſaltem motum ſanguinis in pede non vniverſalem in toto corpore Ranae, in pede vero aderat ſine dubio ſtaſis inflammatoria,

d) *p.* 184.

e) *Mat. Med. Tom. II p* 697.

f) *diſſ. de partibus ſenſibilibus et irritabil Vide et Halleri Phyſiol. Tom. V. p.* 609. *vbi falſa Whyttii ex experimentis conſectaria ſolidiſſime confutantur.*

g) *Diſcours preliminaire ſur la diſſertation de Haller, traduite du latin p.* 24.

h) *Acta nova Edinburg. Art. XIX.* §. 3.

toria, vnde ille retropulſus ſanguinis pendebat, quem ſub qua-
vis diaſtole cordis conſpexit, quemque ſaltem vndulatorium
motum repraeſentaſſe notat; ab illo vero particulari modo cir-
cuitus ſanguinis in extremo pede, ad omnem in toto corpore
concluſio minus valeret, hunc vero vere celeriorem ab Opio
reddi ex ipſius *Alſtoni* teſtimonio brevi evincam. Certum ita-
que eſſe, ſumo pulſum exhibito opio mediocribus vel largis do-
ſibus inſurgere, et intendi, tum vero ſi tandem debilis reddatur,
multumque infra virtutem naturalem retardetur, magnum pe-
riculum homini imminere ne ceſſet penitus. Illuſtris van *Swie-
ten* deceptus a *VVhyttio*, vero docuerat antea de Aucto Circulo
ſanguinis ab Opio, cuius vim calefacientem vltro agnoſcit, et vr-
get, vt in ſequentibus apparebit.

IIII.

Haec mihi ſufficere poterant, atque audacter provocare poteram ad Experientiam ſemper eandem, ſibi ſemper ſimilem, et a quovis ſi attendere voluerit, clariſſime animadvertendam. Non tamen etiam deſunt idonei veritatis teſtes, quos producere omnino debeo. Dignum penſitatu eſt *VVedelium* i) deſcribere Opium quod ſit ſuccus ex capitibus Papaveris collectus, ſenſus ligandi et potentiam movendi animalem ſiſtendi vim habens, atque de vi refraenandi motus vitales ne verbulum adferre. Opiata quoque *VValdſchmidius* k) vocat Medicamenta ſpiritibus animalibus obicem ponentia, vnde cerebrum ſubſideat, et omnes ſtatuae humanae actiones ceſſent, exceptis reſpiratione et pulſu. Cum cura quoque annotare non intermitto quod *Stahlius* l) habet quando luculentae veritatis eſſe dicit quod Opium motus qui non adeo aeque ſenſui, quam neceſſario cuidam alteri fini ſuperſtruuntur, niſi nimio largioribus doſibus, quae eximie totas intentiones obnubilent, valde parum cohibeat. De Pulſu *Stahlium* loqui manifeſtum eſt; at vero Opium motores vitae non ſaltem non cohibere, et coërcere, ſed excitare et exſtimulare potius, vt fortius et celerius eat redeat in Orbem mare microcoſmicum, poſt *Pitcarnium*, *Thomſonum*, *Frein-*

Teſtes Veritatis.

i) *Opiol.* p. 10.

k) *diſſ. Monita Medica circa Opium habente* p. 4.

l) *diſſ. de impoſtura* §. 10.

Freindium, *Bergerum*, *Boerhaavium*, *Hallerus*, *Buchnerus*, *Hambergerus*, *Heiſterus*, *Roſen de Roſenſtein* (Kinderkrankheiten p. 74.) et alii vltro aſſeverant. Ab Opio Arteriae ſolito plus diſtenduntur vt pulſus docet aſſerente *Pitcarnio.* m) Ab Opio pulſus celerius et altius vibrat obſervante *Thomſono.* n) Ab Opio validius ſe contrahit Cor, vnde vividior ſanguinis circuitus, impetu cordis per Opium fortiore augetur etiam ad vaſa humorum plenitudo, vtraque de cauſa excitatur pulſus notante *Freindio.* o) Adſtipulatur his *Bergerus* p) qui ab Opio pulſum cordis et arteriarum convaleſcere ſcribit. Sed eximie *Boerhaavius* ſi aliquid ait vi ſpecifica in certam partem corporis humani ratione motuum nimiorum agit, certe Opium eſt, id enim ſaltem in animales ſpiritus vim ſuam exercet, non in vitales. q) Et alibi *Opium* inquit *Motum circularem auget, animalem minuit.* r) Deinde ſanguinem incitari ab Opio certum eſſe teſtatur de *Haller*, s) ab eo circulationem celeriorem reddi notat *Hamberger*, t) atque eius adhibitione motum progreſſivum ſanguinis intendi et vi vitali augmentum addi Cl. *Buchnerus* u) eloquitur. Tandem et motum ſanguinis augeri Opio et ad ſummam celeritatem adduci *Heiſterus* x) Auctor eſt. Ego certe quoties Opium ad enormes excretiones alvinas et alias compeſcentas; pulſu iam ſumme debili, vrgente neceſſitate exhibui, ſemper animadverti pulſum tunc fortiorem et citatiorem fuiſſe redditum. Denuo itaque repeto, et ad experientiam audacter provoco, Prima ſua actione ſemper Opium pulſum accelerare, quanquam vel finida operatione, vel aucta vltra modum doſi quae necem adferre poſſit, omnino eveniat, vt ex celeri is tardus admodum et debilis reddatur. Sic cani cui Opium exhibuerat *Buchnerus* y) pulſus arteriarum poſt dimidiam horam, vt illis in quibus *Bergerus* ab Opio febriles ictus obſervavit, diſſ. cit. §. 4. frequentior erat, ſed ante mortem ſenſim imminuebatur. Id vero et in hominibus ita accidere conſtat ex Obſervatione Cl. *Ridley*, Foeminae per quatriduum violentis vomitionibus et deiectionibus exhauſtae, non obſtante pulſus debilitate, pro his coërcendis, data bis theriaca

m) *diſſ. de Circul. in Animalibus genitis et non genitis* §. 13.
n) *diſſ. de Opio* p. 120.
o) *Emmenol.* c. 14.
p) *diſſ. de Vi Opii rarefaciente* §. 10.
q) *Praelect. ad inſtitut. ad* §. 856. et 1154
r) *in Comment. in aph. de cognoſcendis et curandis morbis inſcio Autore edito ad aph.* 229.
s) *Praelect. in Boerh. inſtit. Vol. IV. p.* 519
t) *diſſ. de Opio* §. 44.
u) *diſſ. de Opio* §. 45. 46.
x) *Comp. Med. Pract.* c. XIX. §. XI.
y) *diſſ. de Opio* §. 29.

theriaca ad drachmam, et exhibito laudano londinenſi ad granum vnum cum dimidio, pulſum longe fortiorem redditum. Nolo diſſimulare iterato deinde Opiatorum vſu pulſum debilem fuiſſe, ſed talis nequaquam fuit ab Opio, ſed a recrudeſcente diarrhoea, quae omnia pene liquida exhauſerat, namque Vultus fuit alacer, et fortior pulſus vibratio rediit: (Obſervationum de Aſthmate et hydrophobia Obſ. 23.) Quod Opium per ſe minime pulſum deprimat, etiam docet tragicus ille caſus, quem deſcribit *Alſton* z) plus valoris habens quam eius Experimenta cum Ranis inſtituta. Adſumſerat 40. annorum foemina loco electuarii purgantis Vnguenti haemorrhoidibus coecis deſtinati ex oleo roſarum, myrrha et Opio compoſiti portionem, quae ſcrupulum vnum vel paulo minus de Opio habebat. Committebatur hic infelix error mane hora ſeptima. Pulſus qui quod notandum, fortis aequalis et valde celer fuerat, poſt horam octavam cum dimidia reddebatur debilis, et intermittens, atque ſic adhuc vno quadrante horae elapſo moriebatur. Nonne ergo rectiſſime *Freindius* a) inter effectus modicae doſeos ponit validiorem contractionem cordis et vividiorem circuitum, pulſum vero parvum et debilem inter effectus nimiae doſeos quem tamen ſemper praeceſſit validior et celerior.

z) *Acta Med. Edinburg Vol. V. Part. I Art. XII. ſect. III. pag. m.* 195.

a) *Emmenol. Cap. XIV. pag. mihi* 139. 140.

§. V.

Eius vlterior confirmatio.

Illa autem quae obſervatione attenta diſcitur, quamque modo adſtruxi, vis Opii circulum ſanguinis accelerans, confirmatur vberius Illorum adſertionibus, qui ſingularem cardiacam virtutem in Opio reconditam eſſe affirmant, non minus Experientia ſeſe manifeſtantem. Verum ſub Cardiaci remedii nomine nemo Medicorum aliud intelligit, quam id, quod indicationi vitali ſatisfacit, ſeu quod efficit vt vires vitales ſibi conſtent, vel augeantur. Licet enim de Cardiacis omnibus neutiquam affirmari queat, quod ſpecifica dote in Cor ipſum immediate agant, tamen quia cor cauſa princeps eſt motuum vitalium, illa omnia quae eius ſyſtolen fortiorem reddunt quomodocunque, atque hac vel alia ratione circulum humorum

ſuſtentant, et vegetiorem praeſtant, iure ſuo cardiaca appellari ſolent. Talem autem potentiam vere inhaerere Opio multiplicibus effectubus edocti adſtruunt Clariſſimi quidem Practici, quos omnes magis quidem hic audiendos crediderim quam Cl. *Neumannum* b) in genere minus Opio faventem, et eius virtutem cordialem falſe ridentem et perſtringentem. Nolo recenſere fuſius quam magna fuerint habita Antiquitati varia remediorum genera, pro alexiterio et cordiali ſine excogitata, quae omnia ingrediebatur Opium. Recentiori tempeſtate Helmontio Opium pro reſtaurativo Archaei habenti aſſurrexit *Wedelius*, c) ſummamque virtutem cordialem in eo poſuit *Iones* d) Iure etiam meritoque actionis pharmacorum pulcherrime gnarus Opiata inter confortantia retulit *Bergerus*. e) Magna certe auctoritas eſt ad hunc diem Cordatiſſimi *Sydenhami*, f) hic vero Opium vocat Cardiacum pene vnicum, quod in rerum natura hactenus eſt repertum. Neque certe niſi huius virtutis cardiacae bene conſcius vnquam auſus fuiſſet exhibere aegris quorum pulſus vix micabat, rebus vrgentibus, laudanum ſuum liquidum ad viginti quinque guttas et vltra, quae doſis tantum abeſt vt pulſum languidum iam ſatis, omnino deprimeret, vt potius ſanitatem cum increſcente eius robore reduxerit. g) Civis etiam *Sydenhami* Cl. *Freind* h) ab Opio vires vitales inſtaurari candide fuit profeſſus, cui aſſentiri non dubitat *Heiſterus*. i) Nec tacet de Cardiaca Opii virtute, qui polychreſtam et panchreſtam eius indolem toties extollit, atque id tonum nervorum conſervare ac reſtituere oſcillationesque omnium fibrarum iuvare aſſerit *Hecquetus*. k) Atque in fine libelli ſe adſtructam dediſſe vim Opii cordialem et confortantem multis gloriatur, l) licet dum ſub initium eius, de vi inhibendi et refraenandi circulum locutus erat, ſibi ipſi contradicat. Miram quandoque ab Opio virium et vitae recreationem quosdam ſemi-mortuos et ad extrema redactos percipere annotavit *Geofroy*. m) Nullum potentius vnquam ſe expertum eſſe cardiacum et vires inſtaurans quam quidem Laudanum liquidum Sydenhami aſſerit *Lindeſtol-*

pe

b) *Lect. de Opio, initio.*

c) *Opiol. lib. I. Sect. I. c.* 3

d) *in Myſt. Opii revelat.*

e) *diſſ. de vi Opii rarefaciente Coroll. IV.*

f) *Oper. Sect. IV. c* 3 *p.* 231.

g) *vide Operum p.* 372. *in epiſt. de morbis epidemicis ad Robertum Braby.*

h) *Emmeol. c.* 14.

i) *Comp Med. Pract. c XIX* § *XI.*

k) *e.g. p* 336.

l) *p.* 372.

m) *Mat. Med. lib. II. p.* 692.

pe n) cui comparat ſyrupum ſuum cardiacum ex Opio, croco, macere, cinamomo et aliis paratum quo ſe inſtructum omnibus aliis carere poſſe affirmat. Multa attuli pro adſtruenda Opii virtute cordiali teſtimonia, ſed ponderoſiſſimum habeo Illuſtr. *Boerhaavii* o) ſuffragium. Hic nempe de cardiacis agens recenſensque vinum generoſum, ſpiritum vini, ſpiritus oleoſos, ſales volatiles aromaticos, olea aromatica, paucis dicam omnia acria ſtimulantia, notanter dicit: *Huc etiam pertinet Opium et alia circulum augentia.* Ponit Boerhaavius in hoc catalogo primo vinum ac ſpiritum vini, et poſt alia tandem et Opium, atque ita inter hoc et illa virium ſimilitudinem agnoſcit. Errat igitur *Rammazzini* p) quando differentiam dari ſtatuit, vinumque circulum accelerando, Opium pulſum retardando agere contendit. Monui contra eum iam in antecedentibus quod moneri debet, atque in ſubſecuturis addam plura. Hic ſaltem noto, hac hypotheſi erronea non obſtante dediſſe *Rammazzinum* q) homini ſumme debili et vt dicit ſine pulſu viventi, opium largiori doſi cum fructu, atque ita ipſum obſervare potuiſſe, Opium pulſum excitare, aliter enim per hypotheſin, hoc neceſſario necem certiorem reddere debuiſſet. Melius qui eundem effectum in aegris vidit, cardiacam Opii virtutem inde agnovit, et aliis documentis convictus aſſeruit iam laudatus Sydenhamus, cui prorſus adſtipulatur *Alſton.* r) *Youngius* quoque Opium pro praeſtantiſſimo cardiaco viresque vitales inſtaurante remedio depraedicat, atque adeo vbi a motu vel labore corpus defatigatum eſt, incomparabilem effectum illud edere affirmat. Patet itaque Opium per Experientiam deprehendi Cardiacum, adeoque omnino accelerare et vegetiorem reddere circuitum humorum, nam qui remedium aliquod eſſe cardiacum, et tamen ſimul pulſum remiſſiorem reddere affirmaret, notionem et verum ingenium cardiaci omnino ignoraret. Sed tranſeo iam ad Experientiam ſecundam, quae cum tertia vlterius adſtruet vim pulſum accelerantem.

n) *de venenis* p. 616. *et* 668.

o) *in Tract. de viribus Remediorum.*

p) *de Morb. Artificum cap. XXI.*

q) *de Conſtit. epid. mutinenſ. diſſert. Operum pag.* 201.

r) *Acta Edinb. Tom. V. Part. I. Art. XII. Sect. III. p.* 199.

§. VI.

EXPERIENTIA II.

Opium Calorem Corporis naturalem auget.

Contrarium perperam ſtatuentes. Effectus neceſſarius accelerati circuli eſt augmentum caloris, quare ſi certa experientia conſtat, Opium circulum ſanguinis celeriorem efficere, non poterit non et experientia veriſſimum deprehendi, quod aſſumptum calorem augeat. Neque haec experientia potuit praetervisa eſſe aut in contrarium detorta, niſi illis ſolis, qui contradicente licet obſervatione circulationem Opio tardiorem reddi aſſerunt, nam ii prona conſequentia contendere debent refrigerium potius ab eo induci quam maiorem incaleſcentiam vſum illius ſubſequi. Doleo vnquam huic errori inhæſiſſe minus attentam venerabilem antiquitatem eidemque adeo praetuliſſe facem, cuius reverentia ducti maluerunt nonnulli Recentiorum praeiudicatae Opinioni devotum animum ſubmittere, quam phoenomena in ſenſus incurrentia ſerio expendere. Dixerat *Hippocrates*: s) Quum corpus invaſerit ſomnus, ſanguis frigeſit, a natura enim ſomno frigefaciendi vis ineſt. Factum inde ſine dubio vt hypnoticis remediis frigida indoles adſcriberetur. *Galenus* t) certe frigida intemperie noxium eſſe Papaveris ſuccum, atque ad extremum refrigerantium ordinem referendum reputavit. Et in hac Opinione fuere Graeci et Arabes ad vnum omnes, *Trallianus*, *Aetius*, *Oribaſius*, *Avicenna*, *Rhaſes* et alii. Recentiori tandem aevo non defuerunt quoque qui gloriae Antiquitatis litaturi acerrime pro Opii frigidiſſima temperie dimicarunt. *Fernelius* u) omnia narcotica vehementer frigida declarat, Opiumque vocat medicamentum ad quemvis ardorem protinus extinguendum efficaciſſimum. *Freitagius* x) frigidam Opii qualitatem adſtrui putat exemplo eorum, qui ſummo frigore et noctu praeſertim, per nives iter faciunt, et inde torporem, immobilitatem, ſomnum, ſtuporem, tandemque plenariam caloris extinctionem ac mortem reportant. *Borrichius* y) totus in eo eſt vt veterum ſententiam defendat argumentisque a torpore, ſtupore, pulſu debili, glacie artuum, ſudoribus

s) *de flatibus* §. 20.

t) *Meth. Med. lib. XII. c.* 8. *et de ſimpl. Med. facult. lib. VIII. c.* 108

u) *Meth. Med. lib. V. c.* 17. *et lib. VI. c.* 1. *et* 5

x) *de Opio c.* 3.

y) *diſſ. de ſomno et ſomniferis.*

doribus frigidis, et morte gelida tanquam effectubus Opii deſumtis, ac verborum fuco coloratis frigefacientem eius potentiam ſtabiliat. Atque vere in homine qui per errorem Opii grana tria cum dimidio aſſumſit, praeter alia phoenomena poſt duas horas a deglutitione frigus extremorum, licet id plane non perciperet aeger, ſeſe obſervaſſe recenſet *Schelhammerus*. z) Non hic reticere debeo in antecedentibus iam allegatum *Rammazzini*, qui ab Opiatorum vſu pulſum exilem, tardum, pallorem, faciem cadaveroſam, et extremorum frigus habet. a) Vix autem hodie vllibi exſtare crediderim magis amicum huic ſententiae ſuffragium quam quod ſuppeditat aut Cl. *Richterus* aut eius Reſpondens in diſſ. b) *de ſalutari frigoris in Medicina vſu. Praeter Opium* inquit *et VSem vix quicquam Medicina habet, quo certius et velocius calorem et motum vitalem exſtinguat. Irriſi ſunt Galenici qui Opium tanquam naturae manifeſte calidae inter ſumma refrigerantia repoſuerunt, at quantillum requiritur quod ſufficiat ad omnem motum ſufflaminandum et lethale frigus inducendum.* Verum et non dubitavit aſſerere Doctiſſimus *Hebenſtreit* c) ſtupefactiva et narcotica, quae inter et Opium refert, inimicum vitae frigus inducere. Tantum potuit longaevitate ſua dominans praeiudicium! Interim fuere tamen ab aliquo tempore, qui phoenomena omnia ab Opii aſſumtione emergentia ſenſubus vſurpantes, huic hypotheſi diffidere coeperunt; mire autem ſe torſerunt, vt veterum honori et auctoritati conſulerent, et quae de frigore Opii frigide ſatis illi aſſeruerant, magno ardore nihilominus propugnarent. Eapropter quidam boni Viri non erubuerunt publice profiteri, ſimul et frigidum, et calidum haberi debere Opium. Lepide ſane! miror ego cur non potius tepidum. Ita e. g. ſatis ingenioſe Caſpar *Hoffmannus* d) adeo heterogenearum partium eſſe Opium ait vt calidum quidem dici poſſit in tertio, frigidum autem in quarto gradu, quia tandem refrigerando et obſtupefaciendo interficiat, adeoque effectum eſſe frigidum, licet non deſint ſymptomata calida. Cum Hoffmanno faciunt *Renodaeus* et *Tillingius* caliditatem quidem Opio

z) *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ao. V. obſ.* 12.

a) *de Morbis Artific.* c. 20.

b) *p.* 16.

c) *Anthropol. forenſ. Sect. II. Membr. II.* c. 2. §. 12.

d) *de medicamentis Officin. lib. II.* c. 69. 70

ineſſe omnino, ſed fugacem et leviorem, frigiditatem vero contumacem et validam aſſeverantes. Taceo *Capivaccium, Sanctorium* alioſque qui ex albo papavere Opium calidum, ex nigro vero frigidum parari ſibi imaginantur. Omnes hos ſinerem lubens abundare vel carere ſuo ſenſu, non vero expectaſſem ab *Alſtono* e) veri ingenii Opii adeo bene gnaro, mirum aſſertum, Opium certo reſpectu eſſe remedium admodum calidum, tamen etiam certum eſſe id vires ſuas in minuendo calore exercere, neque difficile fore demonſtratu de Opio proprius dicendum eſſe, quod frigefaciat, quam quod calefaciat.

e) *Act. Edinb. Tom. V. Part. I. Art. XII. ſect. III. §. I.*

§. VII.

Opium calefacere probatur variis rationibus, meliora ſentientes Clari Viri adducuntur, et errores §ho antecedente citatorum refelluntur.

Nemo vnquam negaverit facile, Opium omnino tandem poſſe efficere, vt pulſus langueſcat, et motu ſanguinis ad ſtaſin vniverſalem vergente, inducatur mortiferum frigus. Sed ex hoc capite ſine exceptione ad vnum omnia venena cuiuscunque indolis, forent refrigerantia, quia gelidam mortem tandem excludunt, atque ardentiſſima febris toties necans vim refrigerantem habere dicenda eſſet. Verum ſtudioſe et hic iterum conſiderari debet, quod antea de pulſu dixi, Opium eadem ratione ac pulſum debilem et tardum efficit, poſtquam antea celerem immediata et prima ſui vſus ſequela excitarat, ita quoque frigus inducere, idque etiam aliquando lethale; poſtquam prima ſua actione calorem, eundemque ſi frigus inſequitur tanto fervidiorem enaſci fecerat. Non facile aliquem de intenſiore calore a deglutito Opio qui adeo manifeſte in ſenſus vniuscuiusvis incurrit, dubitare ſiviſſet Experientia, niſi ipſa Antiquitas Medica minus apte toties de viribus et de effectubus remediorum ſentire ſolita, male fundata philoſophandi ratione et ſe ipſam, et Poſteros decepiſſet. Veteres quippe ſine iuſto reſpectu quandoque, quomodo corpora naturalia ſe gererent humano corpori applicata, vel in illud ingeſta, ad qualitates illorum, ad humiditatem et ſiccitatem, ad calidatem et frigiditatem fere vnice omnia referebant, gradusque humiditatis et ſiccitatis etc. pro ingeniorum arbitrio curioſe definiebant. Neſcio interim qui factum

ctum fuerit vt Opium adeo in quarto gradu et ad exceſſum frigidum habere potuerint, cum illa omnia rectiſſime, et per omnes gradus calida declaraverint, quae calorem corpori inferre aut ruborem quendam inflammatorium inducere, aut volatili principio nares fortiter ferire, aut linguam amaritie et acrimonia ſua valde ſenſibili afficere animadvertebant, quas qualitates omnes non poterant non in ipſo Opio reperire. Sed clarum ſatis eſt excretionum quorundam cohibitionem, aut imminutionem ab Opio evenientem, potentiamque eius ſenſus obnubilandi, ita Veteribus impoſuiſſe, vt poſtbabitis omnibus caliditatis characteribus, qui Opio inſunt, id nihilominus frigidum declararent quoniam phoenomena eius vſum inſequentia ſibi ipſis contraria viſa, non poterant conciliare, verioris phyſices principiis quibus ad hunc finem indigebant, omnino deſtitui. Nemo autem niſi omni ſenſu deſtitutus negare poteſt, Opium calorem corporis humani maiorem reddere, eaque propter calidum habendum eſſe, neque omnes tandem Medicos adeo occoecare potuit Vetuſtatis amor, vt veritatem irrefragabilem non perciperent, et agnoſcerent. Praeter *Bauhinum*, *Platerum*, *Quercetanum* *Galenoque* contradicere non dubitantem Simonem *Pauli* et alios rectius ſentientes, litem toties agitatam peculiari opera argumentis pro frigiditate militantibus feliciter exploſis, compoſuere eadem mecum Civitate nati *Doeringius* f) et *Sennertus* g) atque hic *Freitagium* h) ſtrenue aggreſſus falſam eius hypotheſin confutat et omnino calidum eſſe Opium probat. Neque omittendus *Matthiolus* et *Wepferus* i) cum illis praecipue debeatur, quod tandem bonis avibus popularis Error eiectus e Medicina fuerit. Praeter hos etiam *Sinapius* k) merito calidum habendum eſſe Opium agnovit et demonſtravit. Egregie deinde techn̄es *Borrichii* l) qui pertinaciter et artificioſe magis quam alii Opium frigidum venditarat, detexit, et ita delevit omnes Doctiſſimus *Bergerus*, m) vt ipſe earundem Artifex ne hiſcere amplius auderet. Equidem frigus extremorum quod ab Opii vſu *Schelhammerus* §ho antecedente

f) *Tract. de vſu et qualitatibus Opii.*

g) *Med. Pract. lib. VI. c.* 60.

h) *lib. VI. c.* 60

i) *de cicuta aquatica c.* 4. *vbi de Cicuta hyoſcyamo, Napello, Solano probatur, quod ſint venena calidiſſima.*

k) *in Tractatu de Remedio doloris.*

l) *in Tractatu de ſomno et ſomniferis.*

m) *diſſ. de vi Opii rarefaciente.*

dente memoratus eveniſſe refert, ſenſu optimi Viri potuit percipi, et palpabile fuit. At obſervari debet, Schelhammerum ipſum ſimul vltro notare, tum cum hoc frigus animadverteretur, hominem licet poſtea ſervatum, morti proximum fuiſſe. Forte autem et eo tempore non omnis calor praeternaturalis in aliis partibus abfuit. Illum enim podagricum qui ab Empirico Opium ſumſit, ſoporeque alto merſus penitus obdormivit, in agone mortis, quamvis ſudore frigido iam madentem, ſumme tamen calentem invenit *Platerus*. n) Neque frigus quod in ſoporatis ab Opio a *Rammazzino* allegatur, calefaciendi virtute Opii tantillum detrahit, namque Wepfero teſte, de Cicuta p. 48. Venena omnia ante mortem frigus excitant, atque ipſe Rammazzini alibi evidente experientia hoc ſuum praeiudicium deſtruat, et veritatem nudam ingenuus confiteatur, *Cuidam* inquit *acerrima Dyſenteria laboranti pluries exhibui laudanum Opiatum ad 3. vel 4. grana, ſed parvo levamine. Vixerat hic ad plures dies omnino gelidus, ac ſine pulſu, vires tamen non erant adeo languidae, vt huc et illuc ſe iactare non poſſet. Verebar ne largiore doſi exhibitum laudanum reliquum flammae vitalis quae ſupererat, reſtingueret. Laudanum rurſus ad grana quinque exhibui, ex quo aeger placide dormivit, et* (quod ego bene notari velim, larga hac doſi) *excalefactus eſt.* o) Liceat mihi hunc calorem ab Opio redivivum opponere ſententiis Cl. *Richteri* et *Hebenſtreitii*. Liceat mihi hic denuo provocare ad *Sydenhamum* qui aegro ob vomitus et convulſiones animam agenti, pulſu vix micante et ſudore frigido iam praeſente, generoſa valde laudani doſi cum vita calorem naturalem reduxit. p) Deinde etiam diſertis verbis (Operum p. 464.) vltro confeſſus eſt Sydenhamus, laudanum paulo magis calefacere, Syrupum diacodii autem minus. Liceat mihi contra *Alſtonum* regerere, Opium aut pulſum intendere aut minuere, adeoque aut calorem augere, aut infringere, ac ſic non tanquam mox calidum mox frigidum, ſed ſaltem vt horum alterutrum conſiderari poſſe, non vero aliquem ſerio probaturum quod frigefaciat, cum adeo evidenter

n) *lib. I. obſ.* 15.

o) *Operum* in 410. *p.* 201.

p) *Operum p.* 372. 373.

ter calorem corporis noſtri maiorem reddat. Sane in re adeo certa, dubitari omnino poterat, an vel vnus eorum omnium pro frigiditate militantium vnquam examinarit ſuis ſenſubus Opium, et exploraturus eius ingenium, id ſua lingua vere deguſtaverit. Amara hercle et acria ſine exceptione omnia vt dixi rectiſſime Veteribus pro calidis habita ingeſta in corpus, eius calorem increſcere faciunt, quidni eundem effectum etiam ederet ipſum Opium? Bene id perſpexit *Helmontius* q) ſulphur ſoporiferum in Opio inquiens non friget, ſed valde amaricat, eiusque ſal acre eſt; et qui ad eius tractatum, *Poteſtas Medicaminum* inſcriptum, vbi ſimilia docet, confidenter provocat *Waldſchmidius*. r) Quodſi inſuper conſideretur Opium igni admotum flammam concipere, hoc phoenomenon aliis iunctum calidam eius indolem ſufficienter edocet. Magis vero cum ſulphur vulgare et nitrum inflammabilia omnino, non tamen proinde in corpore noſtro aeſtum accendant, quem nitrum potius exſtinguit, vrens Opii ingenium linguae experientis iudicium teſtatum facit. Namque cum *Bellonio* s) optimum Opium amarum eſſe aſſerente et guſtu calido fauces incendens, idem edoceri poterunt omnes, quicunque periculum facturi ſunt. Eapropter etiam ex primis veritatis teſtibus *Matthiolus* t) *Quanquam* inquit, *Opium in exceſſu frigidum ſtatuatur, tamen ſi ex ſapore rerum qualitates cognoſcuntur, Opium non modo guſtu amarum percipitur, ſed etiam acre, adeo vt paululum in ore detentum linguam et palatum exulceret, vnde haud dubie colligi poteſt, calidiſſimas ei ineſſe qualitates.* Non aliter *Iones* de calore Opii teſtari ſaporem perquam amarum, et calidum, mordacemque, et operationes eius a frigidis inhibendas iudicat. Cumque his autoribus allegatis faciens *Bergerus* u) ipſius ſenſus teſtimonio conſtare ait id quod poſt *Dioſcoridem Matthiolus*, *Bellonius* aliique memoriae prodiderunt, Opium guſtu amarum, acre et calidum eſſe, et aliquamdiu ore detentum linguam et palatum vrere, et inflammare. Egregie tandem Illuſtr. *Boerhaavius* x) *Veteres* inquit *maxime errarunt dicentes Opium eſſe frigidum in*

q) *de lithiaſi c. VIII.*

r) *in monitis medicis circa Opium p.* 8.

s) *Lib. III. Obſ. c.* 15.

t) *lib. IV. c.* 60

u) *cit. diſſ.* §. 2.

x) *Hiſt. Plant. p.* 362.

quarto gradu, cum ſit potius calidiſſimum, nam vrit vt piper: et alibi *Inter aromatum effectus* inquit *calor eminet, quem lingua percipit. Verum vix aliud magis calidum eſt quam puriſſimum Opium quod linguae admotum fere intolerabilem caloris ſenſum excitat, cuti vero appoſitum inſtar emplaſtri veſicantis agit.* y) Igitur quicunque calidum amorem Opii ſemel deguſtavit facile credet notante Illuſtr. van *Swieten* z) male frigidam noxam ipſi adſcribi. Nempe vt *Alſtonus* a) ceſpitans ipſe docet, poſt illum nauſeabundum amarorem deguſtatum, dimidio minuto elapſo lingua primo dein palatum percipit ardentem calorem, qui et in labio minore gradu ſentitur, calor perdurat per 15. minuta, amaror longius, ſalivationemque largam acrimonia ciet. Atque quod guſtus docet, id ipſum quoque Olfactu confirmatur. Non enim vt aliquis valde emunctae naris ſit requiritur, quin ſtatim odor Opii foetidus et graveolens et ſternutationem proritans ipſum feriat, ex quo nemo aliquam frigidam inertiam, ſed potius penetrantem ſtimulantem, et ſumme volatilem, indeque omnino commoventem, et calefacientem humores noſtros virtutem arguerit. Neque opus eſt, vt hanc odore edocti, vlterius igne chemico per producta ſpirituoſa et volatilia diſcamus, cum laboratorii ſupellectile nondum torturam expertum Opium, nativam ſuam acrem et admodum volatilem indolem iam ſatis profiteatur.

y) *Praelect. in inſtit. ab Hallero edit. Vol. IV. p.* 518. 519. 520.

z) *Comment. in aph. Boerhaavii ad aph.* 202.

a) *Act. Edinb. Tom. V. Part. I. Art. XII. ſect. III.*

§. VIII.

Ex Analogia Vini, alcoholis Vini, ſaliumque volatilium ac Opii et ex experimentis cum animalibus brutis inſtitutis, tandem ex experimentis in hominibus, vis calefaciens adſtruitur.

Seorſim autem attenta conſideratione digniſſimum eſt, miram quandam affinitatem et analogiam intercedere Opio cum vino, adeo quidem, vt vnum alteri commode ſubſtituatur, effectusque multi vtrinque ab vſu evenientes, fere perinde ſeſe habeant, ſive ſalubritatem ſive noxam, in ſanitatem et vitam humanam redundantes ſpectes. Cum igitur Vinum frigefacere hactenus quod ſciam in mentem venerit nemini, miror omnino vel ſolam hanc obſervationem, quae omnibus veteribus ignota fuiſſe nequit, a longo inde tempore non

non commonſtraviſſe caliditatem Opii. Narrat Proſper *Alpinus* b) quamplures Aegyptios Opium longa conſuetudine quotidie ſumentes ſi id capere ſtata hora intermiſerint, graviſſima ſymptomata incurrere, ac animi potiſſimum deliquio faſtidioſiſſimo tentari, nulloque auxilio tuto liberari, quam rurſus Opium devorando. Se autem vidiſſe ſimul memorat multos, ab hac ſervitute liberatos, ſi loco Opii largius vinum creticum biberent cum pipere, atque aliis aromatibus alteratum. Atque huic relationi prorſus analoga, de analogis vini ac Opii viribus legitur apud Ioh. Chriſtoph. a *Coſta*. c) Dum indico mari in Luſitaniam redibat eadem navi vehebantur Turci, Perſae et Arabes, qui clam aliquantulum Opii ſecum detulerant, vt eo ex conſuetudine vterentur. At abſumpto eo a *Coſta* Turcum ſe adeuntem clamitare audiebat, niſi ipſi et ſodalibus Opium praeberetur, vix per biduum eos eſſe victuros. Cum a *Coſta* Opium non haberet, pro vnico remedio Turca poſcebat Vinum, ipſis adverſum licet, ſed pro ſalute ſervanda nihilominus bibendum. Dabatur, et ſic Opii defectus tolerabatur. Atque his binis relationibus et Cl. *Bohnius* d) et *Alſton* e) ſententiam ſuam de convenientia Vini et Opii quam profitentur, corroborant. Sapienter vero ex Alpiniana *Boerhaavius* magnum depromit Argumentum, Opium non eſſe frigidum ſed calidum, atque ſimul concludit, Opium parva copia aſſumtum idem facere, quod facit vinum magna copia. f) Similes autem hos effectus hauſtus vini, et pauxilli Opii dum vltro agnoſcit *Alſtonus*, non capio quomodo alibi aſſerere potuerit, propriorem Opio eſſe vim frigefacientem, quam calefacientem. Eadem vero ratione qua vinum Opii vires ſuſtinet, vini etiam vices explet Opium. Scilicet in Aſia quotidie id aſſumere ſolent illae gentes quibus religio potum vini prohibet, hinc Arabes, Indi, Turcae, Perſae, paucis omnes nationes quae Mahumetis leges ſequuntur, vino interdictae eius loco Opium vel potus genera varia inde parata in deliciis habent.

b) *Med. Aegypt. lib. IV. c. 1.*

c) *de Aromatibus et Medic. in India Orientali naſcentibus, de Opio.*

d) *de Officio Medici duplici p.* 641.

e) *Act. Med. Edinburg. Vol. V. Part. I. Art. XII. ſect. III. §.* 11.

f) *Hiſt. Plant. p.* 362.

Facile vero inducor, quando exiguam doſin Opii aequipollere video largioribus hauſtubus vini, vt credam cum Illuſtr. *Hallero* g) Opium non alia ratione agere in corpus, quam qua in illud operatur Alcohol vini, quin ſi occiderit Opium, et Alcohol, mortem et ab hoc et ab illo pendentem eadem prorſus ratione excluſum iri mihi perſuadeo. At quia vinum non agit, niſi quatenus praegnans eſt alcohole, alcoholis vero vis reſidet in particulis tenuiſſimis ſpirituoſis volatilibus et vaporoſis, etiam illos non a veritate receſſiſſe exiſtimandum erit, qui actionem Opii eandem eſſe aſſerunt ac ſalium volatilium. Inſtar omnium allegaſſe ſuffecerit Cl. *Pitcarnium* et Richardum *Mead*, quorum tamen vterque adhuc longe eminentiorem energiam Opio, quam ſalibus volatilibus tribuit. Explicationi actionis Opii eiusdem ac volatilium ſalium addit *Pitcarnius* h) *Noli tamen exiſtimare granum vnum Opii cum grano ſalis volatilis eſſe conferendum, Opii quippe granum, ſaepe ſexaginta et amplius granorum ſalis illius inſtar eſt.* Et Cl. *Mead* i) *Opii actio* inquit, *bene conuenit cum actione ſalium volatilium hoc ſaltem excepto, quod huius exigua portiuncula aequipolleat maiori aliorum plerorumque.* Quando autem Opium non pari paſſu ſaltem ambulat, ſed doſeos paucitate multum in ſua actione vincit vinum, alcohol vini, et ſalia volatilia, an diſputabimus amplius ſitne illud calidum an minus? Accedant adhuc obſervata in animalibus Opiato ferculo paſtis, cuiusque effectus ſenſubus vſurpandi. Nolo experimenta multorum cum illis inſtituta coacervare, pauca ſufficient. Felibus teſte *Bergero* k) ad dimidium ſcrupulum propinatum Opium, poſt palpitationem cordis, et alia quae peperit adſpectu horrida, effecit, vt ebria vacillarent haec animantia, atque veluti rabioſa ore hiante et exſiccato ac ſpuma repleto aeſtu humorum et agitatione febrili toto corpore adficerentur, donec convulſa exſpirarent. Eadem omnino Canibus accidiſſe cum Bergero modo laudato refert *Buchnerus*, l) qui non minus pulſum auctiorem

g) *Praelect. Boerhaav. in inſtit. Vol. IV. p.* 519.

h) *diſſ. de circulatione in animalibus genitis et non genitis* §. 19.

i) *de Venenis p.* 130. *de Opio.*

k) *diſſ. cit.* §. 4.

l) *diſſ.* §. 29. 33

ctiorem et frequentiorem eſt aeſtum obſervavit, vt alios taceam. Nil hic refert obieciſſe, hisce animalibus exhibitas fuiſſe doſes venenoſas medicamentoſis duo decuplo, vigecuplo et amplius maiores; ſatis quippe patet, has ſaltem neceſſario augere naturalem calorem, quando illa non calorem tantum augent, ſed fervorem et aeſtum vrentem et inflammationes exitiales accendunt. Sine reſpectu ad doſes largas ſiccitatem faucium ac linguae, ſitimque vrgentem ab Opio naſci pronunciat *Ettmullerus*. m) Siccitatem Oris etiam notat *Geoffroy*. n) In homine qui grana tria cum dimidio aſſumſerat eam obſervavit *Schelhammerus*, o) et in ſe ipſo a mediocri doſi linguam ſiccam et incaleſcentiam corporis *Young*. Accedit motum humorum et calorem auctum indigitans emiſſa poſt deglutitum opium vrina colore ſaturatior, ad *Ridlino* p) et *Youngio* laudato conſpecta.

m) *diſſ. c. I. §. 3*
n) *Mat. Med. T. II. p. 695.*
o) *in Eph. N. C. l. c. eandem cum ſiti Stentzelius de venenis lib. I. §. 46. refert.*
p) *lin. Med. Ao. IV. Menſ. Dec. obſ. 16.*

§. VIIII.

Suffragia Magnorum Medicorum, pro virtute calefaciente Opii.

Nihil ergo amplius deeſt veritati Experientiae primae et ſecundae, nam vna harum poſita ponitur altera, atque vtraque quotidie ex obſervatione attenta Practicorum novis teſtimoniis locupletari poteſt. Neque deſunt praeter iam adducta alia adhuc pro calefaciente virtute Opii Graviſſimorum Virorum militantia ſuffragia. *Bellonius* q) videns circa ſe multos copia ſat magna id devorantes, periculum ipſe facturus, illud quoque deguſtavit, atque pectus ſibi excalefieri perſenſit. *Williſius* r) infelices eius effectus recenſens dicit, ſe obſervaſſe aliquos ab Opio non dormiviſſe ſed quoad reſpirationem et calorem mox deterius habuiſſe. Obſervans accurate quid in corpore mutaret Opium *Pitcarnius*, evincere phoenomena compertus eſt, eo aſſumto calorem excitari. s) Re ipſa corpus ab Opio incaleſcere, ex vero ſcripſit Alexander *Thomſon*, t) qui ſimul contra omnem ſenſum imaginatos eſſe Medicos antiquos pronunciat, Opium veneni quippiam frigidiſſimi alere, cum conſtet id eſſe Medicamentum omnium calidiſſimum. Calidum Opium, calorem noſtrum qui no-

q) *Lib. III. obſ. cap. 15.*
r) *Pharmaceut. Rat. Part. I. Sect. VII. c. 2.*
s) *diſſ. de Circulatione in animalibus genitis et non genitis §. 13.*
t) *diſſertationum p. 120. 121.*

biſcum natus eſt, ſi languet inſtaurare, et excitare affirmavit *Wepferus.* u) Idem adſtruunt quorum experimenta cum canibus iam adduxi *Bergerus* et *Buchnerus.* Prior Opium opportune et moderatâ quantitate aſſumtum calorem vniverſi corporis augere, ſiccitatemque oris et ſitim relinquere, quantitate vero paulo largiore vel intempeſtive hauſtum aeſtum vehementem inferre teſtatur. x) Poſterior inter effectus Opii augmentum caloris naturalis quod in animalibus animadvertit recenſere non oblitus eſt. y) Tandem iam allegatus *Boerhaavius* Opium exhibere volentes monet, vt antea perpendant, quod calefaciat. z) Idem prorſus aſſerit Roſen de Roſenſtein (Kinderkrankheiten p. 74.) *Hoffmannus* autem, ipſo etiam Hippocrate fatente (quamvis locum ignorem) Opium θέρμον eſſe, et ſulphure calido inflammabili conſtare declarat. a) Quo ipſo aſſertum ſuum de pulſu exili et tardo quam praeſtet clariſſime refellit. In ſe ipſo demum corporis incaleſcentiam ab interioribus ad externam cutem vsque diffuſam annotavit *Young.* Ego vero attentus conſtanter obſervavi dato veſperi anodyno aegros ſi non eo ſopiti omnem ſenſum ignorarent, ſemper de moleſto circa caput et praecordia calore mane altero conqueſtos fuiſſe, non ſecus ac illi, qui ante lectuli ingreſſum epoto mero igniculos ſanguini immiſerant.

u) *in Hiſtoriis Apoplect. Exercit de loco affecto* p. 234.

x) §. 2.

y) *diſſ. de Opio* §. 33. 34. 35.

z) *in Commentario proprio in aphoriſmos invito Auctore edito* aph. 610.

a) *diſſ. de Operatione Opii* §. 14.

§. X.

EXPERIENTIA III.

Opium ſanguinem celerius a ſe motum per vaſa, et calidiorem redditum rarefacit, attenuat eiusque volumen auget.

Contrariae ſententiae Patroni.

Vt calor citatiorem pulſum, ita rarefactio ſanguinis natum calorem phyſica neceſſitate inſequitur, fidem ergo ſuam iam habet praeſens Experientia ex veritate antecedentium, ſeorſim autem per certiſſima phoenomena confirmatur. Generalis lex eſt, omne corpus naturale incaleſcens pro gradu incaleſcentiae in omnem dimenſionem extendi, et rarius reddi, atque eidem legi denſiſſima omnium ſubiiciuntur, ne

quidem

quidem duriſſimo ferro excepto. Quidni igitur ſanguis noſter fluidum elaſticum, caloris amans, et gradus eius ſenſim evectos admittens, volumen vndiquaque maius inde adſequeretur? Id ſane ita planum et evidens eſt, vt peritorum neminem aliter ſtatuere poſſe veroſimile evadere ſtatim debeat. At vno errore admiſſo, tranſitus ad plures facilis valde, et omnino certus. Illique autores omnes, qui motum imminutum et frigus ab Opio in Corpore ponunt, tantum abeſt vt raritatem humorum admittere, et ponere poſſint, vt potius prona conſequentia, in his nonniſi denſitatem et coagula ſibi fingere cogantur. Mirum eſt *Levinum Lemnium* b) et *Curaeum* c) diſertis verbis referre in demortuis ab Opiatis ſanguinem inſtar glaciei coactum, et quaſi congelatum vaſis cerebri adhaerentem, inventum fuiſſe. Eiusmodi traditionibus et ſomniis deceptus *Valentini* d) Opium ſpiritu ſuo acido volatili ſanguinem coeterosque humores circulandos quodam modo ſpiſſiores reddere aſſeruit. Frigus cadaveroſum ab Opii exhalatione, et liquorem animalem acorem contrahentem et fixum quoque memorat *VValdſchmidt* e) *Craanem* f) ſpirituoſas et volatiles particulas Opii eadem ratione ſanguinem coagulare autumat, ac ſpiritus vrinae ſpiritum vini. Non minus Cl. *Borrichius* nil niſi infrigidans, condenſans, ligans et figens ſibi in Opio imaginatur. g) Licet vero anceps haerere videatur *Rammazzini*, h) ac de Opii facultate ſeu figente ſeu liquante nolit diſquirere, dum tamen vinum fundere humores noſtros aſſerit, Opium vero aliter agere in corpus reputat quam vinum, ex hac adſumpta operandi differantia, et praeconcepta opinione quod Opium pulſum minuat et frigus inducat, neceſſario pro inſpiſſante et figente Opii virtute quam in fluida noſtra exerceat, ſtare debet. Sed ſine ceſpitatione *Cardanus* i) ipſam tenuem narcoticorum caliditatem hebetare omnes ſenſus et ſanguinem coagulare reputavit, cum quo facit *Lindeſtolpe*, k) etſi operandi modum Opii incertiſſimum ſimul ſibi haberi profitetur. *Stentzelius* l) autem quaſi

b) *de occultis Nat. Miraculis lib.* II. c. 52.
c) *lib.* II. *de ſenſu c.* 17.
d) *Muſ. Muſaeorum p.*272 §. 5.
e) *diſſ. cit. p.* 10
f) *de Homine p.* 440.
g) *in Tr. de ſomno et ſomniferis*
h) *de Morb. Artificum c.* 20.
i) *de Venenis lib.* I. *c* 20.
k) *de Venenis c.* X. *theſ.* 79.
l) *de Venenis lib.* I. §. 46.

quaſi in bivio venena narcotica equidem praecipue reſolvere agnoſcit, attamen ne contra receptam opinionem peccet, ſimul reſolutione hac tenue ſerum diſſipari et reſiduam maſſam inſpiſſari cauſatur. Superſunt adhuc plures recentiorum, qui in hac Opinione verſantur. Opium aeque ac alcohol vini ſanguinem coagulare dicit *Stuartus* m), atque *Stancarius* n) partes Opii oleoſas vel ſulphureas ſerum ſanguinis ad concretionem diſponere Auctor eſt. Cl. *Hebenſtreit* o) narcotica ſanguinem glutinare, atque ita mutare, vt optimus ab illo nervorum ſpiritus intra cerebrum confici non poſſit ſibi perſuaſum tenet. Atque tandem, quod minime expectaſſem, *Alſtonus* p) graphice teſtatur, Opium magis coagulare et inſpiraſſe ſanguinem quam reſolvere et attenuare, idque aſſertum experimentis inſtitutis, commiſtione nimirum ſolutionis opii aquoſae cum lacte ſero ſanguinis ex arteriis et venis miſſo, vbi ſemper coagulum enatum eſſe ſcribit corroborare allaborat.

m) *Phil. Trans. no.* 414.

n) *in Comment. Acad. Bonon Anni* 1731. *p.* 161.

o) *Anthropol. forenſ Sect. II. Membro II. Cap. II* §. 12.

p) *Act. Edinb. Vol. V. Part. I. Art. XII. ſect. III.* §. 9. *et paſſim alibi.*

§. XI.

Meliora ſentientes adducuntur, et experimentis probatur Opium ſanguinem rarefacere.

Facile clarum eſt ex falſo principio ſemel admiſſo, falſa profluxiſſe conſectaria, ipſo tamen ſenſu externo in totum diluenda, cui penitus repugnant qui coagulum ab Opio humoribus enaſci, ſibi imaginantur. Qualitates ſanguinem figendi et incraſſandi quas nonnulli huic pharmaco tribuunt non facile deprehendi, niſi forte hoc id dicatur efficere, quatenus compagem eius reſerando ſeroſitates copioſe ſecerni et amantari facit, vt liquor reſiduus ſpiſſior evadat, affirmat *V Villiſius* q) qui ſimul potentiam ſanguinem vere fundendi argumentis e Praxi petitis adſtruit. Valde egregie contra acidum et figens ſulphur Opii putatitium, quod coagulum ſanguini inducere multi reputarunt, diſputavit Cl. *Hoffmannus* r) eiusque actionem imaginariam eſſe ſolide oſtendit, rariorem potius illum et tenuiorem reddi ab Opio aſſumpto probans. Deinde etiam eiurata haereſi de condenſatione, quam antea animo fovebat Celeb. *Bergerus* s) vim Opii

q) *Pharm. Rat. Part. I. Sect. VII c.* 1. *p.* 186.

r) *diſſ. de Operatione Opii* §. 12. *et* 15.

s) *de natura humana p.* 447

Opii rarefacientem integra diſſertatione perquam ſolide adſtruxit. Porro Opium ſanguineum laticem mirum in modum diſſolvere, expandere, et rariorem efficere, notavit *Geoffroy.* t) Non aliter *Thomſon* Conſtare ait Opii ſubſtantiam ſine miſcela quavis extranea facile igne ex arena ſpiritum effundere oleoſum foetidiſſimum, id eſt maxime Volatilem; Huiusmodi autem recepta in ſanguinem, eundem rarefacere, ſeu mole expandere. Illuſtr. autem *Boerhaavius* u) Practicos monet, vt exhibituri Opium perpendant, quod calefaciat, et calore nimio enato plus rarefaciat, et moveat humida. Merito eapropter *Stuarti* ſententiam taxat et pro Praeceptoris ſententia militat *Hallerus.* x)

Atque certe molis ſanguineae maior expanſio ab Opio, optime animadvertitur ex vaſorum omnium maiori amplitudine et turgeſcentia, quam cum rarefactione ſimul notarunt Phoenomenorum ab Opio ſumto evenientium attenti Obſervatores. Sanguinem inde primaria actione attenuari, impetum cordis fortiorem reddi, et augeri ad vaſa humorum plenitudinem ſcripſit *Freind* y) et alibi Camphoram et Opium omnium forte remediorum attenuantium validiſſima vocavit. z) Deinde a miſtura particularum Opii cum ſanguine eum rareſcere et vaſa diſtendi aſſeruit *Mead.* a) *Pitcarnius* b) quoque a rareſcente per Opium ſanguine arterias ſolito plus diſtendi, docente pulſu conſignare non oblitus eſt. Atque ex hoc humorum turgore et in foeminis lac auctum cum Mammarum intumeſcentia notat *Geoffroy.* c) Sane ex Analogia quum cum Vino, alcohole, et ſalibus volatilibus alit Opium, rarefactio liquidorum et pulſus elevatio clara reddi debet, quippe quae ab illis ingeſtis ſtatim inſequitur. Prorſus autem fallitur *Alſton* d) quando ex coagulo quod alcohol Opio analogum ſanguini inducit, ad coagulum ſanguinis ab Opio argumentatur. Coagulat alcohol ſanguinem extra vaſa effuſum, et vbi eidem ſat magna quantitate admiſcetur; rarefacit autem in corpore vivo

t) *Mat. Med. T. II. p.* 398.

u) *in Comment. in aphoriſmos ad aph.* 610.

x) *in Comment. in inſtit. Boerh. Vol. IV. p.* 517.

y) *Emmenol. c.* 14.

z) *Hiſt. med. Aetius pag. mihi* 152. *edit. Pariſ.*

a) *de Venenis p.* 130.

b) *diſſ. de circulatione in animalibus genitis et non genitis* §. 13.

c) *Mat. Med. T. II. p.* 696.

d) *Act. Edinb. Vol. V. Part I. Art XII Sect. III.* §. *XI.*

vivo circulantem, ſi parca copia in relatione totius maſſae ſanguineae illud ingrediatur, vaſa potenter ſtimulando, motumque et calorem augendo. Atque ita et agere conſuevit Opium, quod tamen cavere nequit, ne rarefactus in viventibus animalibus cruor in cadaveribus eorum iterum tandem coeat et concreſcat. Non ſicco pede tranſeunda ſunt experimenta, in harum rerum fidem mixtione ſanguinis et eius ſeri cum Opii ſolutionibus inſtituta. Sanguinem Canis recenter extractum mixtum cum laud. liqv. Syd. et Panacea liquida Opii D. Iones rutilantiorem et potenter attenuatum vidit *Freind.* e) Idem teſtatur Eller Memoires de Berlin Tom. VII. p. 17. Minime ergo conveniunt haec obſervata cum illis, quae adducit §ho antecedente citatus *Alſton* f) ad *Freindium* provocans. Sed apprime *Freindianis* reſpondent experimenta *Hambergeri.* g) Hic nimirum convictus fuit, non ſaltem cohaeſionem aquae pluvialis vltra dimidium per Opium minui, ſed et commixtione ſolutionis Opii ſerum ſanguinis bovinum idque etiam cruentum, adeo mutatum eſſe, vt partes eorum longe minus ac antea inter ſe cohaererent. Porro etiam in *Actis Edinburgenſibus* h) legitur experimentum huc pertinens. Ex inciſa vena aliquot guttae ſanguinis exceptae fuere vaſculo, ſtatimque pulvis ſubtilis opii paucula quantitate iis inſpergebatur, quo ipſo ſubito diffluebant. Idem effectus in ſero pulvere opii conſperſo notatus fuit. Alio tempore vaſe conico cui inditus erat ſcrupulus vnus ſubtiliſſime pulveriſati Opii, excipiebatur vncia dimidia ſanguinis, qui licet in fundo Opium immotum maneret, in ſuperficie ſua exhibebat multas bullulas diverſae magnitudinis, viſusque eſt adhuc poſt 3. horas hic ſanguis minus compactus, quam alius in alio vaſe, cui opium non immiſſum erat. Sed his obſervatis praeferenda omnino videntur experimenta, cum ſanguine inſtituta, in vaſis vivorum animalium adhuc circulante. In ſectis animalium cadaveribus quibus antea exhibitum erat Opium, *Bergero* i) teſte ventriculus rubore ſuffuſus inventus eſt, in vaſis autem

e) *Emmenol. Cap. XIV. pag. m.* 143. 145.

f) *l. c.*

g) *diſſ. de Opio a* §. 29. 44.

h) *Vol. VI. edit. germ. p.* 606. 607.

i) *diſſ.* §. 4.

et corde ſanguis nunquam coagulatus, ſed floridus ſpumoſus magis reſolutus, ſeroſus, fluidus, pulmonesque ſpumei ſemper apparuerunt. Eundem quoque effectum non tantum in felibus, ſed etiam in avibus et columbis et corporibus humanis ipſe obſervavit *Borrichius*,[k]) licet coaguli Fautor. In venam Canis iugularem iniecit *Freind*[l]) Opium liquidum; Ex vena cava et aorta deſcendente mortuo tandem cane apertis effluxit ſanguis admodum tenuis, rutilus, pulmonesque ſanguine turgidi rubeſcebant. In corde ſummus ſanguinis fluor, ventriculi eius a coagulo ita immunes, ac ſi aqua calida eſſent eluti. Idem alii cani propinavit laudanum ſolutum, aperto Cadavere, arteriae et venae omnes inſigniter diſtentae conſpiciebantur, ſanguis vero in vniverſo corpore ſupra quam credibile eſt, tenuis erat et rarus. Opium ſanguini admiſtum eum diſſolvere, quoque aſſerit *Schwenke* (haematol. p. 188.) Tantem *Alſtonus*[m]) ipſe quamvis viſurus an ſenſibilis mutatio ſanguini ab Opio accideret, pedemque ranae cui aliquot guttas Solutionis Opii in Ventriculum inſtillaverat, attente conſiderans nil mutationis detegere poſſet, tamen in pede alius ranae paralytico, beneficio microſcopii globulos rubros penitus ſolutos, et vaſa ſero aquoſo cruento repleta obſervavit. Omnibus interim Experimentis in brutis factis praeferenda eſſet, ſi ſat firma fide ſtabilita legeretur, Experientia quam habet *Geoffroy*.[n]) *Sanguinis diſſolutionem* inquit *ab Opio, rarefactionemque arguunt pulſus magnus et elatus, calor per totum corpus diffuſus, fluiditas ſanguinis eorum, qui Opio continuo vtuntur, vix enim refrigeratur concreſcit; Et obſervarunt cruorem ex Turcarum et Indorum in proeliis occiſorum cadaveribus poſt vnum aut alterum diem aeque fluidum dimanare, ac ſi noviſſime fuiſſent enecati.* Novi bene Cl. *Toungium* experimenta cum Opio et humoribus Animalium admiſtione et iniectione in venas facta, atque inde educta ratiocinia inutilia, fallacia, et vana declarare, pro diſcendis remedii huius effectubus veris, et recte quidem, ſi alia phoenomena et omnia reliqua phoenomena negligantur, quae ab

k) *de ſomno et ſomniferis*

l) *Emmenol. c. XIV. pag. m.* 146.

m) *Act. Edinb. Vol. V. Part. 1. Art. XII. ſect. III.* §. 7.

n) *Mat. Med. Tom. II. p.* 699.

vſu emergunt. Interim tamen ipſe *Youngius* rarefactionem ab eodem actu fieri non ſaltem non negat, ſed paſſim eum vrget; et dum a ſomno per opium inducto phoenomena omnia deducit, quae fere eadem eſſe dicit ac illa quae a ſomno naturali pendent, ſub ſomno naturali humores attenuari et temporariam plethoram ad vaſa induci idemque prorſus et ab Opio fieri diſertis verbis declarat. Non poſtremum demum attenuationis et rarefactionis liquidorum ab Opio certiſſime proficiſcentis teſtimonium ſuppeditat immanis ſalivatio, et humorum ſpumoſorum ipſum Opium redolentium profluxus copioſus ex faucibus animalium quibus id paulo ante intruſum fuit, notantibus cum *Bergero* o) *Freindio*, p) *Buchnero*, q) *Spraegelio* r) *Lorry*, s) et aliis quamvis illa omnino et ab acrimonia opii glandulas ſalivales irritande pendeant. Ex his vero omnibus ordine et coniunctim perpenſis, ſatis iam apparet Experientiae meae tertiae Veritas, quam adhuc quamvis ſibi non ſemper ſimilis paſſim in libello ſuo confirmat *Hecquetus*, et maxime ſequentibus Verbis, quae magna mea Voluptate coronidis loco appono. t) *Vulgaris quidem* inquit *Accuſatio contra Opium, ſed ficta eſt, quod occludat vaſa* (κολλητικὸν τῶν φληβῶν) *quod ſanguinem figat; quod curſum eius inhibeat, et circulationem retardet. Sed omne hoc evidenter falſum eſt; namque poſt motum quem in ſanguine ciet, cuius ſudor teſtis eſt, non dubitari poteſt, quod ſanguinem potius rarefaciat opium, quam condenſet. Obſervarunt Practici quod vaſa aperiat* (ἀναστομωτικὸν τῶν φληβῶν) *hinc mictum cruentum inducit, hinc mortiferam Borello teſte induxit haemorrhagiam venam aperiendo, homini dum dabatur, cui ea die illa ſecta erat. Hinc conducit chloroticis aeque ac alia aperentia ipſaque aloë.* Crediderim ego vel hoc ſolum teſtimonium extra omnem dubitationem collocare quod Opium ſanguinem rarefaciat. Progedior ergo ad alia.

o) *diſſ.* §. 4.
p) *Emmenol. cap* 14 *pag. m.*146.
q) *diſſ de Opio* §. 30, *ſeqq.*
r) *diſſ. experimenta circa varia venena habente Experim XV. et aliis.*
s) *Iournal Encyclopedique Tom.* I. *Part. II. p.* 73 74.
t) *p.* 184. 185

§. XII.

§. XII.

EXPERIENTIA IIII.

Opium Reſpirationem citatiorem et difficiliorem reddit.

Equidem *Ettmullerus* u) ab Opio faciliorem reſpirationem fieri aſſerit, neque aliter poteſt. Nam dum quietiorem ſanguinis circuitum inde reddi affirmat, etiam reſpirationem minorem et minus frequentem moderatumque ſanguinis per pulmones traiectum debuit admittere, et ex praeſuppoſitis ſuis concludere. Adeo foecunda errorum plurium mater eſt praeconcepta Opinio! Aetiologiam Experientiarum exhibiturus monſtrabo, ſub qua conditione Opium reſpirationem liberiorem facere queat. Certum vero eſt, quo magis ab eodem ſanguinem celerius in orbem proiiciente creſcit circuli celeritas et ſanguinis circulantis rarefactio et incaleſcentia, eo magis phyſica ſequela reſpirationem laborioſam reddi. Conſtanter nempe verum deprehenditur, omnia ſine exceptione quae ſanguinem rariorem reddunt, aeſtum ſolis, curſum, vinum, ſtimulantia acria et volatilia atque alia omnia, quae vt haec talem ſanguinem ſimul celerius per pulmones fluere faciunt, ſemper maiorem minoremque diſponeam progignere. Quin in ſomno adeo anhelitus eſt impeditior, a rarefacto ſanguine; ſtertorem aliquando accerſens. De Opio autem veriſſimum eſt quod ſpirandi libertatem interturbet. Ego certe in omnibus, qui vel praeter neceſſitatem vt aliquando fit, vel ob dolores, aut fluxiones, Opium aſſumere iuſſi ſunt, reſpirationem difficiliorem ſemper ad tempus obſervavi, mecumque faciunt accurati indagatores effectuum Opii vſum inſequentium. Expertus iam olim fuit *Scribonius Largus* x) id ſpiriatonem impedire. Deinde *VVilliſius* y) poſt doſin maiorem reſpirationem admodum anguſtari, et non tantum difficilem, ſed etiam inaequalem reddi teſtatus eſt. Memorat quoque *Hoffmannus* z) Opium fere ordinarie efficere reſpirationem anguſtam ac difficilem, anxietatemque circa praecordia,

u) *diſſ. de Virtute Opii diaphoretica Cap. I. §. 3.*

x) *de Comp. Med.* C48. 108

y) *Pharmac. Rat. Part. I. Sect. VII. c. I. pag.* 180.

z) *diſſ. de Opii Operatione §. 9 et Med. Syſt. Tom. II. p.* 270 *idem Stentzelius de Venenis lib. II. §.* 46.

cordia praeſertim in iis, qui ſanguinem copioſum in vaſis gerunt. Diſponeam pro tempore experiri eos qui Medicamenta opiata introſumunt quoque animadvertit *Mead* a) et maxime a largiori doſi eam evenire notat *Freind.* b) Porro *Hambergerus* c) ab Opii nimia doſi ſpirandi difficultatem et anxietatem inſequi ſcribit, reſpirationem citam *Buchner.* d) Reſpirationem celeriorem et difficiliorem ab Opio reddi etiam notat. Roſen Kinderkrankheiten p. 74. Eadem ratione *Bergerus* e) quantitate paulo largiore vel intempeſtive exhibitum Opium aeſtum corporis et anxietatem vehementem parere Auctor eſt. Ex his patet ex quo fundamento aſſeruerit *Tulpius* f) Opium anguſto pectori periculoſum eſſe. Illis vero omnibus huius rei veritatem coram licuit intueri, qui animalibus brutis exhibuere Opium, atque curioſi quid illis deinde accideret, annotarunt. Felium et canum ora hiantia, et ſpumam protrudentia, palpitantia corda, et anxietates ſummas oculis vſurpavit *Bergerus.* g) Canem cui *Buchnerus* h) ferculum opiatum obtulit is cum pulſu celeriori et auctiori celerius reſpirantem vidit. Illa quoque canicula in cuius ſtomachum vi Opium immiſiit *Mead* i) frequenter ac laborioſe reſpiravit, ac ſuſpirans mortua eſt. Multa cum cura adiicio experientiam duorum Medicorum quoad hoc Phoenomenon in ſe ipſis obſervatam. Cum per errorem paulo largiorem doſin Opii ſumſiſſet Gabriel *Clauderus* k) ſenſit tenſionem ſcapulae cum aſthmate, adeo vt pleuritidem inſtare crederet, quam bis iam ſuſtinuerat. Difficiliorem etiam et anxiam reſpirationem a laudani liquidi generoſiore doſi expertus eſt *Young.* *) Si Opium necet vt pulſus tum ſit parvus, et frigus corpus prehendit, ita et reſpiratio parva et frigida redditur, quam iam notavit *Aetius.* l)

a) *de Venenis* p. 130

b) *Emmenolog. c. XIV.* p. 140.

c) *diſſ. de Opio* §. 16. et 49.

d) *diſſ. de Opio* §. 45.

e) *diſſ.* §. 2.

f) *Monitorum Medicorum in calce Obſ.* p. 387.

g) §. 4.

h) §. 29.

i) *de Venenis* p. 133.

k) *Eph N.C. Dec. II. Ao. V. Obſ.* 178.

*) *Sect. III. bis, fer.*

l) *Terab. IV. Serm. I. c* 69.

§. XIII.

§. XIII.

EXPERIENTIA V.

Opium ſanguinem celerius provolutum, calidioremque et rariorem redditum copioſius determinat ad caput.

Communis eſt obſervatio, omnes illos qui Opium quemcunque in finem aſſumſerunt, licet coeteroquin eius vſum facile ferant, et potiti votis eum collaudent et denuo expetant, tamen fere ſemper capitis gravitatem maiorem, minoremque, inde reſiduam habere. Cum igitur ſolidis omnibus externi internive capitis, nihil molis acceſſerit ab Opio, valebit omnino concluſio, fluida ibidem copioſius iuſto congeri, diutius commemorari, atque non moveri rite, promoverique. Valde autem memorabile eſt non ſaltem intus adſumta Opiata id praeſtare, ſed adeo odore ſuo viroſo et gravi caput tentare atque opplere. Maxime autem omnino eum effectum venis infuſa aut ore ingeſta edere ſolent. Iam dudum ſcivit *Scribonius Largus* [m]) ab Opio gravari caput *Wedelio* [n]) notante id praecipue minus caute datum caput valde replet. Ab Opio ſumto caput aliquamdiu gravatur ex teſtimonio *Wepferi*, [o]) meminique aliquando litteris humaniſſime ad me datis ſcripſiſſe *VVerlhoſium* Opium ſemper καρυβαρεῖαν poſt ſe trahere. Plus ſimplici vice mihi narravit amiciſſimus Canonicus, et Praelatus Praepoſitus ad aedem S. Crucis Vratislavienſem ſe olim Venetiis a Medico accepiſſe largiorem Opii doſin, poſtea vero per multos dies ponderoſiſſimum caput circumgeſtaſſe. Atque ipſe ego infandis cholerae doloribus afflictus, ſumtis per vices mediocribus laudani liquidi praebiis, plumbeum quaſi occiput nactus ſum, vt caput totum retrorſum ſemper nutans erectum tenere prorſus nequirem. Cauſa vero genuina gravitatis huius copioſior ſanguinis congeſtio, externis ſignis iisdemque ſat evidentibus in ſenſus incurrit. Non enim ſaltem ab Opio notante *Thomſono* p) facies tumidior redditur quam in ſe ipſo

m) *de Compoſ. Med.* C. 48.

n) *Opiol. p.* 156.

o) *in Hiſtor. Apoplecticorum Exerc. de loco affecto p.* 231. *edit. Amſtel.*

p) *diſſ. p.* 120

ipſo conſpexit *Young*; verum vt *Bergerus* q) ait id paulo largiori copia aſſumtum praeter tumorem faciei, ruborem quoque eius et praecipue oculorum inducit. Horridum oculorum adſpectum, eosdemque cum tota facie rubentes, truces, feroces, protuberantes memorat *Stentzelius*, r) homoque ille qui referente *Schelhammero* s) per errorem grana tria cum dimidio Opii aſſumſerat, mente obnubilata et torpida reddita, credidit oculos ſuos eſſe quadruplo maiores, veritusque eſt ne tantam eorum magnitudinem horrerent adſtantes. Ruborem faciei quoque refert *Crato*, t) cumque rubore eius et turgore inflationem venarum capitis *Hoffmannus*, u) ſpeciatimque cum inſolito rubore faciei labiorum intumeſcentiam *Hambergerus*. x) Tandem obſervaſſe Practicos ſcribit *Hecquetus*, y) quod non ſaltem Opium potum faciem extraordinaria rubedine perfundat, verum ipſi adeo quaſi inflammationem inducat. Vehementer igitur ſeſe fefellit *Rammazzini* qui in ſoporatis ab Opio pallorem et faciem cadaveroſam ſeſe deprehendiſſe ſcribit, cum talis nonniſi eo tempore obſervetur, quando iam mortis periculo, vel ipſi morti proximum aliquem reddidit intempeſtivus Opii vſus. Atque vt in externis capitis partibus influxus ſanguinis copioſior, et mora in vaſis adſpectui cuivis ſeſe ſiſtit, ita quoque eodem tempore ad interiora largiter cruor congeritur, optimeque proinde edixit *Hallerus*. z) Certum eſſe ab Opio ſanguinem ad cerebrum determinari, et a rareſcente eius vaſa diſtendi monuit *Mead*. a) Catherwood (de Apopl. p. 40.) et Roſen (Kinderkrankheiten p. 75.) Effectubus ſuis etiam ſeſe manifeſtat eiusmodi ſanguinea ad caput ab Opio prognata congeſtio. De gravitate capitis iam dixi. Vertiginoſa etiam omnia animalia redduntur, quibus ferculum opiatum obtruditur, idem de hominibus valet. Pavores et vertiginem cholera laborans ex vſu Opii expertus ſum ipſe, pavores vertiginem et tinnitum aurium ſenſit quoque Cl. *Young*. Taceo morbos ortos ab Opio vnice a congeſtione derivandos de quibus dicam in ſequentibus. Conſentiunt

tandem

q) *diſſ.* §. 2. *idem Geoffroy Mat. Med. Tom. II. p.* 699

r) *de Venenis lib. I.* §. 46.

s) *Eph. N. C. Dec. II. Ao. V. obſ.* 12.

t) *Epiſt.* 251.

u) *diſſ. de Operatione Opii* §. 5.

x) *diſſ. de Opio* §. 16.

y) *Reflexions ſur l'Vſage de l'Opium p.* 184 *Idem Young. ſect. XXII. de Roſen* (Kinderkrankheite *p.* 75.

z) *Prael. Boerhaav. Vol. IV. p.* 519.

a) *de Venenis p.* 130.

tandem et extiſpicia animalium, quae morte ſua luere iuſſa ſunt curioſitatem phyſico-medicam Virorum explorare accuratius energiam Opii deſiderantium. Operae pretium eſt Phoenomena referre. Diſſectis canum hoc remedio paſtorum adhuc viventium craniis dum ſomnolenti erant et ſtupidi, arteriae cerebri cum maiores, tum minimae, quae omnes eius anfractus numero innumerabili pererrant, ſanguine turgidae et diſtentae, tanquam inflammatum eſſet cerebrum, eleganti ſpectaculo comparuerunt, ſectaeque ſanguinem floridum tenuem profuderunt. Neque minus arteriae per medullarem nervorum opticorum ſubſtantiam ad retinam vsque productae huiusque reticulari expanſioni intextae ſanguine tumebant teſte *Bergero.* [b]) Sic et cerebri vaſa ſanguifera admodum plena exhibuit Opio enectus canis, quem *Mead* [c]) experimento deſtinarat, inque ſinu longitudinali magna moles grumoſi ſanguinis aderat vt in Apoplecticis. Non ſecus duo illi quorum vni adhuc viventi, alteri Opio iam enecto cranium aperuit *Buchnerus*, [d]) omnia encephali vaſa ſanguine fluidiore turgentiſſima habuerunt. In homine talia viderunt *Catherwood* et Collins p. 1128.

b) *diſſ.* §. 4.

c) *p.* 134.

d) *diſſ. de Opio* §. 29. 32.

§. XIIII.

Caſus notabiles Auctori obſervati.

Ego vero quanquam eiusmodi experimenta plura inſtituere ſupervacaneum habuerim, neque occaſionem nactus ſim, hominum vel Opiato veneno vel Opiato remedio forte mala applicatione in venenum verſo trucidatorum cerebrum perluſtrandi, vidi tamen aliquoties in externo vultus habitu, ea omnia, quae ex fide digniſſimis auctoribus antea retuli. Atque ex horum phoenomenorum in oculos incidentium praeſentia, interiorum vaſorum ſtatum facili negotio coniicere potui, adnatam totam rubentem imaginem totius cerebri angiologica repraeſentatione contuitus. Laborabat Medicus Amicus febre maligna petechizante, militibus praeſidiariis tum epidemica, quibus dum mederi iuſſus erat hauſto contagio ipſe eodem morbo adficiebatur. Rogatus illum inviſi, atque pulſum ſumme debilem offendens ſuaſi Vinum Rhenanum multa

aqua dilutum, ſuccum citri, acetum, camphoram et nitrum. Proprio trium dierum morbo impeditus eo tempore ipſum haud videram. Interim Medicus alius adveniens de anxietatibus, inquiete, vigiliis, dolore capitis, querelas audiens exhibet laudanum liquidum Sydenhami repetendum per vices ad ſymptomatum horum remiſſionem vsque. Datur ab agnatis, neſcio an largius, et ſaepius, quam iniunxerat Medici conſilium, ſed omnia peiora poſt ſingula praebia. Petunt igitur vt accederem denuo, ſed bone DEVS! quam triſte, quam horridum mihi obiicitur ſpectaculum! Offendo aegrum ſeſe voluntantem in terra, delirum, ira accenſum, minacem, neque mihi quem adeo diligebat Amico ſuo parcentem. Atque quod huc maxime facit Vultum talem contuebar, qualem ſine terrore conſpexiſſet nemo. Videbatur in maiorem molem diſtentum totum caput, facies omnis turgida ex rubicundo in coeruleum vergente foedabatur colore, oculi torvi protuberabant, adnata eorum tota erat inflammata, labia indecore inflata erant, et buccae in deformem tumorem aſſurrexerant. Commotus miſerabili adſpectu ſtatim omni laudani vſui ſevere interdixi, atque clyſmatum repetitorum, ſinapiſmorum ſuris admotorum, ac nitroſorum, acidorumque praecipue iugi vſu impetravi, vt ſibi, et poſtea ſanitati redderetur, in ſummo vitae diſcrimine verſatus aeger. Alium vero adhuc inter varios habeo notabilem caſum, quem dignum iudico qui hic legatur. Generoſus Vir publico muneri praefectus cum ob huius gravitatem et taedia inde naſcentia, tum ob adverſitates et aerumnas domeſticas triſtibus meditationibus indulſerat diu, et curis fractus magnam ſibi adſciverat cerebri nervorumque debilitatem, quam febris acuta longo delirio ſtipata et aegre devicta, peiorem reddiderat. Prodebat illa ſeſe gravitate, ſomnolentia, ſtupore, vertigine, dolore in habitum degenerante. Atque quo minus haec mala remediis praeſcriptis ſatis minuerentur, obſtabat diaetae incuria, et neglecta quoque lex medicinalis de

Vino

Vino aut plane non, aut ſaltem admodum modice bibendo. Perdurante igitur moleſtiſſima malorum caterva quae nonniſi ab internorum vaſorum magna repletione per ſanguinem eo vergentem, ibique ob elateris inertiam nimis cumulatum, deduci poterat, ſenſim quoque intumeſcens facies oculis horride prominentibus, praeternaturali ac ſaturiſſimo tingebatur rubore. Tandem adeo collum per omnem ambitum extendebatur, ita tamen, vt tumore nil indurati, nil ſcrophuloſi habente, ſed digito prementi veluti veſica aëre inflata cedente, is emphyſema quoddam referret. Evacuantia et revellentia perpetua quae mihi indicatiſſima videbantur, roborantia omnia circulum augere valentia noxia habenti, nil iuvabant, ſed eadem mox levior mox gravior permanebat faciei totius et colli rubicunda inflatio. Interea per aëris intemperiem, cui ſeſe expoſuerat aeger, munia coeteroquin obiens, moleſtiſſima afficiebatur tuſſi convulſivi quid habente, et adverſus omnia mannata, emulſiva, oleoſa etc. rebelli. Noveram bene optatiſſimam irritis his, opem praeſtare ſollere opiata, eademque fere ſola; caveram vero ſtudio ab illis, vaſorum capitis conditiones ante oculos habens, neque mediocrem doſin ſuffecturam latranti malo opinabar. Pertaeſus autem tandem aeger mali, quod omnem ſomnum arcebat, pectusque cum ipſo capite immaniter concutiebat, petiit, vt remedio quodam fortiori motus compeſcerem, noctesque minimum paulo magis tolerabiles praeſtarem, atque ſic impetravit, vt invitus fere praeſcriberem pilularum de ſtyrace grana quatuor, Opii granum dimidium habentia. Deglutit ea iturus cubitum, altera vero die ſummo mane feſtinato curſu volant ad me nuncii duo ex famulitio, advenirem ocyus rogantes, dominumque in mortis periculo verſantem ſervarem. Sine mora venio illico, atque invenio aegrum ſtrangulando ſimillimum; nempe fere ad crepaturam intumuerat caput, et ex atro rubente colore turgidiſſima facies cum collo in omnem ambitum extenſo, oculisque horride

M 2 protu-

protuberantibus pingebatur. Vnicum ſolamen in eo ponebatur, mihi inſalubrem Opii actionem ſtatim introſpicienti, quod aeger hactenus ſomnolentus, et aegre expergefaciendus et ſui haud compos, ad ſe redire videretur, de gravitate capitis, aurium ſuſurro, et temulentia quaſi ab heſterno mero largius ingurgitato conqueſtus. Statim iniici curabam clyſma pauliſper acre, cui ſubiungebam potionem purgantem antiphlogiſticam mannatam, detrahere et revellere a capite rarefactorum adeo humorum copiam laborans, quibus remediis ſcopum praefixum attingebam, et deſidere ſenſim tumorem ad illam menſuram quam hucusque ſervaverat, magno meo ſolatio cernebam. Miſſa faciebam deinceps omnia Opiata, ſolisque repetitis evacuantibus vincebam tuſſim, ſimul iniuncta leniſſima diaeta; tumorque capitis et colli diuturno ad annum et vltra extenſo vſu rhei, in quod miro et haud adeo frequente appetitu, aeger fortuna ferebatur, quodque proinde quotidie maſticabat, prorſus abigebatur, facie priſtinam formam cum collo recuperante. Nullum ergo dubium eſt Opium congerere ſanguinem ad caput, eoque facilius et copioſius quo magis iam ex aliis cauſis eo vergit, quoque minus debilitata vaſa alluenti flumini reſiſtunt.

§. XV.

EXPERIENTIA VI.

Opium pacat Animum, eumque exhilarat atque alacrem et audacem reddit.

Vidimus hactenus notabiles aliquot mutationes, quas corpori humano eiusque ſolidis et fluidis infert aſſumtum Opium, ſed non minus conſideratu digna, eademque mira omnino res eſt, mutationes illas vltra corpus pergere, propagarique adeo in ipſam animam. Equidem quando ſub initium Lectionis ſuae de Opio, exhilarantis virtutis qua id inſtruitur, mentionem iniicit *Neumannus*, non niſi ludicro

ſermone

ſermone de eadem verba facit. Sed ſerio verum eſt, Opium ſerenare mentem, eandemque ad luſus et iocos diſponere, ſi vel moroſa et auſtera antea fuerit, atque ex catonica fronte aſperas extergere rugas, et eandem extendere in mollem planitiem. Olim iam in concinnanda Theriaca occupatus *Andromachus* duplicem ſcopum ſibi praefixit et vt venenis reſiſteret, et vt mentem ſerenam, hilarem ac tranquillam redderet. Prioris ſcopi reſpectu vt eſſet θηριακή adiecit trochiſcos viperarum, quos Graeci ἀρτίσκες θηριακοὺς dicunt; et vt reddetur γαλήνη, ἱλαρὴ καὶ εὔδιος curasque arceret, et moleſtiis animum exueret, addidit Opium, Crocum, et Aromata.[c] De Aſiae et Africae populis recenſet *Garcias* ab *Orta* pleroſque Opio ideo liberalius vti, quo laſſitudinem ex laboribus Animique faſtidia tollant.[f] De Aegyptiis ſpeciatim refert Proſper *Alpinus*[g] eos arbitrari, homines Opio quod Affion vocant aſſumto, duarum horarum intervallo hilares fieri, promptioresque in obeundis muneribus, maximeque ad bellum. Vulgum nempe fabulari milites in bello qui eum ſuccum ſumſerunt, omnes belli timorem deponere, ſicque ferociores ad ſubeundam pugnam fieri, vt quaelibet belli incommoda fortiſſime et ſtrenuiſſime deinde ferant. Conſtat autem nil fabuloſi hic ſubeſſe. Opium quippe manducandi conſuetudo apud Turcas quoque iam dudum invaluit, eius enim vſu ſeſe animoſiores fieri neque belli pericula formidare perſuaſiſſimum tenent. Hos ſuum Maslac, Opium ſcilicet orientale, avide ad hilaritatis et roboris conſecutionem devorare ipſe vidit Celeb. *Hebenſtreit.*[h] Atque inde eſt, quod quando Turcarum Imperator bellum geſturus militum delectum facit, recenſente *Bellonio*[i] tota Provincia fere Opio ſpolietur. Indi autem Nigritae quod de iisdem enarrat *Kaempferus*,[k] execrabili abuſu Opium deglutiunt pro efferandis animis, ad homicidiorum patrandorum audaciam, ita vt turbata ratione inſtar tygridum rabidarum excurrant in publicum, obvios quosvis trucidaturi. Sed abſtinent luben-

c) *legatur Schulzius Hiſt. Med.* §. 616. *et* 617.

f) *Hiſt. Arom. c.* 4.

g) *Med. Aegypt. lib IV. c. 1. p.* 255. *et c.* 2. *p.* 261.

h) *Anthropol. forenſ. ſect. II. Membro II. Cap. II.* §. 12.

i) *lib. III. Obſ. c.* 15.

k) *Amoenit. exoticarum faſciculo III. Obſ. XV.* §. 3.

tes Populorum Aſiaticorum multi, modo ſaltem ab Opio ſibi bene eſſet, a damno aliis inferendo, atque moderatiores doſes aſſumendo, pro vno praebio, varia inde ad erigendum et pacandum animum excogitarunt pharmacorum genera.
l) *l. c. p.* 262. Habet Proſper *Alpinus* l) duo Electuaria alterum *Bernavi*, alterum *Bers* dictum, quorum poſterius Opium, Hyoſcyamum et quaedam aromata cum melle recipit, quorumque vtrorumque vſu homines hilares reddi, multa loqui, et canere amatoria ſoleant; Atque in eosdem fines Aegyptios etiam theriacam adhibere dicit. Citat *Kaempferus* m) liquorem quendam quem Perſae et Indi ex foliis et capitibus papaveris parant quemque pro Meconio Graecorum aut Homeriano Nepenthe habet. Porro Electuarium laetificans et laetificando inebrians memorat, cuius baſin Opium conſtituit, quod comedentis animum miris perfundere gaudiis, et cerebrum gratis ideis et voluptatibus demulcere dicitur. Atque forte illud maiorem virium eſt quam quas edere poſſunt Species laetificantes Galeni, quibus quidem vnico Opio addito Autori earum adeo formidabili viſo, inane nomen ferentibus, reale omen, et verus effectus nomini reſpondens conciliari poterat. Neque vero ſaltem in Aſia et America Opii exhilarans virtus adeo famoſa a longo inde tempore exſtitit, ſed ad noſtrum aevum vsque Medicos Europaeos praeſtantiſſimos de ſingulari hac virtute convictos fuiſſe, certiſſimum habetur.
n) *l. c. p.* 139. Ab Opio inquit *Freind* n) Animus alacer, vegetus, pacatus, vigil, vires corporis inſtauratae, quod praecipue experiuntur ii qui Opium interdiu parciore doſi aſſumunt. Idem eleganter confirmat *Mead* o) *Qui modicam Opii doſin inſumunt* ſcribit: *praeſertim ſi nondum diu fuerint adſueti, eousque grato ſenſu inde inducto afficiuntur, vt credant ſe coelo potiri, quod ex eorum verbis ſaepius ediſcas: Quanquam non ſemper obdormiſcunt, ideae tam fortes amabilium ſimulacrorum menti communicantur, quae ſicuti ſomnia ſupra modum Animam occupant, vt praeveniant ſoporem. Atque adeo*

m) *l. c.* §. 2.

o) *de Venenis* p. 128.

adeo perfecta indolentia et quiete fruuntur, vt gaudia nulla ſublunaria delicias gratiſſimae huius extaſeos anteeant. Adſendit *Meadio* omni modo *Boerhaavius.* p) *Quando homini* ait *non adſueto mediocris Opii doſis propinatur, mutatur ita, vt non dormiat, ſed dulcedinem quandam percipiat vt qui in elyſios campos translatus fuerit, et tunc maxime gratam, ſi prius doloribus probe maceratus fuerit. Novi qui ob podagram Opium aſſumſerant, iurarunt ſe ſtatus illius perpetuitatem omni re quae ſibi pretioſiſſima eſſet libenter redempturos, ſi liceret manere talibus quales fuerant poſt Opii praebium.* Eosdem effectus notant Illuſtr. van *Swieten* et de *Haller.* Ille q) parca copia ſumtum papaveris ſuccum laetiſſimum facere ſenſum memorat, qui cogitari poteſt et inſtar Nepenthes Helenae omnium malorum oblivionem, pacatiſſimamque hanc quietem, hoc gratum ſolamen expertos et mirantes ne verbis quidem deſcribere poſſe. Hic r) non minus Opium modico vſu exhilarare profitetur, indeque eſſe quod adeo ametur ab Aſiaticis populis. Bene eapropter antiquam et modernam experientiam ſibi reſpondere monet *Hecquetus* s) hacque motus *Orientales Populi* ait *ſumunt Opium vt reddantur hilares et alacres. Et hi fines reſpondent Obſervationibus, nam nonnulli aegri ab eo non dormiunt, ſed ſentiunt quietem animi et internam ſufficientiam, adeo eminentem vt in Paradiſo ſeſe conſtitutos credant.* Adiicit his calculum ſuum *Geoffroy* t) Debita doſi exhibitum Opium gratam quandam circa praecordia ſenſationem excitare notans, inde Animum diſponi ad hilaritatem, ſicut fit ex modica vini potatione, curas et moleſtiam removeri, ſaepe animum ad ſua munia obeunda alacriorem et vegetiorem reddi, hinc audaciam, ſui fiduciam, fortitudinem, magnanimitatem, et periculorum contemtum vt plurimum ſequi; eamque ob rem Turcas ampla eius doſi ſe ad proelium accingere. Multum ponderis accedit his clariſſimorum Virorum aſſertis per eorum teſtimonium qui ſua ipſi experientia eius-

p) *Praelect. in inſtitut. ad* §. 856.

q) *Comment. in aph. Boerh. Tom. I. p.* 149. 325.

r) *Praelect. in inſtit. Boerh. Vol. IV. p.* 519

s) *Reflexions ſur l'Vſage de l'Opium p.* 76

t) *de Mat. Med. Tom. II. p.* 695.

modi effectus didicerunt, atque vltro laudabilem hanc Opii actionem veriſſimam declararunt. u)Foemina triſtibus cogitatis indulgens ſumſerat granum vnum theriacae coeleſtis, mirum quantum inde levata ſilentibus ad tempus aerumnis perrexit, et cum haec doſis non ſufficere videretur, auxit eam, et melius ſemper ſe habens conſuetudine inducta largiores ſenſim poſcente, tandem vna hebdomade vnciam vnam et dimidiam Opii ſinceri devoravit. Vix alio modo perfectiorem in Animo pacem et felicitatem obtineri quam Opio ipſe eo vſus affirmat etiam *Iones* x) Deinde quoque *Moſes Charas* y) in ſe ipſo et in aliis hominibus ſanis ab Opio non ſemper ſomnum, at vero inſignem αὐτάρκειαν, pacem inſuetam, et tranquillitatem Animi eveniſſe recenſet. Hanc quoque commemorare non oblitus eſt Roſen (Kinderkrankheiten p. 75.) A Benianis convivio exceptus *Kaempferus* cum illi abſtemii in compenſationem Poculorum ſumerent bolum inebriantis Electuarii, buccellam quoque cum ſociis aliquibus inde guſtandi avidus capit. Effectum his verbis deſcribit: z) *Quid ſit; Perfuſi et repleti ſumus quotquot Nepenthe lactati, gaudio quodam inexplicabili, quali me nunquam in vita affectum memini.* Plura vero huius rei teſtimonia in promptu ſunt. Sereniſſima Perſona ſaepiſſime cum ſeria aliqua et magni momenti negotia obeunda ipſi eſſent, antea ſumebat maximo cum fructu Opium, et ſic omnes ſenſus magis alacres et melius diſpoſitos, viresque oneri ferendo magis pares inveniebat. a) Vir quidam ob intolerabiles a calculo cruciatus, ſumta mediocri doſi Opii per noctem non dormivit, ſed adeo tranquillum inde redditum ſeſe profeſſus eſt, ac ſi in DEI ſinu iaceret. b) Vir eruditus nephriticus proprio conſilio ad opiata confugit etiam largiori doſi. Doloribus autem minutis non dormiebat, nec ſtupidus fiebat, ſed aptior ad ſublimes meditationes, per integram noctem continuandas. Ea ſine ſomno transacta mane ad officia ſua non ſegnior et ineptior, ſed alacrior potius et expeditior erat. c) Ipſe Illuſtris van *Swieten* d) vt moleſtum aliquem leniret dolorem, ſumſit aliquando

u) *Act. Phyſ. Med. N.C. Vol IV. obſ. 145. de Opio mentem ſerenante.*

x) *in Myſt. Opii revelatis.*

y) *Pharm. Reg. Chym. c. 51. et Nov. Experim. circa viperas c. 14.*

z) *Amoenit. exotic. Faſc. III. Obſ. XV. p. 652.*

a) *Wedel Opiol. lib. II. Sect. IV. c. I. p. 165.*

b) *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ao. X. Obſ. 80.*

c) *ibid.*

d) *in Comment. Tom. I. p. 818.*

quando vnicum granum Opii, hoc cum effectu, vt vigilem duceret noctem, ſed absque dolore, tantoque cum animi delectamento, vt feliciorem in campis ſuis elyſiis ſtatum fingere non potuerint Poëtae. Celeritatem cognitionum cum ſingulari voluptate, quae Poëtis neceſſaria eſt Opio ſumto excludi notat Hooke (experim. p. 210.) et C. Iardin (Tom. IV. p. 207. 208.) Canonicus ille mihi adamatus, cuius in antecedentibus mentionem feci, grave caput ab Opii largiore doſi per dies expertus, prima tamen Operatione vt mihi ſaepe enarravit, fortunatiſſimam exſtaſin et ineffabilem animi recreationem perſenſit, quare ſaepius ad taedia mentis fallenda mediocre praebium deglutire conſuevit. Medicus quidam celebris Suidnicenſis in Sileſia mea, quoties Amicorum conventubus intereſſe iubebatur, vt ad ſales et vrbanos iocos evaderet aptior, auſteritatemque felix poneret, domo exiens granum vnum laudani opiati deglutiabat. Sed ſatis Probationum! Vnum tamen ſaltem adhuc mihi liceat nominare Illuſtriſſimum Virum, rerum cameralium Directorem, cui dum huic ſcriptioni vaco, Medicinam facio. Dederam methodo Sydenhamiana poſt purgans propinatum veſperi ad tumultos ſopiendos pulvillum cum grano dimidio Opii. Non valeo verbis exprimere quam gratioſa allocutione, quam larga dediſſimi animi ſignificatione, die ſubſequente mane me eum inviſentem exceperit, quantaque verborum ſuavitate beatiſſimam ſortem ſuam, quam vigilans maximam noctis partem perceperit, nulli voluptati vnquam guſtatae parem collaudabat. Eaque propter etiam interrogabat anne liceret omni veſpera eiusmodi medicamentum aſſumere, quod multo pretio redempturus foret. Cui voto cum annuere nollem, omnem Opii aſſumenti conſuetudinem declinare ab aegris meis laborans, data dextra tamen polliceri debui, me interdum eius virtutis pulverem exhibiturum, promiſſis ſtare poſtea amica compellatione ab Amabili Viro aliquoties coactus De agro quoddam Phthiſico recenſet *Young* ſect 22. quod ſolamine theologico privatus ab Opio obtinuerit incredibilem Ani-

mi tranquillatem, ita vt cantilenis exhilarantibus, tempus fallens mortis adventum parvi fecerit ſimilesque aliquot alios caſus adfert. Num igitur mirum eſt quando idem *Toungius*, (c. 19.) Opium miſeris aegris doloroſae et periculoſae Operationi Chirurgicae ſubiiciendis Animum addere eloquitur? Sane ante ſectionem calculi *Horſtius* e) ante Amputationem membri ſphacelo correpti poſt *Wedelium* f) Narcoticum Cardiacum laudat *Boerhaavius*; g) Atque Illuſtr. van *Swieten* h) ſummi vſus id eſſe dicit, vne alterave hora ante Operationem exhibitum, non hac ſpe vt ſopitus aeger nullum ſentiat dolorem (tanta enim copia dare haec remedia periculoſiſſimum foret) ſed ideo vt inſtantis mali metus tollatur, vel minuatur ſaltem, cum eius perpetuo praeſente imagine. Cur vero hoc ipſum non ſuccederet ex voto quando ipſi morti obfirmato animo obviam incedunt atque levius deguſtato eius amarore, ex hac vita abitum parant, qui iter hoc opiato viatico inſtructi ingrediuntur. In India id ſumunt illi docentibus Itinerariorum ſcriptoribus, qui ſupplicio deſtinantur atque ſic violentam animae a ſuo corpore ſeparationem conſtantes et audaces ſuſtinent. i) At vero et in lectulo ſuo puriore conſcientia et fama analyſin beatam anhelantibus Opium quandoque prodeſt. Non prorſus immerito *Freytagius* k) licet a *Sennerto* l) taxatus aſſerit, Laudanum prodeſſe morientibus ac fato vltimo accinctis nulloque amplius alio pharmaco proficiente ſalutarem vim et ſolatium in deplorata neceſſitate ita afferre, vt praeſentiore animo et minore cum anxietate animam Creatori reſtituant, decretoria horula quantum natura admittit, aliquando etiam protracta. Namque qui non nimis Opio favet Cl. *Geoffroy* m) miram quandoque virium et vitae recreationem in quibusdam ſemimortuis et ad extrema redactis inde evenire teſtatur, id quod a vi cardiaca Opii in antecedentibus adſtructa omnino ſperari poteſt.

e) *lib. X. Obſ.* 3.
f) *Opio. lib. II. ſect. II. c.* 8. *in fine.*
g) *aph.* 469.
h) *in Comment. ad hunc aph.*
i) *Vide Andrae Itinerarium lib. I. c.* 9.
k) *de Opio c.* 7. *et* 8.
l) *lib. VI. Part. VII. c.* 1. *p.* 297.
m) *Mat. Med. Tom. II. p* 696

§. XVI.

EXPERIENTIA VII.

Opium Temulentiam, Torporem, et Ebrietatem inducit.

Ab illa compoſita animi ſerenitate, hilaritate, et alacritate

te per Opium homini inducta, facilis per gradus progreſſus datur, ad eam, quae ſolutior et effuſior reddita, Temulentia potius et ebrietas audire meretur, ac a paulo maioribus praebiis vel mediocrium repetitione pendet. Atque hic effectus apud eos etiam ſeſe manifeſtare ſolet, qui aliter ſat bene ferunt Opium largioribus ac plane largiſſimis doſibus, iisdemque inſuper ſaepe repetitis, adſuevere. Vidit *Bellonius* n) Ianiſſarum ſingulis diebus Opio veſci ſolidum, qui integra drachma vno bolo devorato nihil incommodi inde ſenſit, praeterquam quod temulentus quodammodo videretur. Talem quoque hominem novit *Thomſon* o) qui a viginti et amplius annis ob graves ventriculi cruciatus Opio fuit adſuetus. Is ab Opio noctu devorato die inſequente temulenti inſtar, vertigine laboravit, et titubavit. Cognitam porro foeminam habuit de *Gorter* p) quae aſſumebat ſingulis diebus drachmam vnam Opii ſed ſemper temulenta erat, et aliam, quae quotidie deglutiebat Philonii Romani drachmas tres, cum ſimili effectu. De eiusmodi Helluonibus in devorando Opio etiam teſtatur *Alpinus*, q) Etſi affirment eo vſu recte ſe valere, tamen functiones eorum deteriores fieri, ebriosque et torpidos fere perpetuo apparere, et alibi de iis refert r) quod fiant veternoſi, fereque ſtupidi, atque apud omnes inconſtantes habeantur, cum modo aiant, modo negent, ideoque omnes cavere dicit ne cum ipſis tractent. Neque hoc mirum, quia optime rem explicante Cl. *Mead* s) apud Turcas et Perſas aliosque populos Opium adſumere adſuetis, largarum doſium effectus non alius eſt, niſi ſumma ebrietas. Haec vero dum habitualis perpetua Opii ingluvie redditur, ad vitae munia et ſociale commercium aeque inhabiles ſuos Amatores reddere debet, ac ad illud omnes aquarum vitae, vinique quotidiani potatores reddi perſpiciuntur. Atque certe et huius temulentiae et ebrietatis reſpectu magna datur inter Opium et Vinum affinitas. Narrat laudatus *Alpinus* t) ab Electuario Opiato Bernavi dicto hilares redditos homines, multa loqui, canere amatoria, multum ridere aliaque deliramenta laeta prodere,

n) *lib. VII. Obſ. c. 15.*

o) *diſſ. p. 121.*

p) *Med. dogm. diſſ. de delirio p. 21.*

q) *Med Aegypt. lib. IV. c. 1. p. 256.*

r) *c. 2. p. 261.*

s) *de Venenis p. 130.*

t) *p. 262.*

Amentiam hanc fere per horam durare, a qua iracundi fiant, et effraenes reddantur mox eos iterum contriſtari et plorare, donec ſomno corripiantur, redeantque ad priſtinam ſanitatem. Addit verò ſe vidiſſe Mulierem Aegyptiacam quae a potu largiori vini cretici ebria omnia fere enarrata varia deliramenta adſtantibus obſervanda praebeat quae deinde fuſe recenſet. Anne igitur recte aſſerit *Geoffroy* u) nimiam Opii doſin ſequi eosdem effectus, qui a vini ingurgitatione oriri ſolent, Animi hilaritatem, riſumque immodicum etc. Ob hanc mutuam convenientiam quoque vulgare apud Turcas eſt, vt ſibi invicem obiiciant, Tu ediſti Opium! quemadmodum ſi quis apud alias nationes alteri obiiciat, ipſum ſpirituoſorum liquidorum compotatione ebrium et temulentum eſſe. x) Vix vero concipi poteſt, licet narrante *Kaempfero* y) Philoſophi totius Orientis nil turpius et magis deſtetabile habeant, quam ebrietatem; licet prima Gentilis et Mahhamedanae religionis puncta vinum tanquam liquorem divinam in homine auram profanantem caute evitare praecipiant; licet ad ſanguinem vsque nudis talis vapulent, qui hoc potu ſe gravarunt; licet inter Indum et Gangem nulla vitis colatur; quomodo nihilominus omnes Gentos Orientales, nil obſtante ſacramento legis, in eius fraudem, mira naturae perverſitate adeo in temulentiae cupiditatem ferantur, vt quam vino invitare prohibentur, ad inſaniam vsque Nicotiana, Cannabi et praecipue Opio et aliis narcoticis invitent.

Sed eadem quoque rerum facies obſervatur in Animalibus ad devorandum Opium coactis. Illa quippe non minus ab eo temulenta, titubantia et vertiginoſa redduntur, vt more vacillantium ex vino et ebriorum caput pondere nutans ſuſtinere minus quaeant. z)

Neque vero eſt vt aliquis exiſtimet haec omnia ſaltem intelligi debere de conſuetudine aſſumendi Opium deque grandibus vltra modum et vltra doſes noſtras extenſis praebiis.

u) *Mat. Med. To. II. p. 692.*

x) *Bellonius Voyage liv. III. ch.* 15.

y) *Amoenit. exotic. Faſciculo III. Obſ. XV. de inebriantibus Perſarum Indorum.*

z) *Berger diſſ.* §. 4. *Buchner diſſ. de Opio* §. 29. 30. *Spraegel diſſ quae experimenta circa varia venena continet Experim. XXII. XXIII. et XLII. Lorry Journal encyclopedique Tom. I Part. II. p. 73. ſeq.*

Homo

Homo ille qui referente *Schelhammero* in antecedentibus iam aliquoties citato per errorem grana tria cum dimidio Opii aſſumſerat, cum ſibi redderetur, vt ebrii ſolent faſſus eſt, ſe nullius rei veram habuiſſe notitiam, affirmavitque quae iuſſus erat legere, eorum ſenſum ſe aſſequi haud potuiſſe. Atque qui Opiata efficaciſſima inebriantia vocat Cl. *Bergerus* a) bene monet, moderata quoque quantitate facile cerebrum perturbare, et generoſorum more liquorum temulentiam parere. Eapropter etiam Celeb. *Buchnerus* b) ad effectus generales Opii in Corpore animali merito temulentiam refert. Bene memini amabilem *Hahnium* dum iam Valetudinarius adhuc meus erat, quando ob ſpaſmum ſuum doloroſum a mictu cruento qui omnem ſomnum abarcebat veſperi ſumſerat granum vnum extracti Opii, vel maſſam Pil. de cynogl. ad grana ſex vel octo, altero mane ſaepiuſcule mihi confeſſum eſſe, ſe caput quaſi ab heſterno mero grave et temulentum circumferre. Temulentae tali Vertigini aliquam adeo triſtitiam iungi notant Lorry Iournal. de Medicine 1756. p. 71. C. Iardin Tom. II. p. 704. Proſp. Alpinus hiſt. natur. Aegypti p. 133. Young ſect. III. Atque hoc ipſum communis experientia docere poteſt Practicos omnes, vt me innumeris vicibus docuit, levatos ex voto ab illis incommodis aegros, quibus abigendis Opium deſtinarant, nullo malo amplius ſuperſtite, tamen de peculiari quodam ſenſu in capite conqueri illo prorſus ſimili, quem qui in adultam noctem pocula ſtrenue eduxerunt, poſtmodum mane evigilantes animadvertunt. Id conſiderans *Rammazzini* c) concedere debuit, omnino Vinum et eius ſpiritum eadem fere accidentia invehere ac Opium, licet perperam modum operandi differre exiſtimet, et nonnulla phoenomena ab Opio naſcentia alleget, quae manifeſte contrario modo ſe habent.

a) *diſſ. p. 25. §. 2.*

b) *diſſ. de Opio §. 45. idem Brunner de Pancreate p. 9.*

c) *De morb. Artificum Cap. XX. p. mihi 570.*

§. XVII.

EXPERIENTIA VIII.

Opium naturale acumen ſenſus obtundit et minuit, eoque praeter naturam aucto, natos dolores ſedat.

Nulli fere medentum haec virtus Opii quam nunc ſiſtere

Lectoribus aggredior, eſt incognita. Extra omnem nempe controverſiam conſentientibus Amicis et inimicis Opii eſt poſitum, id manifeſte agere in ſenſum, atque efficere vt is obtundatur, et interdum abſit penitus. Nemo interim hanc ſenſus ab Opio abolitionem melius quod ſciam, in ſenſus incurrere fecit quam quidem elegantiſſimis experimentis in animalibus inſtitutis Cl. *Sproegelius*. [d]) Canis cui intruſa fuerat drachma Opii crudi, nullum percepit dolorem a punctura aliqua, vel a vellicatione aurium; ſpirituque nitri vel ſcalpello tactus parum clamavit. [e]) In rana cui decem grana Opii intruſa, nulla in vellicatis vel diſciſſis nervis ſenſibilitas, [f]) quae alias in hoc animalium genere diutius, quam in reliquis ſupereſt. Canis drachma Opii devorata auribus vellicatis omnino nullum oſtendit doloris ſignum, neque magis cum totum animal prehenderetur, et in altum elevaretur. [g]) Canis moloſſus poſt ſcrupulos duos Opii, divulſis faucibus, intruſos, nullum doloris ſignum a vellicatis auribus et punctura cutis edidit, catalepticus, immobilis, ſine vlla ſenſatione, etiamſi funibus vapularet. [h]) Canis drachmis duabus Opii abſumtis, poſt meridiem tertii diei, cutem ſibi diſſecari paſſus eſt, ſine vllo doloris ſigno. [i]) Canis a reſina Opii Sp. Vini parata ad drachmas duas faucibus immiſſa, dum abdomen aperiretur, nullum doloris ſignum diſſectis muſculis et cute edidit. [k]) Canis ab iniecta ſolutione Opii in venam iugularem inſtrumentis variis vehementiſſime laceſſitus, nec clamavit, nec alium motum exhibuit, vt adeo omnes nervi ſuam ſenſibilitatem prorſus amiſiſſe viderentur. [l]) Tantis vero doſibus non opus eſt, vt homines ſenſu omni exuantur, ſed mediocres illo fine potiuntur, vnumque vel alterum granulum ad eum obtinendum ſufficit. In Viro, [m]) qui per errorem aſſumſerat Opium ad grana tria cum dimidio, ſenſus omnes praeter auditum et viſum ceſſarunt; ex acerrimo aceto nil acredinis percepit, nec ſpiritus ſalis ammoniaci, nec ſal volatile nares titillauit, ſed dixit ſe odore deſtitui, ſenſus tactus etiam obtuſus fuit, et pene ceſſauit. Sed et in Viſum multam potentiam habet Opium, pupillam enim

d) *videat diſſ. quae habet experimenta circa varia venena.*
e) *Experim.* XV. p. 26.
f) *Experim.* XVII. *et* XX.
g) *Experim.* XXI. p. 31.
h) *Experim.* XXII. p. 33. et 34.
i) *Experim.* XXIII. p. 35.
k) *Experim.* XXIV. p. 37.
l) *Experim.* XLIII.
m) *Eph. N. C. Dec. II Ao. V. Obſ.* 12.

enim dilatat teſte: Roſen (Kinderkrankheiten p. 75.) iridem, amiſſa vi ſua contractili, radiantis candelae proximae fulgorem immotam ferre obſervavit Haller (Opuſc. minor. p. 213. 214. Plenariam Coecitatem ab Opio natam habet Willis Anim. Crut. p. 231. Atque hoc maxime nomine male adeo *Stahlio* n) audivit Opium, et impoſturae inſimulatum eſt, quod ſenſum obtundat, atque mentem veluti abalienet, a ſentiendi alacritate. Neque hoc negant ſed vltro largiuntur amici Opii. Senſum tactus per omne corpus ab eo minui, inter recentiores diſerte profitetur Robertus *Whytt.* o) Id in proprio ſuo corpore a largiore doſi expertus fuit *Young* ſect. III. Maxime vero Opium potentiam ſuam quam in ſenſum habet, tum exerit, quando ille praeter naturam execerbatus eſt, dolorisque ideam in mente excitat. Mira ſcilicet virtute quod non Medicis ſaltem ſed vulgo adeo notum eſt, efficere valet, vt moleſtiſſimae antea perceptiones abſint, ad tempus minimum, requiesque ſaepiſſime ardenter expetita, et corpori et animo concilietur. Quin aliquando quod ſoli norunt experti, non ſaltem ſenſum doloris tollit Opium, ſed et loco eius voluptatem inducit, id quod per Experientiam ſextam antea memoratam iam conſtitit. Equidem omnis aegritudo ſi vel ſenſatione ingrata notabili careat, hominem male habet, ac vitae dulcedinem inhibet ac perturbat. Praeter anxietatem vero nil datur, quod maiores aerumnas adferat miſeris mortalibus aegris, quam dolor, maxime ſi gravior ſit, et diutius adfligat, omnemque ita patientiam et philoſophicam et chriſtianam vincat. Interim ii ſaltem hoc capiunt et diiudicant, qui morbos hos tortores ſuſtinuerunt, quos conſenſu omnium indicibilia et pene inſuperabilia dolorum tormenta comitantur, quique a ſummo mane ad adultam veſperam, et per tot vigilatas noctes, rabiem eorum crudeliter perſeverantem ſufferre coacti fuerunt. Sed et illi ſoli cognitum habent, quantum ſit vltra omnia humana deſideria eminens bonum, quanta ſit ad coeleſtem felicitatem fere aſſurgens, nilque in orbe par habens voluptas, triſtibus furiis dolorum hactenus exagitatum, opiati remedii beneficio ad

ple-

n) *diſſ. de impoſtura Opii* §. 10. *et alibi paſſim.*

o) *Nova Act. Edinburg. Vol. I. Art. XIX.* §. 3.

plenariam priſtinarum aerumnarum oblivionem, quietisque et ſomni ineffabiles delicias admitti, atque in aliam prorſus eamque nobiliorem vitam, ſortemque angelicae propinquam, quaſi rapidiſſimo volatu ſubito translatum eſſe. Adoranda igitur flexo proplite, et perennibus laudibus concelebranda eſt divina miſericordia, quam cum Sydenhamo venerantur Medicorum ſagaciſſimi, quod Iuſtitiae vlciſcenti poenasque merentibus decernenti, quaſi obviam incedens, ſummum hoc miſeris mortalibus transgreſſae legis mercedem acute ſentientibus, lenimen indulſerit. Nonne vero peccant in DEVM Largitorem, adeo vltra omnem exſpectationem beneficum, nonne inique ſeſe gerunt im omne humanumGenus atque Amorem Proximi poſuiſſe videntur, qui eiicere Opium ex apparatu medicinali volunt? Nonne vacuis ſaepe ab omni actione pulvillis antiſpaſticis otioſa terrea continentibus, ſpem et fiduciam decumbentium turpiſſime fallunt? Nil complectitur ſimplicium diffuſiſſimus catalogus, nil habet inter omnia quae inde parat ars pharmaceutica, nullum datur arcanum qualecunque demum iactitent Chemiſtae, quod eam vim cuſtodiat intenſiſſimos placandi dolores, quam habet ſuccus ſincerus papaveris inſpiſſatus, ſine vllo accedente artificio purum ſatis et defaecatum a quisquiliis admiſtis Opium. Conſtat hoc per experientiarum myriades. Hoc ſolo pharmaco praeter mercurium fere vtens Paracelſus per multas regiones vagatus, incredibilem ſibi famam paravit. Hoc ſolo doloribus imperare docti celeberrimi quidam Medici, glorioſam et lucroſam praxin exercuere. Verum eſt aliquam ineſſe vim moleſtas ſenſationes minuendi variis aliis ex vegetabili, minerali, et animali regno petitis, quae odore ſive grato ſive ingrato pollent, et in ſubtiliſſimas particulas reſolubili volatili et vaporabili principio inſtruuntur. Sed omnia ſuperat longiſſime, Principatum tenens vnum Opium, atque inter omnia anodyna et ſedantia, aliquando etiam per ſpecialem Medentum indulgentiam et favorem immerito ita dicta, ſecundum excellentiam Anodynum, et ſedans dici ſuo iure poſtulat. Teſtantur hoc

Practi-

Practicorum omnium quos vnquam ſol adſpexit ſummi, argumentis omni exceptione maioribus adſtruunt, quibus Opera ipſorum abundat, ex quibus ſi potiora ſaltem colligerem ſedulus, creſceret invito quod elucubro Opus in ſpiſſiorum Voluminum molem, excluderetur que de vna anodyna vi Opii peculiaris Tractatus, qualem de remedio doloris ſeu materia anodynorum inter quae primas Opio defert iam data Opera conſcripſit *Sinapius*.

§. XVIII.

EXPERIENTIA VIIII.

Opium Vires motui animali famulantes debilitat.

Optime velim notari hanc experientiam, certiſſimam omnino, licet non ab omnibus ſatis animadverſam, et praecipue ab amatoribus Opii pene neglectam. Sed iam in ſuperioribus vbi de viribus vitalibus auctis ab Opio agebam, obiter animales ab eo minui indicavi, hocque aſſertum corroboravi praecipue conſenſu *Boerhaavii*. Provocare igitur mihi liceat, ad eius effata iam allata, quibus hic addo promulgatam ab eo ſententiam: p) *Vt Cortex ſpecificum eſt in febre tertiana auferenda, ita Opium eſt ſpecificum in ratione motuum qui ab animali facultate pendet.* Memori mente hoc tenendum eſt, contra eos, qui cum animalibus et naturales et vitales, omnesque adeo in vniverſum motus pacari Opio arbitrantur, a quo errore etiam non immunis videtur de *Gorter* q) cum tamen ſpecifica ſopiens Opii virtus certis motubus ſaltem ſit ſpecifica. Atque de illis mihi iam ſermo eſt; motuum quippe animalium, qui imperio animae in vitales haud extenſo, vere ſubiacent, inertiam, et languorem, poſtquam corpori ingeſtum eſt Opium, ipſa anima volens animadvertit. Vires itaque mechanicas motrices muſculorum voluntariis motubus dicatorum, imminuit Opium et inhibet. Hanc veritatem clariſſime monſtrant phoenomena in animalibus evenientia quando faucibus ipſorum quod deguſtare ordinarie valde re-

p) *Praelect. in inſtitut.* §. 1154.

q) *Comp. Med. Tr. XXI* §. *II. no.* 6.

nuunt, Opium vi intruſum fuit. Canes ad experimenta cum Opio facienda damnati capto eo, brevi poſt toto Corpore tremore adfecti ſunt, notante *Bergero*, r) *Mead*, s) *Buchnero*, t) *Spraegelio*. u) Vniverſalem eiusmodi tremorem etiam vidit *Lorry*, x) in tribus canibus; illum quoque canem cuius venae iugulari ſolutionem laudani iniecit brevi poſt tremore concuſſum notavit *Freind*. y) Tremor talis muſculorum motum vacillantem, influxumque moventis liquidi interdum praepeditum interdum iterum vtcunque adhuc ſuccedentem involvit; ducit vero tremor facile ad debilitatem, motus ſcilicet maiorem difficultatem, ipſamque impotentiam quando nempe influxus ille valde parcus redditur, aut prorſus deficere incipit. Eaque propter Opium quod tremere facit primo, deinde fortius agens motum penitus abolet. Crura poſteriora in canibus Opio paſtis poſt tremorem flexa vidit *Berger*. z) Animal tale titubans atque exporrectis pedibus anterioribus in terram procumbens, et aliud a ſomno evigilans laſſum obſervavit *Buchnerus*; a) pedes anteriores et poſteriores labefactatos praegreſſo tremore in cane conſpexit *Mead*. b) Pedes poſteriores in ſuis canibus debiles factos et quaſi paralyticos notavit *Spraegel*. c) In horum vno equidem cauſam torturae tribuit, ſed minime ſufficiens eſt, cum ſine multa atque etiam ſine vlla tortura haec debilitas ab Opio ſubſequatur. Summam debilitatem ita vt erectus ſubſiſtere nequiret, ſed ſtatim in terram procideret Canis ipſe vidit laudatus *Spraegelius*. d) Debiliſſimos pedes poſteriores etiam recenſet *Lorry*, canis quoque *Alſtoni* e) poſt Opium captum non poterat incedere. Iniectum in venam ſolutum Opium adeo eundem effectum edidit. Moribundo ſimilis canis per tres horas absque motu iacuit, deinde inceſſit pauliſper, ſed debiliſſimi erant pedes imprimis poſteriores, vt ſtatim in terram procumberet. f)

Atque quod Brutis Animantibus accidit a largiſſimis, id hominibus a paulo largioribus, et quandoque etiam a mediocribus doſibus evenire obſervatur. Homo qui per errorem

r) *diſſ.* §. 4. *pag.* 10.
s) *de Venenis p.* 133.
t) *diſſ. de Opio* §. 32. 33.
u) *diſſ cit. Experim. XV, XX, et XXII.*
x) *Iournal Encyclopedique Tom. I. Part. II. p.* 73. 74. 76.
y) *Emmenol. c.* 14. *p. mihi* 146.
z) §. 4. *p.* 10.
a) §. 29. 32.
b) *de venenis p.* 133.
c) *diſſ. cit. Experim. XV. XVI. XXI.*
d) *Experim. XXIV. l. c.*
e) *Act. Edinb. Vol. V. Part I. Art. XII. ſect. III.* §. 7.
f) *Spraegel diſſ cit. experim. XLIII.*

rem aſſumſerat Opii grana tria cum dimidio, poſt ſomnum excitatus, et ſurgere e lecto iuſſus cepit ambulare, ſed titubavit, motusque muſculorum adeo imminutus eſt, vt vix pedes proferre poſſet. g) Verum et attentionem ſeriam debent excitare querelae aegrorum, de inſigni languore per omne corpus diffuſo, quando antea opium ſaltem ordinariis praebiis aſſumſere, licet coeteroquin nil ſentiant amplius, quod moleſtias faceſſat. Saepiſſime ego miratus ſum Corporum ſexus potiſſimum amabilis ſenſibilitatem, quam vix talem crediſſem haud expertus, quando poſt noctem quietam levi anodyno impetratam vires nullo alicuius momenti malo antea depreſſas, ſed heri ſatis conſtantes, inſequente mane nihilominus inſigniter debilitatas eſſe audivi. Young Sect. III. id ſe expertum fuiſſe teſtatur. Obſervatur animo mea Generoſa foemina, teneriore corpore inſtructa, quae dolore enormi in oſſis mali regione arthritico-rheumatico nulla arte ſuperabili quandoque vexata, ad Opii adſumtionem ſaepiuſcule ablegan-da fuerat. Illa ex vſus conſuetudine vitia remedii ſenſim addiſcens, atque a Medicis Opio minus faventibus monita odio proſequi id incipiebat, licet illi ſoli obtentum toties levamen deberet. Eam ob cauſam quando opus erat adhibitione occultandum pharmacum erat, interim cum aliquando ad placandam tuſſim darentur pilulae de ſtyrace, quibus ineſſe opium nullo modo ſuſpicabatur, ex temulenta tamen capitis gravitate et praecipue eodem illo languore artuum et virium animalium penuria, quam antea ab Opio experta erat, divinabat Opium in pilulis, et quidquid Medici contradicerent, id vere ineſſe praefracte affirmabat. Forte autem hanc debilitatem, niſi repetitionem anodynorum aliquid poſtulet facile tranſitoriam, non valde reſpiciunt Practici, verum ea longe eminentior evadit et diutius perſeverat, ſi largius et repetitis vicibus porrectum fuerit Opium, eandemque tunc certe nemo medentum poteſt praetervidere, niſi is, qui ad id ſolum ſymptoma an adhuc adſit vel abſit attendere conſuevit, cui opiatum ſuum

g) *Schelhammer Eph. Nat. Cur. dec. II. Ao. V. Obſ. 12.*

pharmacum deſtinavit, omnes reliquas functionum mutationes ab eo obortas, parum curans. Poteſt hic in obſervando naevus illis ſenſim evadere familiaris, qui nimio affectu feruntur in Opium, ac ne ſiniſtri quippiam de amato ſibi adeo remedio audiant, ſtudio fuſius interrogare omittunt, aut qui polychreſtam eius virtutem panchreſtam habentes, nil niſi laudabile et egregium ſibi ab eius vſu promittunt. Atque in hunc cenſum omnino venit *Hecquetus*, qui quoties et quomodocunque contueatur Opium, id ſemper ad votum ſuum agens ſine macula optimum et pulcherrimum, omnibusque dotibus exoptandis inſtructum invenit, quemadmodum Iuvenis totus amore flagrans ſuam quam ad omnes illius defectus deperit, Amaſiam. Ex hoc affectu natum eſt minus credo Genio narcoticorum reſpondens eius elogium quod eorum effectus ſit corroboratio ſolidorum,[h] cui tamen multoties in ſuo libello contradicit, quando alibi toties de pacificatione omnium motuum exorbitantium et de eximia illa fibrarum rigidarum tenſarumque remiſſione et relaxatione loquitur, omnem certe corroborationem e diametro ſibi oppoſitam habente. Adeo potius vel ſolo ſuo graveolente et cerebrum petente odore, nervorum motriciumque fibrarum in muſculorum fasciculos adunatarum viribus aliquando adverſum eſt, vt hae corporis molem erectam ſuſtinere nequeant, ſed pondere ſuo labi ſinant, quod ipſum iis adeo accidere ſolere ſcriptores notant qui incautius in colligendo Opio verſantur.[i] De Sabaeis Arabiae felicis incolis recenſet *Diodorus Siculus*,[k] quod brevis aevi ſint homines, et vtplurimum nondum transacta iuventute flaccidis et reſolutis membris moriantur, ob fortem et concentratum odorem ab aromatibus virentibus exhalantem continuo hauſtum. Nonne aequum erit Opii effluviis odoratu ſaepius inſpiratis eundem effectum exſolvendi vires adſcribere? Non autem aliter ſe gerit intus aſſumtum; nam de populis orientalibus quos fere impune per conſuetudinem larga

h) *p.* 164.

i) *Plutarchus in Sympoſ.*

k) *Hiſt. lib. III.*

larga copia veſci Opio narrant *Alpinus* et *Bellonius*, quosque apto vocabulo Opii Liguritores *Kaempferus* [l]) appellat, tamen hic annotat quod iis inter alia incommoda ſenſim vires laxentur. In noſtris interea regionibus non opus eſt, vt helluo ſit aliquis in deglutiendo ſucco inſpiſſato papaveris antequam debilis reddatur, namque vt iam monui, et modicae doſes aut pauliſper vltra mediocritatem extenſae talem effectum edunt. Obſervavit *Williſius* [m]) ab Opio membra quaeque ac artus languorem inſolitum ac pigritiam invadere. Tonum fibrarum motricium remiſſiorem Opio reddi et motivum earum nixum langueſcere quoque affirmat *Ettmullerus*, [n]) quare non abs re tam ſollicite monere Practicos ait, ne niſi ſub aliquali adhuc virium robore, remedia opiata eademque exactiſſime correcta propinentur. [o]) Non minus Opiata nimis frequenter exhibita vires proſternere teſtatur *Wepferus*. [p]) Poſt Opium et ex eo paratorum vſum, quendam ſubſequi ſolere torporem, qui per aliquot interdum horas moleſtus eſt, et ad actiones quascunque perficiendas nos minus habiles reddit aſſerit *Ridlinus*. [q]) Secundum *Freindium* [r]) Opio libere nimis exhibito, tonus partium ita vacillat, vt relaxentur admodum fibrae, indeque membrorum quaedam quaſi paralyſis ſubſequatur. Deinde *Bergerus* [s]) Opio largius ſumto muſculos qui fundamenta ſunt virium noſtrarum, difficilius moveri, et laxitatem membrorum qualis defatigatis ſupervenit, ſuccedere dicit. Porro etiam *Hoffmannus* [t]) languorem virium et impotentiam motus habet inter Opiatorum effecta, et alio loco Opiatorum vſum virium notabile decrementum inſequi, [u]) rurſumque alio, ea tonum et motum ſolidis ſuffurari aſſeverat. [x]) Tandem *Hambergerus* [y]) relaxationem artuum et debilitatem a nimia doſi excludi memorat. Ipſam paralyſin ab Opio obortam memorant Valisneri Operum T. III. p. 586. Edinb. Eſſay T. V. p. 158. 162. Dumque de Somno tractat *Krügerus* [z]) artificiali qui ab Opio inducitur de quo mox acturus ſum nobiliſſimum effectum deeſſe contendit, qui naturali proprius eſt, virium nempe deperditarum reſtitutionem.

l) *Amoenit. exot. p.* 645.

m) *Pharmaceut. Rat. Sect. VII. c. 1 p.* 183

n) *de Virtute Opii diaph. c.* 1. §. 11. 12.

o) *c.* 1. §. 5.

p) *Obſerv. p.* 354.

q) *lin. Med. Anno* 1697. *Mart. Obſ* 29.

r) *Emmenol. c. XIV. p.* 140

s) *diſſ.* §. 10.

t) *diſſ. de Operatione Opii p.* 8.

u) *Med. Syſt. Tom. II. p.* 270.

x) *Tom. II. p.* 271.

y) *diſſ. de Opio* §. 16.

z) *in Praefatione libelli germanici qui inſcribitur* Träume *p.* 6.

§. XIX.

EXPERIENTIA X.

Opium Somnum invitat, interdum in altum ſoporem extenſum qui ſi ingraveſcat, accedente vera Apoplexia vel conſulſionibus necat.

Vidimus hactenus Opium debilitare facultatem ſentiendi, atque impetire exercitium motuum voluntariorum, ſed quies ſenſuum et motuum voluntariorum involvit ideam ſomni, ſequitur ergo Opium favere debere excluſioni ſomni, atque hoc ita fieri experientia diſcimus. Recte *Stablius* [a]) quod Opium mentem abalienet a ſentienti alacritate vix vllum dari luculentius documentum inquit, quam quod ſomnum inducat, nempe neglectum verum et exquiſitum ſentiendi. Fere autem ſupervacaneum habeo, vt conquiſitis teſtimoniis probem Opium ſomnolentiam et ſoporem excludere. Toties quippe obtentus eſt ab exhibitione hic effectus ipſi vulgo quaem caeteri fere latent notiſſimus, vt communi conſenſu eo fine millenis vicibus praeſcribatur a Medicis, et ſaepe minus opportune inconſultis his ex Pharmacopoliis petantur Opiata. Scilicet adeo aegri ipſi variis malorum generibus excruciati ad haec levanda vel ad fallenda inſomnium noctium taedia anhelant exoptatiſſimam quietem, curarumque ſuarum oblivionem, adeo ſaepe agnati et adſtantes ſimul moleſtiſſimas et ſanis ſat graves vigilias ducere coacti, blandaque ſilentia noctis dormiendo dulcius abſumturi pacatum ad tempus aegrum, vacuasque ab excubiis horulas deſiderant, vt aliquando Medico coeteroquin amore talium non ducto opiatum pulverem extorquaeant. Referunt quoque ad Medicinam politicam Practicorum nonnulli, dato aegris ſuis Opio propriae quieti et nocturnis interpellationibus ſecure proſpicere, vt eo certius ſeſi a diurnis curſitationibus, molliterque ſtratum lectulum ingreſſi pulſatis ruditer foribus non excitentur, calensque et tranſpirans corpus in propriae ſanitatis damnum nocturno frigori, hybernis algoribus, aquilonibusque

a) *diſſ. de impoſtura* §. 10.

que horridis exponere haud cogantur. Ita nimirum omnibus acceptiſſima illa requies eſt quam noctu mortalibus indulſit DEVS, qua dimidiam fere vel tertiam vitae ſuae partem neſcientes tranſigunt, vt carere tot bonis inde pendentibus aegerrime velint, ſomnum aerumnarnm ſuarum pacatorem, et cum *Seneca* tragico [b]) omnium malorum et curarum domitorem agnoſcentes. Summum vero in Opio vt his votis potiantur praeſidium haeret, quod afferente *Boerhaavio* [c]) minori copia datum blandam quietem, maiorique ſomnum infert, vnde frontem adventantis noctis papavere redimitam toties depinxerint *Poëtae.* Inter eos ita canens mihi ſtatim occurrit *Ovidius* [d])

b) *in Hercul. Act. IV. v.* 1066.
c) *Praelect. in inſt.* §. 856.
d) *Faſtor. lib. IV.*

Interea placidam redimita papavere frontem
  Nox venit, et ſecum omnia nigra trahit.

Ante fores antri foecunda papavera florent,
Innumeraeque herbae, quarum de lacte ſoporem
Nox legit et ſpargit per opacas humida terras. [e])

e) *Metamorph lib. 11.*

In canibus quibus lac papaveris inſpiſſatum largiore copia obtruſum fuit, quietem, ſomnolentiam, dormituritionem, ſomnum, ſoporem vidit *Spraegelius* [f]) vt *Bergerum*, *Buchnerum*, Cl. *Lorry* et alios taceam. Ab iniectione TRae. Opii in arteriam canis ſoporem iam obſervavit *Bartholinus* [g]) et ab iniectione laudani liquidi in venam iugularem quietem morti ſimilem, inſenſibilitatem, ſomnum, et ab eo ſuperato temulentiam, modo laudatos *Spraegelius* [h]) notavit. Iidem effectus ſeſe exeruerunt in illo homine aliquoties iam in medium producto, qui per errorem grana tria Opii cum dimidio aſſumſerat. Namque dum ex ſomno turbulento excitatus dormire prohibebatur, ſomnus admodum vrgebat, ut manu ductus inter ambulandum obdormiret, nictitaretque, et ſiſteret gradum, atque cum poſtea ipſi permitteretur vt dormiret clauſis oculis extra ſe potius videbatur, nec tam dormitabat quam ſopore oppreſſus iacebat.

f) *diſſ cit. Experim. XV. XXI. XXII. XXIV.*
g) *Cent. IV. epiſt* 92
h) *Experim. XLII.*

Neque

Neque tamen exiſtimandum eſt, ſemper et ſine exceptione ſomnum inſequi captum Opium, ille enim interdum nec a mediocribus nec a largis doſibus evenit. Vidit *VVilliſius* i) quosdam ab Opio aſſumto mediocriter tantum, imo interdum parum aut vix omnino dormiviſſe; quare recte *Iones* k) ſomnum non inter Perpetuos; ſed ſaltem inter frequentes Opii effectus refert. Conſtitit nimirum per *Experientiam VI.* pacem illam et tranquillitatem quam menti adfert hoc pharmacum, non raro vſum eius ſubſequi ſine ſomno, dolorisque adeo ſenſum aliquando ceſſare, perdurantibus vigiliis. Memorat quoque *Geoffroy* l) quosdam ab Opio non dormire. In minori doſi ſomnum inducere obſervavit hoc remedium, cum maior eum potius arceret, *Ridlinus*, m) et alio tempore tantum Opii quod aliis decem ſomnum conciliaret vni exhibitum fruſtra hoc fine dari notavit. n) *Lemery* ob conſuetudinem multos eo deductos vidit, vt triplam et quadruplam doſin aſſumere cogerentur pro ſomno impetrando. o) Noto autem fuit Cl. de *Gorter* foemina quae ſingulis diebus drachmam vnam Opii aſſumebat ſine ſubſequente ſomno, ſed temulenta erat et continuo vigilabat, et aliam quae quotidie aſſumebat Philonii Romani drachmas tres cum ſimili effectu. p) *Young* in ſe ipſo dulcem ſomnum a laudano liquido expertus, magnum tamen dolorem et animi graviores aerumnas multum infringere eius vim ſoporiferam teſtatur, quam et conſuetudo capiendi remedium ſenſim minuit et delet, etiamſi auctiori doſi ſumatur.

Neque etiam adeo naturae humanae Amicum Opium reputandum, vt ſomnum excludat artificialem naturali prorſus ſimilem; facile enim ille aliquid praeternaturalis admiſtum habet, et in morboſum aliquem ſoporem vergit. Sive laudetur ſive culpetur Opium inquit *Neumann*, q) omnibus hominibus notum eſt, inter hucusque cognita eſſe potentiſſimum ſoporiferum. Inter effectus eius generales quoque *Buchnerus*, r) refert quod ſoporem inferat. In parva adeo doſi

i) *Pharm. Rat. Part I. Sect. VII c. 2.*

k) *in Myſt. Opii revelatis.*

l) *Mat. Med. Tom. II. p. 696*

m) *lin. med. Anno* 1697. *obſ.* 25.

n) *Ao.* 1695. *Febr. obſ.* 22.

o) *Cours de Chymie p.* 593.

p) *Med. dogmat. C. I. p.* 21.

q) *lect. de Opio p.* 107.

r) *cit. diſſ.* §. 45.

doſi poſt ſomnum ſtuporem plane inſuetum delirii quippiam habentem reliquit in Viro nondum quadragenario obſervante *Ridlino*. s) Tanto magis vero maiori copia ſumtum *Hallero* t) teſte ſopit, atque vt eloquitur *Fteind* u) liberalius exhibitum ſomnolentiam, ſoporem, et ſtuporem inducit.

s) *lin. med. Ao. V. Octob. Obſ.* 30.

t) *Praelect. Boerh. Vol. IV. p.* 519.

u) *Emmen. cap. XV. p.* 140.

Minime autem hic ſilentio praetereundum eſt, non ſaltem intus ore aſſumtum Opium, ſed adeo ſuis effluviis per nares hauſtis, prorſus eundem effectum edere. Haec mirabilis virtus iam nota fuit *Dioſcoridi*, qui non ſolum Opium *καρωτικον* eſſe dixit, ſed et caroticum odorem ipſi tribuit. Non minus *Plutarchus* x) id inter colligendum incautos ita afficere ſcivit, vt ſolo odore caput opplente ſopiti ceciderint. Recentiori aevo ſomnum dare vicini papaveris halitus animadvertit *Boerhaavius* y) ſaniſſimumque hominem vaſis indentem Opium non depuratum, recens Conſtantinopoli advectum, graviſſima temulentia et ſtupore prehenſum, qui non niſi poſt ſomnum horae dimidiae ceſſabat, memorat Cl. *Lorry*. z) Habent vero Opiata id commune, cum omnibus illis ex materiae medicinalis apparatu, quae vapores longe lateque vagantes, de ſe ſpargunt, atque odoratus organum fortiter feriunt, ſive ad ſuaveolentium ſive ad graveolentium familiam pertineant. Carum a ſolis odoriferis produci poſſe inter Veteres notavit *Strabo* a) nautasque Arabiam praetervectos ne capitibus eorum gravis et noxius evadat fragrans aromatum odor ſuffimentis ex bitumine cavere refert *Diodorus Siculus*. b) Narraſſe ſibi Pharmacopoeos et Aromatarios refert *Boerhaavius* c) quando magnas ſarcinas validiorum aromatum recens ex Aſia acceperant ſi ſubito eas ſarcinas reſignaverint, et ſe et famulos obrutos fuiſſe inſuperabili ſomnolentia. Ipſe memini Iuvenem a parente meo mercatore iuſſum ex Ciſta grandiore Caryophyllorum et florum maceris aliquot libras peteret, et ſacculis chartaceis inderet, non rediiſſe, inventumque fuiſſe ante ciſtam iacentem ſoporoſum et pro ſemimortuo habitum donec

x) *in Sympoſ. lib. III. quaeſt.* 1.

y) *Chem. Tom. II. p.* 17.

z) *Iournal Encyclopedique Tom. I. Part. II. p.* 71.

a) *Geogr. lib. LXV. p.* 835.

b) *lib. III.* 46. 47.

c) *Praelect. Vol. IV. p.* 529

 eum

eum accurrentes ex famulirio clamoribus et ſuccuſſationibus alto de ſomno excitarent. Merito huc flores ſvaveolentes variarum ſpecierum referri debent. Memoratu digniſſime, caſus eſt, quem deſcripſere relationes publicae hamburgenſes 1764. No. 91. Londini ſomnum capiebat nobilis Virgo in Conclavi, in quo flores varii in Vaſis aqua repletis aſſervabantur. Expergeſiebat ſemiſopita, anxia, ſemi ſuffocata, et loquendi facultate deſtituta. Bona fortuna famula eius ſuum veternum excutiebat quidem, ſed idem eius ſtatus erat, ac dominae. Tamen, cum pedibus incedere haud poſſet rependo ad feneſtras delata, has cum ianua aperiebat, Vaſaque cum floribus Conclavi eiiciebat. Ita aere ab horum exhalationibus puro confertim irruente, ſemimortua Virgo in Vitam iterum redibat. Non minori autem virtute caput Moſchus, Zibethum, Ambra, Caſtoreum, Camphora aliaque, et praecipue Crocus etc. tentant. Crocus fere vt Opium lætificat, caput replet, inebriat, ſomnolentiam et ſoporem ciet, id dudum novit *Galenus*. Miras quoque hiſtorias de Croco huc facientes exhibet *Cardanus* [d]) eumque ad illa quae caput replent retulit *VVepferus* [e]) atque mortem adeo vapores illius mercatoris famulo attuliſſe refert *Borellus*. [f]) Ipſe vidi vxorem Aromatarii quae in conclavi parvulo calefacto crocum pulveriſatum in minutulas portiones dividebat, chartulisque inferebat praeſto futurum qui petentibus ſtatim porrigeretur, ſubito in terram prolapſam, atque inſtar apoplecticae iacentem. Non ergo mirum eſt inter vaporoſa fere ſummum Opium talia patrare, et maxime quando ore aſſumtum interiora corporis penetralia ſubit, abditiſſimosque eius receſſus pervagatur. Triſte dictu, ſed verum, interdum ſenſim eousque ingraveſcentem ſoporem hominibus vel incauto medici conſilio vel per errorem exhibitum pepeiſſe Opium, vt in apoplecticum degeneraret. Opium copioſius hauſtum nocere et lethargicos efficiendo interimere iam ſcripſit *Dioſcorides*. Narcotica immoderatius aſſumpta etiam ſola apoplexiam non raro effeciſſe teſtis omni exceptione maior Cl. *VVepferus* [g]) annotavit. Affectus comatoſos et ſoporem aeternum

d) *lib. II. ſecundum locū c. 1. de Variet. lib. VIII.*
e) *in hiſtoriis Apopl. Exercit. de loco affect. p. 235.*
f) *Cent. IV. Obſ. 35.*
g) *de Apoplexia p. 25.*

aeternum incongrue datum Opium excludere affirmat *Bohn.* h) Nullis aliis adminiculis opus eſſe ſi velis Opium pernicioſum vel venenoſum fieri, quam nimia doſi ſumere, tunc enim ſymptomata apoplectica facile inſequi edixit *Mead.* i) Atque Illuſtris van *Swieten* Opiata ait ſic poſſunt adhiberi, vt leviſſime ſenſuum acumen obtundant, vel aucta doſi ſomnum inducant ſatis profundum, imo imprudenti vſu lethalem poſſunt facere apoplexiam. k) Similiter fere Cl. *Lorry* l) Opium parva doſi animum exhilarare, animoſitatem intrepiditatem ciere, fortiori doſi ſomnum excludere, adhuc fortiori Apoplexiam poſt ſe trahere Auctor eſt. Meminit *VVilliſius,* m) quosdam a laudani pilula devorata illico ſoporem adeo profundum obdormiviſſe, vt nunquam expergefieri potuerint. Talem ſomnum poſt portiunculam Opiatam repetitam, a quo vt loquitur ad extremum vsque diem non expergiſcet, in Viro caſtra medica ſecuto habet *Ridlinus.* n) Notum ſatis eſſe aſſerit *Neumannus,* o) paucam Opii quantitatem hominem ad tempus ſenſubus privare, et intempeſtive ac nimis magna quantitate captum enecare prorſus. Ita quoque Cl. *Schulzius* p) tanquam ſcholae Medicae indubium dogma aſſumit, quod Opium homini non adſueto ad granum vnum exhibitum ſomnum accerſat, in maiori vero copia lethargum vel et mortem. Tandem et Cl. *Spraegelius* q) ſomnum facere Opium dicit primo blandum dein turbulentum, ſique nimia copia fuerit hominem aeterno ſomno tradere. Non ergo ſine gravi ratione iam cecinit *Ovidius* r)

Sunt quoque quae faciant altos medicamina ſomnos
Victaque lethaea lumina nocte premant.

Truculenta autem ſymptomata fatalem Tragoediam quae tum vitae clauſulam imponit, concomitantia inter Veteres iam recenſuit *Aetius,* s) et inter recentiores ea deſcripſit *Geoffroy.* t) Verum enim vero licet et triſte omnino ſit Opio ſopitum et occiſum eſſe, quemadmodum inter alios multos etiam accidit Podagrico illi apud *Platerum,* u) qui accepto ab Empirico ad dolores placandos Opio, adeo valido ſopore oppreſſus eſt, vt non amplius

h) *de Officio Medici duplici p.* 362.

i) *de Venenis p.* 133.

k) *Comment. Tom. I. p.* 325

l) *Iournal Eucyclopedique Tom. I. Part. II. p.* 70.

m) *Pharm. Rat. Part. I. Sect. VIII c.* 2

n) *lin. med. An. II. Febr. Obſ.* 27.

o) *lect. d. Opio p.* 167.

p) *diſſ. de Medicamentis opiatis* §. 3.

q) *diſſ. cit.* §. 21

r) *de Arte amandi lib. II.*

s) *Tetrab. IV. Serm. I.*

t) *Mat. Med. lib. II. p* 697.

u) *Obſerv. lib. I. Obſ.* 15.

plius evigilaret, triſtius tamen infinities eſt ſopitum hoc pharmaco pro mortuo fuiſſe habitum et viventem ſepeliri. Tremendum hoc fatum experiri debuit Conſiliarius quidam Anhaltinus qui Opium pro Apio ob κακογραφίαν Medici a Pharmacopoei famulo accipiens, in profundum adeo ſomnum incidit, vt mortuus reputatus terrae in templo cathedrali Vitembergenſi mandaretur.[x] Eousque extendi poteſt vis ſoporifera Opii, vt tandem omnes notas externas vitae ſuperſtitis abſcondat et abeſſe pene ad tempus faciat, ſi non prorſus necaverit. Vere autem inducto ſopore memini necatam foeminam, cuius fati ſpectator ſaltem eram, medici provinciam exuere coactus: Laborabat fluxu alvino per multos dies, quem Lienteriam vocant, nulla aderat febris, nullus dolor, ſed ſine ſenſu ingeſta vix mutata alvo, excludebantur copioſius, abdormine flatibus diſtento. Videbatur mihi hoc malum ſolis aromaticis roborantibus, et tonicis internis et externis, tractari debere, cum meo iudicio a ſola laxitate penderet. Praeſcribebantur autem his miſſis, primo quidem theriacalia, deinde ſola opiata, taliaque applicabantur clyſmata, et omnia haec ſatis liberaliter. Inducias dare incipiebat Malum, ſemper tamen iterum renovabatur, et interea obortus ſomnus abibat in ſoporem apoplecticum, cui valere ſero nimis iuſſis Opiatis, Venaeſectiones et Veſicantia gratis opponebantur. Quemadmodum autem, dum Obſervationibus praecedentibus hilaritatem Animi et temulentiam ab Opio naſcentes exponebam, vtramque pari ratione evenire ac a vino et alcohole epoto, aſſeverare poteram, ita et hic in ſopore graviore, ad apoplecticum vsque, ipſamque mortem extenſo inopinantibus toties eveniente, eandem ſimilitudinem iterum valere, rerum vſu conſtat. Vini et ſpirituoſorum vſu frequentiore et largiore multos cadere ſopitos, quin et apoplecticos reddi quis ignorat? Celeberrimus olim *Crato*[y]) noſter, ebrietatem apoplexiae matrem nominat et aquas vitae pro ea arcenda vanas eſſe et ipſas potius mortiferas habendas declarat. Ebrii autem et apoplectici prorſus eandem eſſe faciem ita vt ab ignaris hic pro illo facile haberi poſſit, eloquitur *Ridlinus*.[z]) In cauſas ſubitanearum mortium

x) *Salmuthus* *Cent. II. obſ.* 90.

y) *Conſ.* 37.

z) *lin. med. anno V. p.* 1351.

mortium aliquando Romae familiarium inquiſiturus *Lanciſius* a) neminem vltimum repentem diem vidiſſe invenit, qui non fuerit ſtationarius in caſtris Bachi et Veneris miles. Multos a vino mortuos habet Henricus ab *Heers*. b) Puerum robuſtum cum parum ſpiritus Vini bibiſſet, ſumma dormiendi neceſſitate correptum, adeo vt concutiendo et acclamando ipſi vix verbulum extorqueri potuerit recenſet *Wepferus*. c) Inter omnia quae lethalem ſomnum faciunt, certiſſime eum producere vini alcohol aſſerit *Boerhaavius*, d) qui hominem experimentum editurum quantum de eo ferre poſſet, poſt ſex horas apoplexia tactum vidit, hacque occaſione maximam temulentiam ſemper facere ſomnum maximum, ſtertorem et ipſam Apoplexiam monet. Varias mortes a ſpiritu Vini quoque memorant *Foreſtus*, e) et *Bartholinus*. f) Sed vaporem adeo fermentantis vini idem patrare probat aliasque huc facientes obſervationes adfert Eximius Commentator *Hallerus*. g) Puerulo nondum annuo ſpiritus vini camph. cum aqua anhaltina dicta ob diſcutiendum tumorem ſub axilla applicatus, profundum ſomnum vix excutiendum induxit. h) Verum penitus perinde eſſe ſive aliquis Opium ſive vinum potusque ſpirituoſos nimia quantitate aſſumſerit ad gravem ſoporem accerſendum comparatione vtrinque inſtituta contendunt praeſtantiſſimi Medici. Quis neſcit inquit *Wedelius*, i) ab ebrietate ſomnum lethalem aliquando inductum? quis Opium non hoc nomine accuſat quod necare incaute datum poſſit? Stuporem ab Opio eundem eſſe ac illum qui a Vino liberius epoto generatur aſſerit *Freind*. k) *Hecquetus* quoque ſoporem ab Opio nil aliud eſſe quam ebrietatem a Vino profitetur. *) Papaveris ſuccus qui parca copia ſumtus notante Illuſtr. van *Swieten* l) laetiſſimum facit qui cogitari poteſt ſenſum, et inſtar Nepenthes Helenae omnium malorum oblivionem, aucta doſi ſomnum inducit, nimia copia tandem Apoplexiam. Vini vſus in homine non admodum adſueto ſimilia facit. Atque vt quem primo loco nominare debuiſſem Cl. *Wepferum* non omittam, liceat mihi quae huc facientia habet paulo fuſius tranſcribere.

a) *de mortibus ſubitaneis lib. II. c. 1. et 3.*

b) *Obſ.* 17. 19.

c) *de Cicuta aquat. c.* 5.

d) *Praelect. Vol. IV. p.* 517 518.

e) *lib. IX. obſ.* 27.

f) *Cent. III. hiſt.* 56.

g) *l. c.*

h) *Ridlinus Cur. Med. Obſ.* 504.

i) *Amoenit. Mat. Med. p.* 435. 436.

k) *Emmenol. cap. XIV. p.* 140.

*) *p.* 83.

l) *Tom. I. p.* 149.

m) *in Hiſtor. Apoplecticorum Exercit. de loco affecto p. 230. 234. 235.*

Narcotica inquit m) *ſi immoderatius aſſumantur, etiam ſola apoplexiam effeciſſe ſaepius obſervatum eſt. Ex horum numero ſunt omnes liquores inebriantes, qui ex fermentatione ſpirituoſam naturam nacti ſunt quales ſunt Vinum, cereviſia, hydromel vinoſum. Talia quae eosdem effectus licet diverſa quantitate cum Opio edunt, non video cur non et ſuo modo ſtupefacientia dicenda ſint.* Et paulo poſt: *Spiritus Vini itemque iuniperinus, ceraſorum nigrorum, liliorum convallium et ſimiles, potiſſimum aromatibus imbuti ſi frequentius aſſumantur, non ſolum cerebrum ad apoplexiam proclive reddunt, ſed et nimium ingurgitati citra aliam cauſam ſoli illam ſaepe effecerunt. Haec virtute vincunt narcotica, inter quae Principatum ducit Opium. Horum vſus diu continuatus cerebrum diſponit ad pleniorem meatuum occluſionem quae certo ad quamlibet leviculam occaſionem ſubſequitur. Si vero illis aegri in quantitate abutantur, ſola hoc lethi genere occidunt.* Tanta vero eſt vini, ſpirituoſorumque aliorum ac ipſius Opii in agendo affinitas, vt adeo hoc vel illis ſopiti, nullatenus a ſe invicem diſcernantur, ſique vnus iaceat ſine ſenſu ab Opio deglutito, alius a vini immodicis hauſtubus ingurgitatis, nemo medentum divinaverit facile quem inter duos hoc vel illud eum in ſtatum adduxerit. Pueros aliquot, et adultos, et ſenes, quia ſpiritum Vini quem aquae vitae nomine ſalutant, immoderate ſumſèrant, primum ſummopere accendi, poſtea attonitos ſtupere, ac ſi Opium bibiſſent, et ſtertere ad mortem vsque multoties obſervavit *Platerus.* n) Idem aliquos ex nimia vini ingurgitatione non tandum ſtupidos fieri, ſed et mori vidit, non aliter ac a ſpiritu vini et narcoticis. Ita et aliquos ebrios licet rurſum ad ſe redeant, trunci inſtar et adeo attonitos vt nec voce nec geſtu ſignum impulſi edant in plateis iacere dicit, non minus ac ſi Opium magna copia ſumſiſſet.

n) *lib. I. Obſ. 17.*

Neque vero ſopore graviſſimo excitato quietem motuum vniverſalem ſimul ſemper excludit Opium, vt enim de aucto circuitu et aeſtu humorum hic nil repetam, ſubinde etiam animalium

malium motuum vim ad convulſiones vsque extendit. Feles ab Opio ad ſcrupulum dimidium ſopore opreſſas ſub convulſionibus exſpirantes vidit *Berger*, o) atque eiusmodi animal cui extractum gummoſum ad ſcrupulos duos dederat Cl. *Buchner* p) convulſionibus interiit. Canis cui Ill. *Mead* q) intruſerat Opium crudum ad drachmas duas obdormivit, ſed illico exiliit convulſus, intremuit toto corpore, caputque eius ſpaſmis convulſivis indeſinenter fuit agitatum. Habent quoque Transactiones philoſophicae Anglicae r) felem, cui 50. grana Opii in aqua ſoluti in venam cruralem iniecta ſunt, vnde diriſſime convulſa eſt, et poſt horrida ſymptomata vix per quadrantem horae ſupervixit. Ibidem et recenſetur canis, cui paulo maior Opii quantitas vehementes convulſiones per totum corpus excitavit, ſomnumque ſaepe interruptum, dum modo expergefiebat modo iterum dormiebat. Non minus Cl. *Lorry* s) qui Cani in telam celluloſam femore inciſo iniecit grana 24. Opii ſoluti, ligato vulnere poſt ſymptomata ſueta obſervavit convulſiones, a quibus animal mortuum vidit tandem et convulſivos motus in animantibus quibus Opium exhibuit Cl. *Sproegelius*. t) Fallitur autem Vir egregius, quando eos magis a ligaturis quam ab Opio excitatos putat, quod ipſos potius cohibere cenſet. Nimis certum eſt, Opium certo reſpectu ſopiens, ſimul tamen convulſiones ciere poſſe, ſua propria virtute neque brutis ſaltem, ſed et hominibus. A papaveris ſucco poſt alia ſymptomata ad finem convulſiones evenire antiquo tempore ſcripſit *Aetius*. u) Illos qui Opium in maiori doſi acceperunt, ſub oculorum et totius faciei adſpectu horrido, ni ſubito auxilium afferatur, tetano et epilepſia perire notavit *Stentzelius*. x) Inter illa ſymptomata quae non omnia omnibus a praebio paulo largiori Opii accidunt etiam convulſiones citat *Geoffroy*. y) Negari non poſſe imprudentem Opii vſum in magna quantitate convulſiones produxiſſe profitetur Ill. van *Swieten*. z) Ita Theriacae largior doſis convulſiones produxit et mortem. a) Memini horrendis convulſionibus affectum infantulum cui per errorem datus fuerat pulvillus matri deſtinatus granu-

o) *c. t. diſſ.* § 4.
p) *diſſ. cit.* §. 30.
q) *de Venen. p.* 133.
r) *Vol. XXVII no* 335. *p.* 493. 494.
s) *Iournal Encyclopedique Tom. I. Part. II. p.* 76.
t) *in diſſ. quae experimenta circa varia venena habet* §. 36.
u) *Tetrab. IV. Serm. I. c.* 69.
x) *de Venen. lib. I.* §. 46.
y) *Mat. Med. Tom. II p.* 693
z) *Comment. Tom. I. p* 372.
a) *A N. C. Cent. I. obſ.* 54.

granulum forte dimidium extracti Opii habens. In puellula a pauxillo Opio manifeſte aliquoties obortas convulſiones deſcribit *Ridlinus*. b) Atque ab his tenellulis concludo ad homines tenerioris texturae inferoque non ſemper largis et largiſſimis doſibus opus eſſe vt ab Opio ipſis convulſiones inducantur. Has ab illius vſu enatas memorat Lorry p. 71. 74.

b) *lin. med. Ao. IV. Menſ. Iun. Obſ. 22.*

§. XX.

EXPERIENTIA XI.

Opium dormientibus inſomnia, ab vſu autem eius in ſomnum non prolapſis ſed vigilantibus manentibus phantasmata et deliria parit. Nonnunquam largiore vel chronico vſu inſaniam, ſtuporem, memoriae defectum, dementiam, et fatuitatem poſt ſe trahit.

Vix ſine inſomniis dormiunt, qui ſomnum artificialem Opii praebio maxime paulo largiore invitarunt, cum naturalis ſomnus quando blandiſſimus et dulciſſimus eſt, etiam ſine vllis inſomniis eſſe queat, et ſoleat, phantaſiam omnem et vim animae repraeſentativam quaſi ſimul dormientem, et vocantem a ſuis muniis complectens. Somnus vero vt recte notat *Lindeſtolpe* c) qui ex narcotico opiato atque inebriamine fit, coniunctus ſemper eſt cum inſomniis et geſticulationibus. Illa vero inſomnia inde prognata pro circumſtantiarum varietate, in quam iam non inquiro, nonnunquam amoenis ideis et gratiſſimis repraeſentationibus menti illudere, interdum vero etiam horridis chimaeris, et tetris ac tragicis phantaſmatibus anxium et laborioſum ſomnum efficere ſolent. Refert Proſper *Alpinus* d) de ſuis Aegyptiis, non paucos eſſe inter eos, qui Opium aſſumentes opinantur ſe per ſomnum varia pulcherrima et amoeniſſima viridiaria atque amatas puellas viſuros, ſeſeque cum illis oblectaturos. Errat vero, quando eiusmodi ſimulacra nocturna ab imaginatione laeſa et ab impreſſione diurna, fere ſaltem deducere laborat, cum vero ab Opio pendeant. Habet vero nihilominus deinde integrum caput de medicamentis ab Aegyptiis animi gratia vſitatis quibus devoratis ſperant varia exoptata in ſomniis ſe viſuros. Inter ea nominat Affion, ſeu Meconium

c) *de Venenis c. X. theſ. 75.*

d) *Med. Aegypt. lib. IV. c. I.*

um, vel Opium, et dicit viſiones eiusmodi omnibus Mahometis aſſeclis eſſe acceptiſſimas. Vt vero quoad cauſam horum inſomniorum fallitur *Alpinus*, ita *Ridlinus* [e]) errat, quando in ea verſatur ſententia, non niſi largas doſes Opii inſomnia parere, de Turcis notum ſibi eſſe dicens quod illo mediante ſibi eadem concilient.

e) *lin. Med. Ao. II. Nov. obſ.* 16.

Quanquam vero apud aegros ſuos poſt ordinaria praebia nunquam tale quid, quod miror, ſubſecutum fuiſſe ſeſe recordari pronunciet, Virum tamen data opera peculiarique obſervatione deſcribit, qui per longum tempus ab inſomniis immunis ſumta Theriaca coeleſti et laudano cydoniato ſomniavit. In ſe ipſo et aliis interim Moſes *Charas* [f]) ab Opio ſomnum ſuaviſſimum ac admodum tranquillum et inſomnia deliciarum pleniſſima nata refert. *Geoffroy* [g]) quoque Opium ſomnia grata ac iucunda vtplurimum provocare Auctor eſt. Idem prorſus docent Ill. van Swieten Tom. I. p. 818. Iones Myſter of Opium reveald Phil. tranſ. No 221. Mead of poiſ. p. 256. Thevenot Vogaye II. p. 392. Spolety apud Morgagn. cauſ. et ſed. morb. Tom. I. p. 55. Ruſſel nat. hiſt. of Alepo p. 83. Neque tamen vt iam monui abſolute et omni tempore acceptae et amoenae viſiones dormientis ab Opio phantaſiam occupant. De ſe ipſo narrat *Bellonius* [h]) quod Opio largius deguſtato nullam equidem noxam ſenſerit, niſi quod cerebrum perturbarit, et inſomnia turbulenta induxerit. Ita et *Schelhammerus* [i]) ab Opii granis tribus cum dimidio per errorem aſſumtis confeſtim ſecutum obſervavit ſomnum inſomniis gravem et turbulentum. Atque de eiusmodi ſomno tanquam de re vbique nota ſic loquitur *Hoffmannus*, [k]) *Quid frequentius eſt quam quod vſui Opiatorum ſuperveniat ſomnus laborioſus terriculamentorum et phantaſmatum plenus.* Et alibi *Opiata* inquit *torporem*, *ſomnolentiam et inſomnia terrore et phantaſmatibus plena cauſantur.* Ego quidem per plures annos ad effectus Opiatorum ſingulariter attentus, centenis vicibus altero mane a ſumtis eiusmodi remediis recenſentes audivi aegros ſua ſimulacra, quibus per totam noctem illuſi erant, quaſi ex ipſa Morphei manu veſpertinum pulvillum accepiſſent.

f) *Pharmac. Reg. c.* 51. *et in novis experim. circa viperas c.* 14.
g) *Mat. Med. Tom. II. p.* 696
h) *A. N. C. Dec. II. Ao. V. Obſ.* 12.
i) *diſſ. et operatione Opii* §. 5.
k) *Med. Syſt. Tom. II. Part. II. c. VII.* §. 4. *et* 7.

piſſent. Atque ſic repetita experientia comperi, eos qui modicas doſes aſſumſerant Opii, nullum impetum humorum neque maiorem raptum eorum verſus caput antea experiti, nec valde plethorici, ſuavibus imaginibus deceptos vtplurimum noctes transegiſſe, illos autem quorum encephalon ſanguine multo, ſpiſſo, calido oneratum erat, quique vel febrili motu vel vinoſa diaeta acceleratum habebant circulum, terrificis plerumque repraeſentationibus et inſomniis turbulentis nullam continuam requiem indulgentibus fatigatos fuiſſe.

Verum cum praevio licet vſu Opii Medicus et aeger non raro intentione et voto excidant, atque deſideratiſſimus ſomnus haud ſubſequatur, fieri tamen nihilominus ſolet, vt eo prorſus abſente, vigilantibus manentibus iniuſſae ideae ſurgant, et phantaſmata varii generis obverſentur, ab obiectis externis mirum quantum aliena. Illa vero omnia non alio niſi deliriorum nomine venire poſſunt, quae accurate conſiderata nil aliud ſunt, quam ſomnia vigilantium eoque graviora redduntur, quo minus cerebri conditiones Opium ferunt, aut quo magis vſus huius remedii largus eſt, et diutius continuatur. Ipſa hilaritas et alacritas animi, quae aliquibus a mediocri praebio Opii enaſcitur, illa fluxa et temporaria tranquillitas et beatitudo, ſomnium eſt ſine ſomno, mox iterum evaneſcens, quando Opii vaporoſum principium ex corpore abiit et exhalavit. Sique paulo magis increſcat id tranſitorii gaudii genus, irrationale reddi incipit, et prona via in manifeſtum delirium abducit. Aque talia quidem vera deliria ipſum Opium inducere poſſe nemo negaverit facile, cum experientia hanc veritatem numeroſis exemplis comprobaverit. Facile illos qui papaver aut hyoſcyamum bibunt, mente alienari annotavit *Aurelianus*. l) Opium aliquando et rationis vſum perdere atque ad inſaniam et furorem adigere ſcripſit *Bergerus*. m) Negari non poſſe imprudentem Opii vſum deliria produxiſſe teſtis eſt van *Swieten*. n) Solo Opii vſu multos in delirium incidere dixit *Pitcarnius*. o) Minimam Opii portionem ſufficere ad inducendum delirium notavit de *Gorter*. p)

Accedit

l) *lib. I. c.* 4.

m) §. 2.

n) *Comment. Tom I. p.* 372.

o) *Elem. Med. lib. II. c. VI.* §. 8.

p) *Med. dogm. mat. C. I. p.* 21.

Accedit his Praeceptor Fridericus *Hoffmannus.* q) *Haud dubia inquiens experientia conſtat ab Opiatis praeſertim immoderatius vſurpatis, torporem capitis cum ſenſuum ſtupore et mentis ſaepe alienatione inferri.* Et alibi r) *Nil in rerum natura tam celeriter ſanum et intelligentem hominem ſtolidum et ſtupidum reddere poteſt, quam narcoticum.* Atque ita non in animalibus ſaltem brutis, inter quae feles ab Opio delirantes viderunt *Bartholinus* s) et *Sproegelius,* t) hoc ſaltem evenire perſpicitur, ſed et id hominibus vere eveniſſe fidis relationibus comprobari poteſt. Poſtquam de Opiato electuario quod Beniani loco vini, in convivio abſtemii adhibebant, cum ſociis deguſtaſſet *Kaempferus*, atque inexplicabile illud gaudium quali nunquam in vita affectus erat perſenſiſſet, de quo iam in antecedentibus dixi, quid porro acciderit ita recenſet: u) *Soluto ſub noctem convivio vbi equos conſcenderamus virtus pharmaci quaſi mutata ſcena alia cerebris noſtris creavit phantaſmata. Haud enim aliter nobis viſi fuimus quam cum pegaſo volatu per nubes et irides ferri lucida elegantiſſimorum colorum ſpecie vndiquaque oculis noſtris obverſante. Appulſi domum coenam eo cepimus cum oblectamento, ac ſi cum Diis ipſis coenaremus.* Poſtridie *diſcuſſis ſomno vaporibus in ſtatum ſuum reſtituta eſt ratio et optime habuimus. En Crapulam magicam a Pharmaco inductam quale ſub noctem ſi propinaveris Melancholico credet expergefactus et tortus fatebitur ſe volitaſſe per aerem in bructrum feralem ICtorum vix elapſurus ſententiam.* Suave hoc fuit delirium, ſed enarraverat antea aliud *Kaempferus*, quod ſacerdotes fraudulenti fucum populo facturi in Malabaria mediterranea Virginibus Veſtalibus inducunt. Clam nempe propinant ipſis Opiatum quoddam, dein ex templo Brachmanum eductae comitatu populo ſiſtuntur, contuendae pulchrae, bene comptae, vultubus ad modeſtiam compoſitis, et nil prae ſe ferentes inſaniae. Mox dum ſacerdos ex Wedam (Bibliis gentilibus) verborum formulam praelegit, puellae leviter moveri, tripudiare, artus et oculos torquere, ſpumare, et horrendas actiones edere incipiunt, opinaturque populus illas agitari ab

q) *Med. Syſt. Tom. II Part. II. c. VII. §. 4.*

r) *§. 7. in Schol.*

s) *Cent. IV. epiſt. 92.*

t) *diſſ. cit. Experimento XVI.*

u) *Amoenit. exoticarum Faſciculo III. Obſ. XV. §. 3.*

inductis daemonibus. Laſſatas Brahmanae reducunt in templum, et cubare iubent, clam vero aliud pharmacum priori contrarium exhibent, elapſaque horula menti reſtitutas denuo educunt in publicum, vt turba gentilis liberatas a Geniis videat, et idolum credat reconciliatum. Taceo morem execrabilem, qui viget inter Indos Nigritas, ad efferandum animos ad homicidiorum patrandorum audaciam, dum vel vitae ſuae vel iniuriarum pertaeſi ſe morti devovent, per vltionem et mortes aliorum oppetendae, inſtar tigribum rabidarum in publicum excurrentes, obvios quosque ſtricto pugione trucidaturi, quem actum Hamuk dictum laudatus *Kaempferus*, deſcribit. Nobis autem Europaeis ad ſuavia et furibunda deliria excitanda non largis doſibus Opii opus, ſed mediocres et vſitatae ſufficiunt. Aſſumſerat Cl. *Mauchart* granum dimidium Opii crudi ad clavum mitigandum, poſt appetitum magnum, cui largiſſima coena ſatis fecit, prolapſus fuit in ſomnum, ſed brevi evigilavit, totaque nocte modo de proeliis, contentionibus, itineribus, conviviis, hortis, bibliothecis et aliis garrivit, et deliravit oculis apertis, vt ab Vxore anxia nullo modo ad ſanam mentem reduci poſſet, x) ſummo mane ad ſe rediens relatorum ab Vxore ſub ſomniorum ſpecie reminiſcens, et poſtea ſaniſſimus. Sana coeteroquin Foemina quandoque colica habituali laborans ſat ſaepe adſumere adſueta erat laudanum liquidum Sydenhami ſine alio effectu quam vt quietior redderetur, et dolores ceſſarent. Correpta graviori Odontalgia a alterutri temporum applicabat Emplaſtrum quod habebat grana duo Opii. Vix hoc factum erat, cum corriperetur furioſo delirio, ſpaſmo oris ſtipato. Abripiebat et abiiciebat emplaſtrum deliriumque et convulſiones ceſſabant. y) Nominare non omittam Celeb. *Young* cui ipſi laudani liquidi guttulae 40. Vertiginem et perturbationem capitis intulerunt. Me quod attinet licet ſemper ſollicite caverim, ne dato Opio nocerem prodeſſe volens, tamen ſine mea culpa temporaria deliria ab eodem nata animadverti, quando vrgen-

x) *Ephem. Nat. Cur. Cent. I. obſ.* 15.

y) *Iournal Encyclopedique Tom. I. Part. II. p.* 72. 73. *obſervante Illuſtri Lorry.*

vrgentibus malis opponendum erat. Memini bene, quantum mihi [z]) ipſi terrorem nec dormienti nec vigilanti incuſſerint, draconum, ſceletorum, et informium deformiumque vultuumque ſimulacra, cum ad immanes dolores cholerae leniendos et excretionum ſummum impetum pauliſper refraenandum, mediocres doſes Opii pededentim ſumſiſſem. Recordor quoque Generoſiſſimae Dominae tenerioris texturae, cui vna cum Beato Hahnio meo medicinam faciens ad indicibilem dolorem convulſivi quid minantem demulcendum data erant extracti Opii aquoſi grana tria intra 10. horarum circiter ſpatium. Haec omnino non dormiens, ſed temulenta, anxia, calida, ſermones mire miſcebat, ſe interdum corrigens, mox expaveſcebat ſubito, mox iraceſcens manum meam et contriſtati optimi mariti manus prehendebat, donec ſenſim iterum ab ſe rediret. Inter plures alios habeo duos notabiles caſus, quos Lectorum venia paulo prolixius recenſebo. Laboraverat morbilis epidemice graſſantibus Illuſtriſſimo ſtemmate oriunda, omnibusque virtutibus ſexum ſuum decentibus exornatiſſima Virgo, omniaque fere ſymptomata quibus illi ſtipari, quaeque adultioribus aegris graviora fere ſemper eſſe ſolent, experta fuerat. Morbum feliciter ſuperatum viſum, qui non obſtante duriore ſua indole catameniorum ſucceſſum haud turbarat, excipiebat aliquot hebdomadibus iam elapſis ſpasmodicorum et convulſivorum pathematum ſyndrome, a quibus vt ab aliis incommodis antea ſaniſſima prorſus immunis fuerat. Ingruebant nempe cardialgiae, vomitiones, dolores inteſtinorum ſummi, algores artuum, palpitationes cordis, ſingultus per vices ſemper affligentes, at ſine febre, per plures dies. Tandem artuum rigores, tremores, motitationes convulſivae adiungebantur, maxime autem omnium muſculorum faciei convulſiones Illuſtriſſimam matrem magis fere ac aegram filiam adficiebant. Ego muſculorum delineationem in tabula Santoriniana tunc non ſemel animo contuitus, ipſosque motus eorum convul-

z) *Vid. Hiſtoria Cholerae meae* §. 33.

ſivos ſtupenda celeritate et varietate ſeſe invicem inſequentes coram videns, vix capere poteram quomodo illis muſculorum ipſorum numerus, et actiones determinatae producendis ſufficerent. Pertinacia haec mala a ſola irritabilitate et mobilitate nimia ſyntaxeos nervoſae oriunda multis laudatiſſimis remediis impugnabantur, ſed reſpuebant omnia, et nonniſi opiatis mitigata inducias dabant, in omni inſigni ſpirituum ataxia Sydenhamo ſuaſore indicatiſſimis. Verum repetitionem eorum poſcebat rebellis morbus, quam Illuſtriſſima aegra bene coeteroquin ferebat, levioribus quibusdam incommodis inde pendentibus exceptis, facile tamen ceſſantibus ſponte, aut levi opera removendis. Vnum gravius erat indicibilis larvarum, ſpectrorum, et chimaerarum caterva, vigilanti ſeſe repraeſentans lectulum vndique cingens, et multas moleſtias faceſſens, quam vere non adeſſe aegerrime ſibi perſuaderi patiebatur, quamque imminutam et remotam prorſus, imminuta et ceſſante Opii operatione, novum praebium certiſſime revocabat. Inde vero etiam garrulitas delira neceſſario excludebatur, donec victas manus daret morbus, aegraque quam conſummatam hyſtericam dixiſſes, carere remedio poſſet miris illuſionibus dum corpori opitulabatur animam eius divexante. Liceat mihi adhuc mentionem iniicere Nobiliſſimi cuiusdam Viri, quem non poſſum non hic loci in memoriam meam revocare. Afficiebatur hic diarrhoea gravi in dyſenteriam vergente, diris torminibus ac teneſmo excruciante, qui eapropter tanto moleſtior erat, quod haemorrhoidum et coecarum et fluentium incommodis a longo inde tempore laboraſſet. Acta erant agenda, et agebantur, quam accuratiſſime, iique qui ſine Opio dyſenteriam omnem curabilem gratis aſſerunt, non potuiſſent diffiteri, in hoc ſaltem caſu ad illud recurrendum eſſe. Verum deiectiones torminoſae creberrime repetitae cum perpetuo deſidendi conatu mediocribus doſibus laudani parum vel nihil minuebantur. Confugiendum igitur

tur ad largiores erat, cum easdem nil vetaret, ſed atrox malum potius rigide vrgeret. Exhibebantur hae cum optato ſucceſſu, tertiam quippe diu fruſtra optata ſymptomatum remiſſio tandem inſequebatur, ſed garrire aeger varia male cohaerentia, et digitis monſtrare perſonatos homines ad eum appropinquantes, nemini adſtantium videntos, incipiebat. Adveniebat hora teterminata, quartum porrigebatur praebium, ohe quanta brevi poſt comoediarum et tragoediarum miſcela, quarum ſpectatorem ſeſe aeger declarabat, mox ſolutus in riſus et cachinos, mox gemens, mox terrore perculſus ne a digladiantibus inter ſe confoderetur ipſe, mox aliis viſionibus deceptus, et in varios affectus detortus. Monitus haec omnia ipſi ſaltem ita videri quod per aliquot noctes non dormiviſſet, irraſcebatur ſe ſtultum impune haberi, quandoque tamen dum laxiora praeſcribebantur intervalla, quibus ſuos pulvillos caperet ad ſe redibat, ac falli ſeſe vltro agnoſcebat, per vices tamen deliris phantaſmatibus iterum perturbatus. Lepidum erat audire, dum idem cum acutiſſimo aevi noſtri Philoſopho *Wolfio* nomen gerebat, ſibi ipſi exprobantem, quod aeque ſtoliditate et dementia excelleret, at ille doctrina et ſapientia. Mitigato interim et ſublato tandem morbo et imminuta atque ceſſante neceſſitate exhibendi ſpecificum Opium, facile redibat conſtans ingenii et iudicii acumen, quo alioquin egregie inſtructus erat.

Atque eiusmodi deliria temporaria non raro certe occurrere ſolent in Praxi medica, vt enim non omnium caput vini hauſtubus aeque ferendis idoneum eſt, antequam in hiſtriones abeant prudentiamque ponant ita quoque ſunt qui non adeo largis Opii doſibus aſſumtis ſtatim quandam mentis alienationem patiuntur, verbaque facientes deliras ideas facile produnt. Vt vero diu protractus et continuus vſus Vini et potuum ſpirituoſorum tandem mentis aciem hebetat, ita et repetita Opii adhibitio eiusdem acumen obtundit tandem. Frequentem Ebrietatem et crapulam praeſer-

tim

tim ſi poculis indormiant, ſomno vinoque ſepulti quorundam ingenia plurimum labefactare, et rationis vſum infirmare ob ſimilem vere rationem frequentem Opiatorum vſum quibusdam mentis aciem valde perſtringere *Bonetus* a) annotat. Atque rectiſſime *Lindeſtolpe* b) rem penitius examinando poſt narcoticorum opiatorum et inebriantium vſum eandem eſſe ſymptomatum concatenationem apoplexiam vsque pronunciat, et ſi contigerit aegrum reſurgere, remanere paralyſes, ſtultitias, oblivia, tremores, et iudicii debilitatem. Meminit laudatus *Bonetus* c) hominis, qui ab hypnotico fortiori aſſumto, poſtquam febre laborans plures dies et noctes inſomnes abſumſiſſet, memoriam fere in totum amiſit, illeque homo qui recenſente *Schelhammero* d) grana tria cum dimidio Opii aſſumſerat cum e ſomno excitaretur, animum exhibebat obtuſum, et ſui fere neſcium. Tales eventus cum ſat ſaepe obſervati ſint, in vulgus notum eſſe *Williſius* e) ait functiones animae principes, memoriam, diſcurſum et ingenii acumen ſaepenumero a narcoticis inſigniter laedi. Ipſe vero obſervavit frequentem eorum vſum in multis hominibus memoriam debilitaſſe. Vidit quendam a laudani doſi maiori cum febricitaret aſſumta facultatem illam penitus amiſiſſe, et poſt aliquot ſeptimanas cum rediret ante actorum non recordari potuiſſe. Scire ſe quosdam refert qui ab hoc pharmaco ingenii tarditatem, ſtupiditatem, amentiam contraxerunt. Recenſet *Stalpart van der Wiel* f) ſibi retuliſſe D. Cocq Medicum Hagienſem, de Iure conſulto, qui aegrotans per aliquot heptomates ad vigilias levandas hortatu amicorum ad Opii Tincturam confugit, cuius vſui ſe aliquam diu ita adſuefecit, vt cum convaluiſſet ac muſeum intraret, non amplius ſciverit quonam loco litium inſtrumenta repoſuiſſet, quamvis labefactata memoria priſtinas vires iterum recuperaverit. Expreſſis quoque verbis inter effectus Opii Mentis hebetudinem recenſet *Bohnius*; g) Sique quis quotidie magnam non vero tantam Opii quantitatem aſſumat vt moriatur,

a) *S. pulchr. Lib. I. Sect. X. p.* 208.
b) *de Venenis c. X. theſ.* 76.
c) *Sepulchr. lib. I. Sect. I. p.* 214.
d) *Eph. N. C. Dec. II. Ao. V. obſ.* 12.
e) *Pharmac. Rat. Part. I. Sect. VII. c. II. p.* 189.
f) *Obſ. rar. obſ.* 42.
g) *de officio Medici dupl. p.* 362.

riatur, ſenſim fatuum fieri et infantis ad inſtar repueraſcere, *Sproegelius* [h]) declarat. Opium continuato vſu ſtupefacere et dementare aſſeruerat etiam Illuſtr. *Hallerus* [i]) eodem modo ac apud Orientales. Nempe de his populis qui Opium nimis in deliciis habent teſtantur *Alpinus*, *Bellonius*, *Kaempferus* quod torpidi, comatoſi, ſtupidi, inconſtantes tandem reddantur. Sopitas quaſi vires Animae in *Emir* Principe Arabum notat *Arvieux* ex vſu langue. Noſtris autem ad rationis vſum ſubvertendum vt ad drachmas capiatur non opus eſt; ſed modice cepiſſe et ſaepe, haud raro ſufficit.

h) *diſſ. cit.* §. 21.

i) *Praelect. Boerh. in inſt. Tom. IV. p.* 519.

§. XXI.

EXPERIENTIA XII.

Opium ſtimulos venereos infert.

Sunt equidem aliqui, qui hanc Virtutem Opii negant, et amoris igniculos potius eo extingui, carnisque motus ignavos reddi cum *Renodaeo* [k]) aſſerunt, vel cum *Williſio* [l]) de eadem dubitant, qui ipſam explicaturus, ſi modo illum effectum re vera habeat Opium, ſimul addit. Sunt et qui cum noſtro *Sachſio* a *Lewenheim* [m]) Opium in quibusdam venerem ſtimulare, in aliis fraenare reputant. Verum illi omnes vix attendi merentur, cum Experientiae et obſervationes ſat multae variorum Clariſſimorum Virorum vim huius remedii aphrodiſiacam vniverſalem certiſſimam reddant. Refert de Aegyptiis ſaepe iam laudatus *Alpinus*, [n]) quod Opio magna copia vtantur, quoniam ſe ita promptiores fieri ad venerem arbitrantur. Non pauci etiam ſunt inquit qui id aſſumentes ſe per ſomnum amatas puellas viſuros opinantur. Indos in Bantam conficere Electuarium ex Opio enarrat Ioh. Iac. *Saar* [o]) quo Chinenſes in Batavia quoque vtantur ad exſtimulandam Venerem; eius vero aſſumtione eousque ipſis increſcere libidinis oeſtrum refert, vt ſcorta ferre hircientem pruriginem tentiginemve neſcia, ex illorum amplexubus eluctentur ſaepe, atque aufugiant. In regno

k) *Mat. Med. lib. I. S.* 10. *c.* 2.

l) *Pharm. Rat. Part. I. Sect. VII. c. II. p.* 190.

m) *M. N. C. Ao. II. obſ.* 69.

n) *de Medicina Aegypt. lib. IV. c. I. p.* 255.

o) *in Itin. Indiae Orient. p.* 11.

gno Iapan. Viros licet natura ſat ſtrenuos milites in caſtris venereis arte tamen per Opium naturae ſuccurrere recenſet *Cleyerus*. p) Non igitur mirum ad Hungariae oppidum *Lewentz* trucidatos olim Turcas viriles ſcaphas erectas rigidasque habuiſſe, ex Opii vel ſui Maslach vſu, quod in proelium ituri ad animoſitatem et audaciam acquirendam largiter deglutiunt. q) Neque in Africa et Aſia ſaltem Veneri famulatur Opium, ſed late patenti per vtrumque Orbem eius imperio. Europaeos quoque hoc remedium certius ſubiicit, multo minori copia ſub iugum mittendos. Merito igitur Opiata inter Aphrodiſiaca numerari affirmare potuit *Bergerus*, r) atque de hac remediorum claſſe agens *Wedelius*. s) *Sed et Opiata huc faciunt* inquit *accuſata quidem vulgo quod evirent, et obtundant Venerem. Verum ratio et experientia pro iis militat. Haec quidem quod ab vſu eorum in diſpoſitis et calidis inſomnia venerea et pollutiones excitentur. Quaecunque vero has citant, illa ſine dubio ſunt aphrodiſiaca. Novimus Magnum Virum eapropter Opiata odiſſe quod adhibita ad arcendas vigilias pollutiones et ſtimulum venereum cierent.* De tentigine inſolita conqueſtos eſſe aliquos poſt vſum Opii Auctor eſt Moſes *Charas*, t) Venerem movere Opium quoque affirmat de *Haller*, u) ad Turcarum cadavera poſt proelia cum tentigine inventa provocans. Eundem effectum confirmat *Geoffroy*, x) Opium ſemen augere, venereum appetitum ſtimulare, penis erectionem ſuſcitare, ſomnia venerem et in ſomno ſeminis emiſſionem ciere, largaque doſi oeſtrum venereum et priapiſmum excludere ſcribens. Ob notas ergo ſibi facultates has Opii, id cum ambra in pilulas redactum, pro arcano ad venerem ſtimulandum et actum venereum diuturnum efficiendum declarat *Ettmullerus*, y) atque laudanum liquidum Sydenhami cum elaeoſach. Cinam. et citri ac ambra moſchoque remixtum ad effectum aphrodiſiacum eſſe effectus praeſentiſſimi aſſerit *Hoffmannus*. z) Dignum memoratu

p) *Eph. N. C. dec. II. Ao. X. obſ. 35.*

q) *Eph. N. C. dec. I. Ao. II. Obſ. 69. app. p. 395.*

r) *diſſ. de Vi Opii rarefaciente Coroll. IV.*

s) *Amoenit. mat. med. p. 481. et Opiol. lib. II. ſect. II. c. 7.*

t) *Pharmac. Reg. c. 51.*

u) *Prael. Boerh Tom. IV. p. 519.*

x) *Mat. med. lib. II. p. 695. 696.*

y) *Operum Pract. cap. de nimis cita ſeminis eiaculatione.*

z) *diſſ. de Correct. Opii §. 15.*

moratu eſt in illis adeo hanc ſuam virtutem exerere Opium, qui iam emeriti in caſtris venereis milites habendi viderentur. Senem quendam quoties ipſi ad catarrhos quibus crebro infeſtabatur mitigandos exhiberet granum vnum MP. de Styr. Doctiſſimus noſter de *Helwich* a) toties in nocturna phantaſmata ac pollutiones incidiſſe obſervavit, quare tuto inde naſci concludendi licentiam innuit; Opium ſymbolam ſuam ad ſtimulandam ſeminalem excretionem conferre. Vim aphrodiſiacam Opii peculiaris quoque docet Obſervatio 94. in Actis Nat. Cur. Vol. II. Multa haberem ipſe quibus huius Experientiae fidem adſtruerem certa teſtimonia, ſi pluribus opus eſſet, addam tamen aliqua. Virum novi muneribus eccleſiaſticis praefectum qui mihi plus ſimplici vice retulit, ſe olim accepta a Medico Veneto largiore doſi Opii ſine ſomno in amoeniſſima exſtaſi permanſiſſe ac per 24. horas priapiſmo fuiſſe vexatum. Dedi aliquando Illuſtriſſimo Comiti arthritide vniverſali ex vitio a maioribus, toti familiae adhaerente enormiter adflicto, guttulas octo laud. liquidi, alteroque mane ſe in ſomnio vna nocte cum pluribus ac duodecim puellis rem habuiſſe mihi enarrabat. Laborabat ſpectabilis inter noſtros Mercator colica chronica, a ſolidorum vitio inſuperabili quae dum omnem ſomnum abigebat, virium proſtrationem indies peiorem efficiebat. Suaſi vt per aliquot dies veſperi caperet grana tria vel quatuor MP. de cynogl. Afferebat haec doſis dolorum lenimen, et gratam per horulas requiem, ſed laſcivis imaginibus in ſomno deceptus caſtiſſima ſtragula polluebat, atque eapropter multo debilior redditus abſtinere ab opiato pharmaco cogebatur. Optime tandem novi Virum litteratum ad pollutiones a Iuventute valde proclivem, eaque propter infirmiori corpore indutum, qui ſive ad tuſſim catarrhalem cohibendam, ſive ad diarrhoeam ſiſtendam, ſive alio quovis fine qualicunque anodyno opiata vtatur, ſemper ea nocte iniuſſam excretionem ſpermatis inter venerea ludibria multo cum taedio experitur.

a) *Hiſt. Morb. Vratisl.* 1702. p. 79.

§. XXII.

EXPERIENTIA XIII.

Opium excretionem cutaneam diaphoreſin valide et vtplurimum cum pruritu movet, ſed alias ſeroſas compeſcit.

Hactenus enumeratae Experientiae quoad effectus in corpore humano obſervabiles ab vſu Opii, a prima vsque ad ſeptimam, omnes reſpexerunt illas mutationes quae accidunt ſanguini in ſuis vaſis provoluto ſeu motui vitali, aut ex eius motu mutato reſultant. Sequentes vsque ad vndecimam pertinebant ad mutatam functionem animalem, ſenſum puta et motum animalem, atque vtrique inductas laeſiones. Duodecima referenda fuit ad functiones naturales mutatas, atque ad eas et praeſens decima tertia ſpectat, cum iis quae adhuc ſequentur. Verſatur haec ipſa circa functionem cutis, ſeu diaphoreſin, de qua per Opium promota vt nunc exponam ordo iubet. Si vero vllus effectus eſt quem Opium agens in corpore certo praeſtat, quique in omnium oculos incurrit, ſane is eſt haec excretio, quam quoties Opium exhibuerunt, toties animadvertere debuerunt Medici omnium temporum, omnium regionum omnes. Eam tandi habuit *Ettmullerus* qui de vi Opii diaphoretica peculiarem et perquam doctam diſſertationem conſcriberet, qua omnibus licet excretionibus ſopitis ſudorem ab Opio fluere probat. A multis retro ſeculis non poterat Medicis obſcura manſiſſe haec energia, iis minimum omnibus qui Mithridatio, Theriaca, diaſcordio ad ſudores movendos vtebantur, ſed illi quidem magis ad integras has inſulſas compoſitiones effectum hunc referebant, quam ad vnum ſimplex Opium, quod in ſinu ſuo multis inter ſe pugnantibus et otioſis quisquiliis immerſum gerunt. Eapropter *Ettmullerum* laudat *Thomſonus* b) quod ipſius Opii vires diaphoreticas primus notaverit. Ego quidem nihil meritis et gloriae *Ettmulleri* volo detractum, vidi tamen ante illum vim Opii diaphoreticam iam bene cognitam

b) *diſſ. de Opio pag.* 108.

gnitam habuiſſe *Hartmannum* c) cuius et non ignari fuerunt *Platerus* d) et *Geſnerus*. e) Quidquid ſit ab illo, vel ab his ſimul, idem edoctus, vim hanc adeo extollit *Wedelius* f) vt virtutem qua Theriaca ſudores movet non niſi Opio tribuendam eſſe ſtatuat, eoque demto minime eos fluere *Plateri* ſimul auctoritate nixus eloquitur. Tincturas adeo bezoardicas longe efficacius ſudorem movere ſcribit, remixtas cum Opio, quam ſine eo, hinc ſuam vix vnquam praeſcripſit ſine ſua Eſſentia anodyna. Quin et ſudorem opium interdum redolere narrat, vnde alio loco Opio ſudoriferorum apicem appellare amavit. Poſt *Wedelium* g) *Pitcarnius* h) phoenomena evincere ſcribit, Opio aſſumto ſudorem excitari, atque Opio exhibito ſudorem, eumque quam a quovis remedio alio etiam ſalibus volatilibus copioſiorem, erumpere profitetur *Thomſon* i) ſimulque aeque ac *VVedelius* non alia ratione famoſa diaphoretica Theriacam, et diaſcordium ſudorem movere contendit. Deinde cum *VVilliſio* k) qui communi experientia Opiata ſudores provocare dicit, faciens *Freind*, l) Opium ad ſudores movendos maxime efficax declarat; atque exploratum eſſe hoc remedium opportune et moderata etiam quantitate aſſumtum, exſpirationem vniverſi corporis augere, quoque affirmat *Berger*. m) Non minus de vi Opii diaphoretica agit *Hecquet*, n) gentesque orientales id adhibere tanquam optimum ſanguinem purificans mediante tranſpiratione notat, ipſamque Theriacam eousque eſſe ſudoriferam dicit, quousque Opio eſt impraegnata. Atque alia occaſione de tranſpiratione agens *ex omnibus remediis notis* inquit, *nullum adeo humores determinat ad habitum corporis, nullumque adeo favet depurationi ipſorum, quae ibidem ſuccedit quam Opium, quia actio eius omnis in cute finitur.* Eandem vim diaphoreticam agnoſcunt et teſtantur *Geoffroy*, o) *Haller* p) et *Buchner*, q) vixque opus eſt vt plura teſtimonia hanc veritatem firmantia adiiciam. Dederat Schelhammerus cuidam Cephalalgia laboranti

c) *Tract. de Opio p.* 9.
d) *lib. II. Obſ. p.* 491. *et lib. III. p.* 633.
e) *Epiſt. lib. II. p.* 61. 69.
f) *Opiol. p.* 89. 90.
g) *Amoenit. Mat. Med. p.* 346.
h) *diſſ. de circulatione in animalibus genitis et non genitis* §. 13.
i) *diſſertat. p.* 120.
k) *Pharmac. Ration. Part. I. ſect. VII. c.* I *p.* 186.
l) *Emmenol. c. XIV. p.* 138. 139.
m) §. 2.
n) *p.* 94. 95. 140. 123. 124.
o) *Mat. Med. lib. II p.* 695.
p) *Praelect. in inſtit. Boerh. Tom. IV. p.* 519
q) *diſſ. cit.* §. 56.

boranti pilulas ex MP. de cynogl. de Opio hae ſudorem ea nocte tam intenſe movebant, vt ter induſium mutare cogeretur capite praecipue ſudante. r) Miror vero Cl. Virum ambigere, an ſudor hic Opio debeatur, an naturae antea doloribus oppreſſae, quae ſui compos moleſtum acre ſerum per poros expulit. Sed prorſus mechanica neceſſitate et actione phyſica ſemper Opium ſudores ciet, quare ille Vir apud *Ridlinum* s) qui per errorem Pharmacopoei largiſſimam doſin theriacae coeleſtis ſumſerat, ſudore pene difluxit. Ego vero et a minutulis doſibus Opii talem ſaepe ſaepius obſervavi. Memini me dediſſe foeminae teneriori, ob diarrhoeam largam et torminoſam, tres pulvillos quorum vnus quartam partem grani de Opio habebat, mane, a meridie, et veſperi aſſumendos. Nocte inſequente adeo largiter ſudavit vt induſium plus ſimplici vice mutare, et pulvinaria invertere cogeretur, fere in lectulo ſuo natans. Atque eiusmodi largiſſimas excretiones cutaneas a mediocribus praebiis etiam in robuſtioribus vidi. Quanquam autem omnino ceſſante operatione Opii, et ceſſante regimine quod ſudori fluenti favebat in ſubiectis minus diſpoſitis ſudorem iterum brevi ſiſti certum ſit, tamen adhuc notari debet, a praebiis repetitis incredibilem quandoque vim ſeri per poros cutaneos exire, effuſiſſimosque ſudores inde fluere. Adducam ex propria Praxi duo ſatis notabilia exempla, de numero ſat multis. Nobilis erat Foemina ſeptimo menſe gravida, ab aliquot retro annis flatibus et hyſtericis ſpaſmis vexata, qui compreſſis et laceſſitis ab vteri mole inteſtinis iam ſummas moleſtias creabant, modo cardialgicas praefocationes, modo Vomitus modo torminoſas diarrhoeas inferendo, et nocte dieque nullam quietem indulgendo, adeo quidem vt de lecto ſurgere et per horas deambulare cogeretur. Stomachica, amara, aromatica, carminativa, antiſpasmodica, hyſterica intus et foris vſurpaverat ſat multa, quin et clyſmos, ſed ſine fructu. Graviora potius de die in diem reddabantur haec

mala

r) *Eph. N. C. Dec. II. Ao. V. obſ.* 16.

s) *Curat. Med. obſ.* 484.

mala cumque tuſſis tum noſtris per aeris inclementiam familiaris, accederet, et dolores in regione lumbari ſpasmique abdominis ad inguina tendentes eam comitarentur, fere metuendus erat partus praecox, quem vt averterem repetitis vicibus aegra flagitabat. Quid habuiſſem in illis rerum anguſtiis ſi caruiſſem Opio, id igitur fiducia plenus dedi in pilulis de ſtyrace. Vix dici poteſt, quantum inde levamen fuerit obtentum, illas ergo ceu ſacram anchoram ſe ſibi ſervaturam, ſingulisque noctibus ingruentibus aſſumturam fideliter ad partus vsque legitimum tempus aiebat. Dedi ipſas lubens, tribus vel quatuor vicibus, ſed altera iam nocte bene dormiens aegra ſudarat mirum quantum, tertia et quarta ita effuſam experta erat diaphoreſin, vt tota madida linteamina mutare cogeretur, atque tanda fluidorum l actura valde debilitaretur. Ipſa accuſabat pilulas ſibi adeo charas neque ego renui, ſuaſor potius eram vt ſeponerentur. Paruit, ſed omnia mala denuo ingruere dolens et querens narrabat. Iterum ergo ſumſit pilulas ſed iterum incredibili copia ſeri per cutis cribrum elapſa ſtragula ſua perfudit. Igitur denuo eas capere per duas noctes omiſit, atque ita ſe geſſit alternis vicibus donec peperiſſet, ſemper ambigens an ſpaſticae turbae ſine Opio ſibi relictae, an ſudatio immodica ab eo proritata maiores moleſtias faceſſeret. Sed ne ſaltem ſtructurae cutis teneriori, laxiorique vaſorum fabricae quae vtplurimum ſexui ſequiori eſt culpa, tribuatur, in medium adhuc produco Virum generoſum fibra forti et elaſtico vaſorum robore, in vigore aetatis praeditum, bellicisque incommodis antea ferendis adſuetum. Hic gulae peccatis et refrigerio corporis contraxerat immanem inteſtinorum dolorem, pertinaci alvi obſtructione ſtipatum, adeoque ad omnia remedia rebellem, vt ſine hernia quae aberat, peiorem vix viderim. Poſt V.Sem, clyſmata, mannata, oleoſa, epithem ta quaevis emolientia, et anodyna etiam fruſtra adhibita haemorrhoidum mentio iniiciebatur, ſed nullis in recti

limbo

limbo tuberculis ſe manifeſtantibus hirudinum applicatio de qua non nemo verba fecerat, videbatur minus opportuna. Nemo vero ea fuiſſet cordis duritie, nemo ita omnis miſericordiae expers, qui aegrum ſeſe in terra volutantem vidiſſet, eiulatibusque ſuis et clamoribus circumfuſum aera longe lateque implentem audiviſſet, qui non de remedio ſummo pro placandis doloribus ad deſperationem immanibus cogitaſſet. Datum ergo Opium doſi congrua cum levamine, non omiſſis aliis quae e re futura credebantur. Sed dum ſaevire pergebat torminum rabies neque vllis aliis pharmacis manſueſceret, nobile hoc ſopiens repetebatur. Abhinc quietior redditus aeger ſomnum capiebat, atque ita eodem recreabatur vt hilaris et tranquillus de fracto morbo ſibi et Medicis gratularetur. Verum muſſitantes fere perpetuo dolores in nervorum potius quam in arteriarum rubrarum ſyſtemate cauſam radicari omnibus notis arguentes, exſpirante operatione Opii ſemper inſurgebant vehementius, diaetaque exacte obſervata clyſmatibus crebris et aliis remediis haud ſuperandi, mane et veſperi anodynum poſcebant. Ferre hoc per hebdomades aeger multa cum euphoria videbatur, ſaltem praeter pulſum magis nunc concitatum indicibili copia manante ſudore vexabatur. Cogitatum fuerat de balneo emollientiſſimo ſed lectulus ipſi pro labore balneari, ſerumque quo totus madebat pro molli aquula erat. Tantusque ex induſiorum, linteaminum et ſtragulorum reſiccandorum, recentiumque cum humidis permutandorum feſſo et rerum pertaeſo famulitio reddebatur labor, vt Herum ſuum perſanatum illius et ſui amore toto corde praeoptaret. Neque tamen quies ipſi ſopiente Opio perturbata redibat antea, donec devicti dolores id ſeponi permitterent.

Antequam hanc Tractationem de Vi Opii ſudorifera deſeram, non omittere debeo neceſſariam annotationem, id fere proprium eſſe ſudori inde orto, atque interdum ipſum Opium redolenti, t) quod facile cutis efflorescentias creet, et ſimul

t) *odorem Opii per totum corpus ſudore extendi, dicit Dioſcorides l. 6. c. 17. et Paulus Aegineta lib. V. c. 43.*

ſimul moleſtum aliquem pruritum inferat. Ipſe oculis meis natas hac de cauſa puſtulas vidi ſaepiuſcule, atque querelas de morficante ſenſu in cute audivi, easque circumſtantias a praeſtantiſſimis Auctoribus notatas legiſſe memini. Miror *VVilliſium* u) affirmare potuiſſe a narcoticis crebro licet adhibitis nulla Stigmata aut exanthemata quae ſanguini quocunque modo venenato ſupervenire ſolent in cute apparere, cum tamen fateatur particulas Opii heterogeneas per cutis poros eiectas ſudorem et non raro puritum quem in multis ſe obſervaſſe dicit valde moleſtum ciere. Multi alii magni Medici et hunc et illa referunt. In ſingulis qui Opio vſi fuerant cum Moſe *Charas* pruriginem toto corpore moleſtam animadvertit *Berger.* x) Homo ille a *Schelhammero* deſcriptus de quo toties dixi, cum ſibi poſt captam largiorem doſin redderetur, ſenſusque reciperet, ſenſit pruritum in toto corpore. Ab humoribus virtute Opii in extrema protrurſis effloreſcere cutim et nonnunquam prurire dicit *Freind.* y) Cutis et rubedinem et pruritum memorat *Geoffroy* z) In cutis ſuperficie ardorem, pruritum elevationem cuticulae et puſtulas apud eos obſervari qui Opio ſaepius vtuntur pronunciat *Hecquetus.* a) Atque pruritum hunc inter Antiquos iam notarunt *Dioſcorides* b) et *Aetius.* c) Addo Lectorum pace ex hiſtoriis morborum quas collegi aliquam huc facientem. Virgini nobili delicatulae et ſenſibili, menſium anomaliis et ſpaſmis hyſtericis obnoxiae, Medicinam faciebat egregius inter noſtros Medicus. Illa poſtquam hunc quotidianis querelis diu fatigaſſet, a nullo remedio promptam opem experta effecit, vt in Opiatis porrigendis paulo liberalior evaderet. Aegra autem ipſa copia talium pulvillorum nuuquam carere volens, eo inconſulto ſubinde vnum de glutiebat, acceſſum ſpaſmorum quos in lectulo ſuo tanquam ex ſpecula e longinquo quaſi adventantes obſervabat, ocyus praepeditura. Vocatus in conſilium ego, et quotidie accedens, vidi ipſam ſudoribus pene diffluere, eos vero ſtra-

u) *Pharm. Rat. Part. I. p. 180.*

x) *diſſ.* §. 3.

y) *Emmenol. c. XIV. pag. mihi* 139.

z) *Mat. Med. lib. II p.* 695.

a) *p.* 123.

b) *de Venen. lib. II.* §. 23.

c) *Tetrab. IV. Sermon. I c.* 69

gulorum tegmine ſollicite promovebat et ſuſtentabat, maxime cum fluidorum largiori appulſu ad cutem errore loci purpuracea exanthemata nata eſſent. Centena ſcilicet mala metuebat anxia, ni non obſtante pruritu quem inducebant, in cute ſtabilia illa ſervarentur. Eo maiori itaque ſtudio macerabat natans quaſi in ſeroſo latice corpus, atque ſic nova ſemper exanthemata ſibi creabat, regemine debito iterum vt opinabatur, ſollicite cuſtodienda. Viribus interim ob profuſos vltra modum humores indies magis collabeſcentibus illam ab omnibus Opiatis abſtinere iuſſi. Deinde quo eo melius largiſſimum ſeri profluvium inhiberem, parum curanda eſſe haec ſine febre exanthemata artificialia edixi, atque iis non obſtantibus corpus leviter ſaltem tegendum eſſe monui. Obfirmato igitur alloquiis animo vacuis vaſis iuſculis blandis iterum repletis, flaccidisque totius corporis villis corroboratis per vſum martialium, ſudores habituales repreſſi ſunt, exanthemata diſparuerunt, plenaque ſanitas iterum reſtituta eſt.

Dum autem ita Opium ſecretionem et excretionem ſeri cutanei largiſſime promovet et adauget mirum dictu eſt, quod ſimul eadem vi alias excretiones, easdemque ſeroſas potiſſimum, evidenter cohibeat. Atque id ipſum ita ſe habere et experientia loquitur, et veteres Medici vnanimi conſenſu teſtantur, qui ad coercendas omnis generis fluctiones, opiatis remediis omni tempore liberaliter cum fructu vſi ſunt. Neque abhorret ab eorum obſervatis praxis moderna. Lubenter ipſis ſubſcribit *VVedelius* d) vſui Opii in ſiſtendis fluxionibus peculiare caput deſtinans. Deinde qui vim Opii diaphoreticam adeo bene novit *Ettmullerus* e) eius virtutem quasvis reliquas excretiones ſiſtendi integro capite exponit, antequam potentiam movendi ſudores explicare aggrediatur. Porro quoque *Pitcarnius* f) in omnia vaſa ſecernentia, fellea, pancreatica, renalia agere Opium eorumque functiones cohibere teſtatur. Neque minus *Thomſon* g) ab Opio

d) *Opiol. p.* 88.

e) *diſſ. de virtute Opii diaph.*

f) *diſſ cit.* §. 13.

g) *diſſertationum. p.* 125.

Opio devorato et alvum et pectus et quamlibet denique ſecretionem ſeroſam extra vaſa ſiſti, ſudore excepto, probat. Optime tandem etiam annotat *Hoffmann* h) ſecretiones et excretiones ab Opio refraenatas, dolendum ſaltem quod vbique fere a tarditate pulſus illas deducat, quem tamen Opium dum diaphoreſin movet, accelerat. Addo adhuc ſuffragium *Geoffroy* i) qui evacuationes omnes ſaltem ad tempus Opio cohiberi ſcribit exceptis ſudoribus, et inſenſibili tranſpiratione. Tandem et teſtatur *Young* Opium omnes ſeroſas ſecretiones minuere, tranſpiratione excepta, atque proinde mucum oris, narium et trachaeae inſpiſſare. *) Credo hiſce experientiis non facile vllum medentium refragari, licet dum multis eapropter charum eſt Opium, quod eodem inhibere profluvia varia humorum valeant, alii id ex hypotheſi odia habeant, quod excretiones naturae ſalutari conſilio inſtitutas perturbet et retineat. Saltem et hi et illi rem ipſam haud negant. Miror autem quosdam de vrinae excretione non convenire an vere cohibeatur. Illam non excipi memini ab Autoribus qui de omnibus excretionibus ſeroſis excepta cutanea ab Opio ſuſpenſis loquuntur. Manifeſte potius *Ettmullerus* k) veſica contentorum fluxum Opio inhiberi ſcribit atque adeo diabeticum vrinae nimbum eo coercibilem habet. Actionem in renalium tubulorum functione cohibenda quoque diſerte memorat *Pitcarnius*. l) Sed expreſſe experientia communi conſtare quod Opium vrinam moveat dicit *Williſius*, m) et de virtute ciendi vrinam diſertis verbis loquitur *Berger*. n) Verum enim vero quod Opio magna vis ſit in vrina retinenda docent pulcherrima Experimenta quae in animalibus inſtituit Cl. *Sproegel*. o) Canis moloſſus a ſcrupulis duobus Opii crudi per duos dies lotium non depoſuit. In eodem cane ſanato iterum, a drachmis duabus Opii poſtea exhibitis ad tertiam vsque diem nulla adfuit vrinae excretio, et in inciſo veſica vrinaria valde erat diſtenta. In alio cane poſt drachmam vnam Opii intruſam cultro ſubiecto, veſica

h) *Med. Syſt. Tom. II. p.* 270.

i) *Mat. Med. lib. II. p.* 695.

*) *Sect. III.*

k) *diſſ. de vi Opii diaph. Cap. I.* §. 3. 4.

l) *diſſ. cit.* §. 13

m) *Pharm. Rat. Sect. VII. c. I. p.* 186.

n) *diſſ.* §. 2.

o) *vid. diſſ. experimenta circa varia venena habent Exper. XXII. XXIII. et XV*

lotio erat pleniſſima, et ſpiritu nitri tacta paululum contrahebatur. Merito itaque expertus affirmavit Illuſtr. de *Haller* p) vim periſtalticam veſicae Opio debilitari. Nullus ergo dubitationi locus videtur Opium ſupprimere excretionem vrinae. Quod et teſtatur Ill. Roſen (Kinderkrankh. p. 75.) Triduo ab Opii vſu nullam vrinam redditam obſervavit Baron ad Lemery Chym. p. 759. atque Inſignis Boerhaavius de morbis Nervorum p. 449. Illi, inquit, qui Opio vtuntur, intra ſex vel octo horas non meiunt, imo quando eius vis iam evanuit, conqueruntur tamen quod non evacuent veſicam. Mirum eſt quod Cl. *Geoffroy* q) contendat Opium aliquando vrinae profluvium, nonnunquam eius ſuppreſſionem inducere. Idque etiam ſub certis conditionibus verum eſt, vt in ſequentibus luculenter monſtrabo quando aetiologiam effectuum Opii ſum expoſiturus. Sect. IV. cap. de hydrope.

p) *de partibus corporis ſenſibilibus et irritabilibus Sect. II.*

q) *Mat. Med. Tom. II. p.* 696

§. XXIII.

E X P E R I E N T I A XIIII.

Opium functioni Ventriculi inimicum eſt.

Non videntur ad hanc experientiam ſatis attenti quidam Medicinam facientes, amatique a ſe Opii hoc vitium fere praetervidere ſolent; ſed non negabunt eius veritatem facile, in obſervando vt decet ſeduli. Iam inter Veteres *Celſus* r) anodynis non vtendum vult, niſi neceſſitas vrgeat, ſunt enim inquit ex vehementibus medicamentis, et ſtomacho alienis. Inter recentiores *VVillis* s) Narcotica crebro aſſumta appetitui alimentorum a quo nutritio omnis et vitae radix dependet, nonnunquam valde iniuria eſſe notat, vtpote quae hunc vtplurimum obtundat, et non raro prorſus deſtituant, communique obſervatione conſtare dicit *βραδυπεψίαν* familiarem Opii effectum eſſe, et poſt maiorem eius doſin appetitum ſtatim obtundi. Eandem ſententiam tuetur *Ettmullerus*, t) non leviter hoſtile videtur ventriculo Opium inquiens, cuius digeſtionem ordinario turbare obſervatur, gravaminis ac compreſſionis ſenſum, et vix explica-

r) *lib. III. c.* 18. *V.* 25.

s) *Pharmac. Rat. Sect. VII. c. II. p.* 191. *et cap. I. p.* 180.

t) *diſſ. cit.* §. 2. *et* 3.

plicabilem moleſtiam circa praecordia parit, praeſertim ſicca forma, maxime pilulari, adeo quidem vt conſentiente *Helmontio*, *Rolfinckio* et *Wedelio* ob ſpecificam ſuam linguaeque et ventriculo ingratam amaritiem, ſi huius tunicae nervoſae diutius adhaereſcat et non mature diſſolvatur, etiam vomitum cauſetur. Eam ob cauſam quoque *VVedelius* [u]) cavendum iis eſſe ab Opii vſu monet, quibus debilis eſt appetitus, et infirmus ventriculus, quin in morboſo appetitu curando ſi malum ſit contumax ad Opiata confugiendum eſſe conſulit. Simili ratione *VValdſchmied* [x]) ventriculo infeſtum Opium eſſe monet, ſaepe eius vſum nauſeam et vomitum inſequi ſimul memorans, oppreſſionemque eius et aggravationem inde ſequi *Bohnius* [y]) affirmat. Veriſſime etiam Opiata ſtomachi aciem retundere aſſerit *Freind*, [z]) maiorique copia et continuato vſu ventriculi robur deſtruere pronunciat *Haller.* [a]). Non ergo nimius fuit huius vitii intuitu in Opio culpando *Hoffmannus* [b]) quando nullum remedii genus magis inimicum tono naturali et motui ventriculi ac inteſtinorum habuit, quam ea quae ſtuporem inferunt, indeque derivavit, quod digeſtionem elangueſcere faciant anodyna, ac robori inteſtinorum vim inferant, illudque labefactent prorſus. Neque mitiorem ſententiam pronunciavit *Geoffroy* [c]) dum Opium tardiorem in ventriculo efficere ciborum concoctionem ciborumque appetentiam minuere affirmat. Non omittere debeo *Alpinum* qui Opium delere appetitum teſtatus eſt Hiſt. nat. Aegypti I. p. 133. id quod infirmis praecipue, accidere ſolere notat *Cheyne* ſanit. infirm. p. 238. 239. Eadem autem phoenomena etiam nata ſunt in animalibus brutis Opio paſtis. Canis cui ingeſta erat drachma vna Opii crudi, licet per 24. horas famem et ſitim iam ſuſtuliſſet, omnem tamen cibum et potum conſtanter recuſavit. [d]) Alius a drachmis duabus ad diem vſque tertium, absque vllo cibo vel potu permanſit. Eadem ratione canis apud *Alſtonum* [e]) a drachmis duabus Opii vltra quatuor dies nec edere voluit nec bibere. Quin iniectum in venam iugularem ſolutum Opium adeo ſine immediato contactu ventri-

u) *Opiol. lib. II. Sect. III. c. 3. p. 147. et. Sect. II. c. 4. p. 116.*

x) *Vid. eius Monita circa Opium p. 15.*

y) *de Officio Medici p. 362.*

z) *Emmenol. c. VIII. pag. mihi 88.*

a) *Praelect. Boerh. Vol. IV. p. 519.*

b) *Med. Syſt. Tom. II p. 270 275. 277.*

c) *Mat. Med. lib. II. p. 696*

d) *Sproegel. Experimenta circa varia venena Experim. XXI. XXIII.*

e) *Acta Edinb. Tom. V. Part. I. Art XII. Sect. III. §. 7.*

culi effecit tamen, vt canis per tres dies cibum et potum recuſaret.[f]) Eandem prorſus abſtinentiam in cane per tres dies notant *Transactiones philoſophicae anglicanae*.[g]) Dum autem viva adhuc ſecabantur talia animalia vt ventriculi conditiones oculis vſurpari poſſent, hic cum annexo omni canali alimentorum carere deprehenſus eſt illo naturali motu, a quo tota functio in ſanis pendet. Motum periſtalticum ventriculi et inteſtinorum prorſus abolitum in animalibus viderunt Abrahamus *Kau Boerhaave*[h]) et Albertus ab *Haller*[i]) neque minus *Sproegelius*,[k]) qui adeo ad irritationem ſcalpelli et attactum ſpiritus nitri fumantis ventriculo canis nullum motum ineſſe obſervavit. Inſuper vt *Sproegelius* ſimul hunc immobilem ventriculum valde expanſum conſpexit, ita et *Mead*[m]) canis ſui ab Opio enecti ventriculum, mirum in modum diſtentum reperit. Prorſus ſimili ratione in diſſectis canibus Opio paſtis, vltra ordinariam menſuram diſtentum ventriculum et inteſtina, atque vtraque aere plena, invenit Cl. *Lorry*.[n]) Cum igitur tot Celebrium Virorum Experientiae et Experimenta adeo manifeſte monſtrent, Opium ventriculo infeſtum eſſe, mirum eſt *Hecquetum*[o]) omne vitium ab illo abeſſe reputantem, communi conſenſui repugnare videri. Recenſet quippe Populos Orientales id experiri potentiſſimum remedium digeſtivum, atque verba quaedam *Alpini* allegat huius tenoris; *Opium calorem ventriculi valde fovet, auget, ac roborat, et ad iuvandam coctionem coeteris omnibus ſine dubio praeſtat*. Doleo me loco ab eo citato eadem haud invenire, ſed eo minus iisdem moveor, quando ipſum *Hecquetum*[p]) alia occaſione libere confiteri video, dari ventriculos Opii contactum tolerare neſcios, et ad vomitiones vsque id horrentes, ſanguinemque eiecturos, ſi Medicus praefracte eius vſui inſiſtere vellet. Ego quidem raro vidi perſtitiſſe appetitum illibatum, quando opiata vel praeter rem, vel vrgente aliquo malo aliter haud ſuperando, ex neceſſitate diu vſurpata ſunt. Memini foemellarum quarundam ſpasmodicis affectubus mulctatarum, eaque propter hoc pharmaco vtentium, quae ad nauſeam vsque omnia

f) *Sproegel Experim.* XLIII.

g) *Vol. XXVII no. 335. p. 493. 494.*

h) *in impetum faciente Hipp. p. 401.*

i) *de partibus corporis humani ſenſibilibus et irritabilibus.*

k) *diſſ. cit. Experim. XV. XVII. XXI. XXIII. XXIV.*

l) *Experim. XXI.*

m) *de Venenis p. 133.*

n) *Iournal Encyclopedique Part II. p. 73. 74. 76.*

o) *p. 77.*

p) *p. 314.*

alimentorum genera dein averſabantur, per longum tempus. Novi functionem ventriculi adeo illorum vſu laeſam fuiſſe, vt circa cordis vt vocant ſcrobiculum perpetua inflatio moleſtias faceſſeret, turgorque abdominis et flatuum perennis proventus, malaque cum iis complicata diu aegris et Medicis taedia parerent, ac optimis remediis tolli in totum negarent, notabileque huius rei exemplum inter alia multa in foemina nobili mala conſuetudine opiatos pulvillos in deliciis habente, obſervavi. Non ergo niſi ad idioſyncraſiam, aut caſum neſcio qualem referendum eſt, quod de ſeipſo refert Cl. *Manchard* q) ſe poſt aſſumtum granum dimidium Opii crudi ob doloroſum clavum, hoc ſopito paulo poſt ſenſiſſe appetitum ciborum adeo ad voracitatem evectum, vt quod tribus prandiis alias ſuffeciſſet, vna vice abliguriverit, ſine vlla noxa; excepta tenſione et gravitate ventriculi qualis eſt ab ingluvie. In eundem cenſum venit *Kaempferi* appetitus lupinus poſt captam doſin electuarii opiati inebriantis. Vtrique ſine dubio monſtraſſet repetitio Opii, id ad ſtomachicorum catalogum minime referendum eſſe.

q) *Ephem. N. C. Cent. I. obſ.* 15.

§. XXIIII.

EXPERIENTIA XV.

Opium alvi libertatem inhibet.

Hic Opii effectus ſemper certus eſt, et certiſſimus, quotiescunque datur hoc remedium, pauciſſimorum forte hominum peculiari idioſyncraſia, quae omnium tandem pharmacorum operationes quandoque a conſuetis deflectere facit, tantum excepta. Spectat is quidem ad generalem excretionum Opio cohiberi ſolitarum indicem, eaque propter haud opus videbatur, vt ſpecialis eius mentio iniiceretur, gravibus autem rationibus motus peculiari tractatione veritatem eius ſiſtere aggredior. Omnes fluxus alvini, quos praemiſſis praemittendis, ſi aliter ſiſti renuant, tandem remediis Opio praegnantibus coercere aut moderari iubet Praxis omnis aevi, hanc vim de qua loquor extra omne dubium locant, toties illis perſanandis

dis parem. Sive autem alvi ſeceſſum cohibitum retardatumve voluerit Medicus, ſive noluerit perinde eſt, nam quacunque demum alia intentione porrigatur Opium, tarditatem eius et conſtipationem ſemper inducit. Ea de cauſa *Williſius* [r]) familiarem Medicinae opiaticae effectum motus inteſtinorum pigritiem et alvi ſegnitiem dicit. *VVedelius* [s]) quoque debilibus facile alvum ſupprimi Opio aſſerit, et alibi id vitii genus Opii actioni annexum eſſe ait, hincque ſuadet interpoſitionem pilularum ſuarum aloeticarum eodem cum Opio menſtruo paratarum. Illos quibus alvus contigit ſegnior cane peius et angue fugere Opium iubet *VValdſchmidius*, [t]) refertque ſimul Chirurgum imprudentem clyſmate opiato quod Viro conſiſtentis aetatis iniecerat id effeciſſe, vt alvus penitus officii ſui obliviſceretur, lenioribusque et fortioribus purgantibus deinceps aegre auſcultaret. Porro ab Opio devorato alvum ſiſti affirmat *Thomſon*, [u]) continuato vſu alvi facilitatem deſtrui animadvertit *Haller*. [x]) Opiata hoc incommodi habere ſemper, quod alvum adſtringant, quotidianisque obſervatis conſtare, ea ſaepe admodum pertinaciter hoc praeſtare, teſtatur van *Swieten*. [y]) Monuerat etiam *Ettmüllerus* [z]) Alvo contentorum fluxum Opium cohibere. Non poſſum ſilentio praeterire Celeb. *Hoffmannum*, [a]) quem peculiari cura ad hunc Opii effectum attentum fuiſſe video. *Nihil tam repente* inquit *inteſtinorum periſtalticum motum minuit, et inteſtinalem excretionem ſupprimit, quam ſedativum et anodynum ipſa teſtante Experientia*, et in capite ſingulari, quo perniciałem earum rerum indolem exponit, quae excretiones cohibent, catalogo remediorum alvum ſupprimentium, enarratisque omnibus adſtringentibus vltimo loco Opium addere non obliviſcitur. De opiatis pilulis de cynogl. quas Cardinali de Sintzendorff in doloribus podagricis ſaepius offerebat Cl. de *Hahn* [b]) ſpeciatim notat, inter ſolennes earum effectus conſtanter aliquam alvi ſegnitiem obſervatam fuiſſe; verum et de laudano liquido, et de Opio in genere idem valere

r) *Pharmac. Ration. Sect. VII. c. II. p.* 191.

s) *Opiol. p.* 147 *et p.* 52. 53.

t) *Monit. Med. p.* 17.

u) *diſſertationum p.* 125.

x) *Praelect. Vol. IV. p.* 519.

y) *Comment. Tom. I p.* 325 *et Tom. II. p.* 393.

z) *diſſ. de vi Opii diaph. c. I.* §. 3.

a) *Med. Syſt. Tom II. Part. II.* §. 10. *ſchol. et Part. III. c.* 6. §. 4.

b) *in Hiſtoria Podagras, Eminentiſſimi Cardinalis de Sintzendorff. p.* 26.

lere inter recentiſſimos affirmat *Young* et *Roſen* Kinderkrankh. p. 75. Conſpirant cum his experientiis omnibus, experimenta inſtituta in canibus cum Opio, in quibus praeter alia phoenomena alvus diu et ad tertiam vsque diem cohibita fuit referente Cl. *Sproegel.* c) Tranſeo ſilentio notatam a Celeberrimis Viris plenariam motus periſtaltici in inteſtinis ceſſationem, cuius ſolius miniſterio ſecundum naturam iis contenta ad portam per quam excludenda ſunt, pedetentim provolvuntur, omniaque illa hic velim repeti, quae de hac materia antecedente §ho iam pertractavi. Sane tot obſervata et tot experimenta facile praepollent adſertioni Cl. *Ludovici* d) qui ob nimium amorem quo in Opium ferebatur, a continuatione etiam opiatorum alvum non continuo vel indifferenter excidere officio ait, rariſſime enim illam ea non cohibent. Nemo etiam Veritati Experientiae huius quam expono, contrariam exiſtimet vim Opii *καθαρτικὴν* a *Wedelio* e) peculiari capite deſcriptam. Recenſet quoque in Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Anno 8. de ſua Vxore Bautzmannus quod quoties laudanum opiatum ob odontalgiam ſumſerit, loco ordinariae conſtipationis alvi vſum ſubſequi ſolitae, experta fuerit numeroſam evacuationem materiae aquoſae per alvum. Excretionem per alvum auctam ab Opio etiam habet Bauer in Act. Nat. Cur. Vol. II. obſ. 94. Hanc vero Virtutem catharticam cum ea qua Vomitum interdum movet, aliter huius ſummum antidotum Opium, per accidens interdum, ſed rarius ſeſe manifeſtare, alio loco oſtendam. Ego certe in artis exercitiis ſaepe ſaepius, non ſine taedio nimis veram eſſe vim Opii occludendi alvum expertus ſum, tumque quando meis aegrorumque votis pulchre id reſpondebat, ex hoc capite turbas varias natas memini, atque incommoda relicta vidi, non facili adeo negotio iterum amovenda. Neque enim omnibus hominibus naturale eſt alvum per hebdomadem vnica vice deponere, quale quid proſpera nihilominus valetudine vtenti Illuſtri *Ruyſchio* f) ſolemne fuiſſe legimus. Plurimi potius alvina libertate per vnam vel duas dies impedita ſtatim male habent, neque antea levantur,

c) *Experim.* XXII. XXIII

d) *M. N. C. Dec I. Ao. IV. et V. obſ.* 207.

e) *Opiol. lib. II. ſect. I. c.* 5.

f) *Schreiber in Vita.*

levantur, quam excluſis ſordibus in inteſtinorum volumine ſtabulantibus. In Virgine Illuſtriſſimo ſtemmate oriunda, cui Opium per aliquot hebdomades multorum malorum vnicum erat antidotum, ſine quo vanum erat, nilque poterat integrum pharmacopolium, poſtquam cum ſanitate rediiſſet in gratiam, ſepoſito prorſus hoc remedio, per menſes reſiduam vidi ſtipticitatem alvi, de qua nunquam antea conqueſta fuerat clyſteribus, rheo, ſalibus perpetuo oppugnandam vt inde pendentia incommoda praeſcinderentur. Optime dein recordor Foemellae, animo et corpore tenellulae neonuptae, quae abdominis doloribus et vomitionibus miſere torquebatur; tanto magis ipſi moleſtis, quod pectoris conformatio vitio laboraret. Abfuerant vltima periodo menſes, atque eapropter naſcebatur graviditatis ſuſpicio, illique tribuebantur vomendi conatus, ſed exceſſus eorundem metusque ne ob comites eorum infimi Ventris ſpasmos abortiret, lenimen aliquod depoſcebat. Acta omnia quae prodeſſe poſſe videbantur, nulli vero remedio auſcultabant tanta mala, quam Opio minutulis doſibus repetitis vicibus porrecto. Licet etiam deinde menſes redirent, nullamque impraegnationem factam docerent, perdurabat nihilominus pertinax colica hyſterica, nullamque quietem, nullum ſomnum indulgebat, niſi anodynum veſpertinum aſſumeretur. Semper interim poſt tres vel quatuor dies elapſos alvi obſtructae ſolutione opus erat, quae aegerrime *clyſmatibus* et mannatis movenda, duriſſima tum ſcybala egerebat. Perdurante interim exquiſitiſſimo dolore abdominali vomitibus et ſumma inquietudine ſine febre, iterum recurrendum erat ad anodyna, quibus per aliquot dies datis alvus obſtructa tandem aliquando iterum aperiri flagitabat. Eadem ſcena huc ludebatur multoties, mihi certe et amiciſſimo cuidam Collegae valde taedioſa, donec reliquis pertinaciore alvi obſtructione emulſionis oleoſae et clyſmatum beneficio devicta, ingentem molem induratorum excrementorum aegra ederet, inter ineffabiles dolores ſpasmis parturientium ſimillimis. Neque dubitandum erat, alvi libertate ſemper inhibita ab Opio, illa

illa ſenſim in inteſtinis collecta fuiſſe. Vt ergo alvus Opio, quo carere haud poteramus, denuo obſtruenda novae collectioni non anſam daret, alternis diebus eo ſepoſito rheum exhibebamus, donec mori nondum iuſſa a vitae humanae arbitro, ad valetudinem ſuam cauſariam iterum rediret. Apprime notabilis caſus mihi adhuc ſuppetit; ſi quis alius Opii vim ſummam in cohibenda alvo commonſtrare aptus. Phthiſi conſummata laborabat Nobilis Foemina ex reiectione ſputi purulenti, tuſſi perpetua, reſpiratione difficili, febre, tabe, ſudoribus, pedum oedemate, facile cognoſcenda. Ad haec mala donec vitae qui inſtabat terminum attigiſſet tolerabilia vtcunque reddenda, iuſſa erat a Medico ordinario lactea diaeta vti, ſingulisque ſex, octo duodecim horis praebium Opii ſolida vel fluida forma capere, quod et ſatis bene ferebat, vnicum aerumnarum ſolatium in eo collocans. Calore hectico magis magisque ingraveſcente vocabar ego in conſilium, laterem cum honoratiſſimo Collega lavaturus. Poſt varia variationis cauſa praeſcripta, mentio a non nemine iniiciebatur lactis ebutyrati. Reminiſcebar id laudari *in Miſcellaneis Nat. Curioſorum*, g) atque poſtea maxime ſpecificum declarari a Cl. *Pringlio* h) animadverti, vſumque eius in Viro nobili tuſſi diuturna, cum corporis extenuatione excruciato, per menſes, adhibitum ſumme proficuum ipſe expertus ſum. Concedebatur aegrae a nobis et probabatur, mire placebat huius lactis blandum et oleo involutum acidum eius palato, magnamque vterque noſtrum gratiam apud eandem inibamus. Potabat id per aliquot hebdomades, quotidie menſuras tres quatuorque abſumens. Minus nobis diſplicebat haec quantitas, ſaltem ne inde alvus nimis lubrica redderetur, et diarrhoeae quae aliquando iam ſuboriri viſa fuerat, via ſterneretur, ſolliciti eramus. Sed metum omnem abigebat ſimul mane et veſperi pro tuſſis ferocia placanda aſſumendum Opium, etenim aegra non ſaltem lacte hoc, leni licet eccoprotico, non movebatur, verum alternis ſaltem diebus magno conatu reddebat ſcybala ita indurata, vt in eo morbi ſtadio quo colli-

g) *Dec. II. Ao. VIII. obſ.* 142.

h) *de morbis caſtrenſibus Part. III. c.* 5.

colliquativus alvi fluxus alias et aegros et Medicos vexat, ad mannata et emollientiſſima clyſmata aliquoties confugiendum nobis eſſet. Bona Lecturorum pace in medium adhuc produco Honeſtam Foeminam ſexagenario maiorem, quae perpetuo fere cardialgicis doloribus torquebatur. Cum omnia phoenomena in ſolidis cauſam latitare monſtrarent, atque ex ſuaſu meo adhibitum ſerum lactis, ſucci herbarum recentes, et aquae medicatae non omnino vota explerent, interdum vbi ſpaſmi vrgebant anodynum porrexeram. Dum a nullo remedii genere adeo promptam opem obtinuerat, eoque aſſumto noctes alioquin ſaepe inſomnes dormiendo abſumſerat, paulo frequentius praeſcriptos pulvillos capiebat. Saepius ipſi conſilium dabam, caveret ſedulo, ne nimiam familiaritatem cum illis contraheret, atque conſuetudine neceſſitatis iugum in ſe devolveret eos iugiter degluttiendi. Sed vnicum in iis ſolamen inveniens, fere ſine illis eſſe nolebat, meque inſcio ſaepe et invito cubitum itura amato ſuo hypnotico munita lectulum ingrediebatur. Inde autem eo tandem deveniebat, vt ſponte per multos menſes alvus fere non reſponderet, clyſmisque et blandis catharticis perpetuo moveri deberet. Accedebat huic incommodo flatuum perpetua progenies, anxietates, multaque alia mala ſecum ferens, cum quibus ad vitae finem conflictabatur miſera, ipſam moriendi neceſſitatem quam chronica aegritudo ſenſim acceſſebat, ea propter graviorem multo, et magis aerumnoſam et amarulentam ſentiens.

* * *

Atque his Experientiis quindecim, niſi quidem aliae quae ſupereſſent, me diligentius licet obſervantem et experientem effugerint, fere comprehenduntur omnia phoenomena, poſt ingreſſum Opii in Corpus humanum obſervabilia. Poterant forte alia adhuc adduci, ſed notent velim Lectores mei, neutiquam me referre voluiſſe effectus Opii caſu aut per aliquam idioſyncraſiam eius vſum interdum ſubſequentes, ſed eos ſaltem, qui conſtanter eveniunt, aut qui dum alii quidam abſunt,

ſunt, tanto luculentius ſeſe manifeſtant. Ad caſuales effectus ſine dubio etiam ſpectat anthelminticus, quem *Dolaeus* i) habet, qui Ruſtico 40. annorum de doloribus cholicis conquerenti Opii correcti grana tria exhibuit, atque poſtea per vomitum et alvi ſeceſſum viginti lumbricos mortuos cum dolorum remiſſione reiectus vidit. Necaverat eos Opium extra controverſiam, ob principium quo pollet amaricans, atque alia amara anthelmintica ſi *Dolaeus* vermes adeſſe conieciſſet, maiori quantitate data eos etiam necaſſent. Nemo interim Opium ob hunc effectum commode annumeraverit anthelminticorum catalogo. Idem ergo Iudicium eſto de aliis viribus eius, caſu evenientibus.

i) *M. N. C. Dec. III. Ao. V Obſ.* 63.

CAPVT III.

Analyſis Opii phyſico-chemica.

§. I.

Quae falſa ſit, quae genuina.

Fideliter hactenus recenſui omnes effectus, quos exhibitum Opium in corpore humano ſive ſanum ſit, ſive aegrotet, ſive hac vel illa aegritudine afficiatur, ſive hoc ſive alio ſine porrectum fuerit a Medico, certiſſime producit. Abſonum fuerit vel vnum phoenomenon ex recenſitis negare, cum ea omnia conſtanti experientia ita deprehendi monſtraverim, Medicorumque teſtimonia adiunxerim, qui nullo hypotheſium favore illa vrgent, ſed parum ſolliciti de Opinionibus circa vſum Opii in Praxi, eadem ſaltem tanquam obſervata et veritati conſentanea recenſet. Neque Medicus ſit oportet, qui ad obſervanda illa tantum ſit habilis, verum Vulgus adeo modo ſciverit Opium ab hoc vel illo homine fuiſſe deglutitum aeque ſenſuum ſuorum miniſterio valet aſſequi, omnia re ipſa ita ſeſe habere. Ego ſaltem haec phoenomena ſeu effectus Opii ſparſim et vndecunque obvenirent collectos, digeſſi dein in certum ordinem

 cumque

cumque ſcala quaedam et ſeries in phyſicis cauſarum et effectuum detur, effectusque aliquis a ſua cauſa excluſus poſſit iterum reddi cauſa alius effectus, cavendum mihi eſſe duxi, ne praecedens conſequenti poſtponeretur. Minus e. g. opportunum fuiſſet, primo enarrare, quod Opium ſanguinem rarefaciat, et deinde quod calorem maiorem excitet. Turpe fuiſſet ὕςερον πρώτερον, primo dicere, quod ſanguinem fortius et copioſus pellat ad caput, et deinde referre quod circuitum ſanguinis acceleret. Iam autem his omnibus viſis filum pertractandorum iubet, vt inquiram ex qua agendi potentia quaque ratione, Opium omnes illos effectus exerat, qui tamen nihilominus veriſſimi permanent, ſive aetiologia eorum explicatu fuerit poſſibilis, ſive minus. Vt autem eo quo progredi licitum eſt Phyſico et Medico, felices perveniamus, ante omnia intimius noſſe debemus naturam Opii, et vt haec talis, qualis ipſi eſt congenita, minus immutatam et prorſus nudam ſeſe nobis ſiſtat, cauto ſtudio ſuſcipienda eſt ipſius Analyſis. Non exiguus eſt Numerus Chymiatrorum, qui obſervatis effectubus Opii primariis, omnibus attendibus obviis, ſomnolentia, ſomno, ſtupore, indolentia animadverſaque ſimul eius inflammabilitate, perceptoque gravi odore, ſatis praeclare ſeſe geſſiſſe rati ſunt, ſi ſine multis ambagibus ſulphur quoddam narcoticum eidem inſitum ſtatuerent, atque ab hoc omne id deducerent, quod ab Opio evenire docemur. Atque talis ſulphuris allegatione plena ſunt numeroſa ſcripta, qui ſuperiore maxime ſeculo de Opio data opera fuere edita, vel mentionem eius quoad morborum curationes iniiciunt. Neque vero omnes auctores de ingenio huius ſulphuris vnam eandemque fovent ſententiam, ſed potius epithetis diverſis illud inſigniunt. Duo adeo in vno hoc ſubiecto ſulphura, cum aliis ſtatuit *Hartmannus* k) quorum alterum immaturum, alterum maturum vocat, illud ſtupefaciens et noxium, hoc leniter anodynum et vſu ſecurum venditans. Atque hi boni Viri, qui narco-

k) *Tr. de Opio.*

narcoſin Opii a ſulphure narcotico deducunt non perpendunt, ſe re ipſa explicare plane nihil, ſed idem per idem deſcribere, atque manifeſtam petitionem principii ſimul committere. Digni certe eapropter mihi videntur cenſura Celebris Comoedi *Molierii* in ludo ſcenico aegrum ex imaginatione ſiſtentis, ſpectatorumque plauſibus et cachinnis Examen rigoroſum Canditati Medicinae exhibentis, qui interrogatus cur Opium faciat dormire docte reſpondet, quia habet virtutem dormitivam, magno cum applauſu conſidentis totius Gratioſae Facultatis. Sulphur interim viſcoſum in Opio reſidens memorat *Sinapius* l) deque ſulphure foetido verba facit *Williſius*; m) mitto cum *Quercetano* et *Zwelfero* alios fautores huius ſulphuris narcotici. Non vero ſine affectu inter eos quoque video Cl. *Wedelium* n) qui pariter in Opio hoſpitari dicit copioſum ſulphur, et ſal volatile; ſulphurque quod integro capite pertractat, ex odore, ſapore et inflammabilitate probare nititur, ſal volatile autem in deſtallitione, non minus quam ſulphur apparere, et oculis ſeſe ſiſtere affirmat. At vero vim Opii non in ſale volatili latere, variis argumentis evincere laborat, ſed in ſulphure narcotico blando tamen, et facile in noſtris humoribus ſolubili, atque in ſpiritus vaporoſos et ſulphureos abeunte. Quam inepte vero eiusmodi ſulphur latitare in crudo Opio ſtatuatur, egregie et non ſine acri ſale vt fere ſolet, demonſtrat Cl. *Neumannus* o) ipſum Wedelium ſimul ſtrenue confutans. Quamvis enim omnino illorum corporum naturalium claſſi inferendum ſit Opium, quae ſulphureo principio impraegnata inveniuntur, quod et ſi acidum vitriolicum ipſi adderetur, naſci faceret verum ſulphur, tamen verum ſulphur ipſi inſitum haud eſſe, dilucide probat Vir in Chemia verſatiſſimus, confuſionem ſummam inde inſecuturam ſimul memorans, ſi nimis lato ſenſu omne id quod eſt inflammabile, et principio ſulphureo pollet, ſulphur vocandum eſſet. Eadem vero etiam iniuria verus ſal volatilis incola habetur Opii, eidem-

l) *de remediis doloris c. V.*

m) *Pharmac. Rat. Sect. VII. c. 1. p. 177.*

n) *in Opiol.*

o) *Lectione de Opio p. 109 ſeq.*

eidemque dotes illae adſcribuntur, quae Opio ſunt propriae, quamvis multi Clariſſimi Viri hanc opinionem veritatem habeant firmiſſimo talo nitentem, quae chemicis experimentis omni exceptione maioribus corroborari quaeat. Scilicet iam laudatus *VVedelius* p) ex Opio ſolo retortae indito, igne arenae obtinuit phlegma, ſpiritum volatilem, ſeu ſale volatili refertum vrinoſum, cum acidis effervefcentem, et oleum nigricans. Ineſſe igitur dicit Opio ſulphur copioſum ſeu ſubſtantiam oleoſam inflammabilem, mercurium ſeu ſal volatile vaporoſum vel halituoſum, et praeter aqueas partes reſiduas eſſe in capite mortuo, terreas et ſalinas fixas. Eadem ratione *Pitcarnius* q) multis de cauſis ſuſpicatus naturam Opii ſimilem eſſe ſalium ex Cornu Cervi prodeuntium ab Amico Chemico Alexandro *Monteitho* qui eadem methodo ac *VVedelius* vſus erat, obtinuit ex Opii libra vna ſpiritus volatilis exacte ſpiritui Cornu Cervi ſimilis vncias quinque cum drachmis quinque, olei foetidi vnciam vnam et drachmam cum dimidia, capitis mortui, ſpiritum CC. ſpirantis, vncias ſeptem et drachmas ſex. Non aliter *Thomſon* r) Opium ſine miſcela quavis extranea facile igne ex arena ſpiritum effundere oleoſum foetidiſſimumque, id eſt maxime volatilem affirmat. Multa quoque opera Opii Analyſin ex retorta inſtituit *Geoffroy* atque ex binis eius libris habuit liquoris tum acidi tum vrinoſi vncias duodecim et drachmas duas, olei craſſioris vncias duas cum drachmis tribus. Caput mortuum igne reverberii calcinatum ex cineribus et lixivio inde parato dedit vnciam dimidiam et grana quatuordecim ſalis mere alcalici. Concludit ex his *Geoffroy* s) non ſolum ſal volatile vrinoſum in Opio reperiri, vt *Pitcarnius* *exiſtimavit*, ſed etiam ſal acidum potens quod non ſolum per analyſin conſtare, ſed etiam ex eo probari dicit, quia ſolutio Opii heliotropii Tincturae affuſa colorem rubrum illi conciliat. Fere cum his laboribus chemicis convenit Proceſſus *Alſtoni*. t) Is nempe ex Opii vnciis ſedecim deſtillatis ex retorta

p) *Opiol. lib. I. Sect. I. c. 9.*

q) *diſ. cit.* §. 20.

r) *diſſertationum p.* 120.

s) *Mat. Med. Tom. II. p.* 692

t) *Act. Edinb. Tom. V. Part. I. Art. XII Sect. III.* §. 6.

torta vitrea obtinuit vnciam vnam et drachmas duas aquae foetidae, ſpiritus volatilis vrinoſi vncias quatuor et drachmas duas, olei vncias duas, ſalis volatilis in collo retortae haerentis grana quatuor, capitis mortui vncias ſex. Taceo modum inquiſitionis Cl. Viri quantum ſalis volatilis in ſpiritu latitaverit, neque enim mea intereſt diutius his omnibus immorari. Quid vero deſiderari ſinunt omnes hi Proceſſus chemici, adeo accurate ſecundum artis regulas inſtituti, verumque ſal volatile dubitantibus offerentes, natum de ſincero Opio? Ego quidem nil audeo rebus ita geſtis opponere, dico autem mihi nil negotii intercedere, cum ſale volatili ex Opio vi ignis parato, quod ex multis aliis vegetabilibus acrem vaporem exhalantibus eius miniſterio parari novi, quorum longum catalogum Papaver ſimul exhibentem habet *Boerhaavius*. u) Ad me tantum ſpectat Opium ipſum, cuius nativam indolem et inde fluentem operationem indagandam ſumſi. Id enim ſaltem vel ſolida vel fluida forma exhiberi ſolet a Medicis, non ſal eius volatilis igne eductus, qui minus obvius eſt in Pharmacopoeorum officinis, et in medentum formulis haud praeſcribitur. Neque vero naturales Opii dotes a Vulcano volo addiſcere, probe memor eorum quae de igne infido corporum naturalium Analyſta Cl. *Boyleus*, *Bohnius*, *Hoffmannus*, et de probe notanda eductorum et productorum chymicorum differentia, *Stahlius* toties monuit. Nullum ex Opio exſurgit ſal volatile, nullum oleum, a quo *Borrichius* omnem eius energiam deducit, niſi illud erpertum fuerit validiſſimam torturam ignis, eumque illius gradum, qui calorem corporis humani viventis ſive ſani, ſive aegri, longiſſime excedit, quare liquido perſpicitur, Opium non poſſe agere in corpus vivum, vt verum ſal volatile, quod inde in corpore elici et produci nequit. Gaudeo in his prorſus mecum facere Cl. *Neumannum*, x) qui multis libris Opii ne granum ſalis volatilis ineſſe contendit, quod vero vehementi deſtillatione et aperto igne ex eo

u) *Chem. Tom. II. p. 122. edit. Lipſ.*

x) *Lect. de Opio p. 108. 109.*

obtinetur volatilis et vrinoſi, non ab eo ſeparari et educi, ſed componi, et tanquam novum mixtum quod in Opio mixtione naturali non praeexiſtebat, produci affirmat, vt adeo haec pro ſale volatili Opii aſſerendo argumenta a proceſſubus chemicis petita, nullius valoris deprehendantur. Satis igitur opinor, clarum eſt, aliam viam ineundam eſſe illi, qui cavere ſibi vult ſollicite, ne fallatur in exploratione Opii, atque tuto et recte procedet mea ſententia, qui ſedulam adhibuerit operam, vt ſegregans Opium in ſuas partes conſtitutivas, ex quibus id natura fecit coaleſcere, easdem vt ipſi inſunt et prorſus immutatas ſenſibus exhibere laboraverit. Atque in hoc vnicus vertitur rerum cardo, in hoc vnico momento conſiſtit omne officium, quod indagaturo Opium Cl. *Buchnerus* y) iniungit. Hic quidem vt aliquis Opii miſtionem diſcere avens, id reſolvat in ſua miſcibilia requirit, adeoque partes Opii conſtitutivas et proximas eruat. Reiicit ea propter omnes deſtillationes ſiccas et recte, quia hae proximiores vegetabilium partes reſinoſas, gummoſas, ſalinas, in ſuas partes diſſolvunt. Dein diſſuadet menſtrua ſalina, quia poſſunt efficere mixtum, ex partibus vegetabilis ſolvendi, et menſtrui ipſius compoſitum. Locum vero dat deſtillationibus humidis, cum hae tantum quod in vegetabilibus natura eſt volatile, ſecum evehant. Ex menſtruis tantum concedit aquam et ſpiritum vini, quia haec nil ſolutum alterant, ſed dotes ipſi proprias relinquunt. Horum omnium etiam bene gnarus Elegans Scriptor Cl. *Nicolai* z) ſupra recenſitum Examen Opii Chemicum Celeb. *Geoffroy* eapropter minus aptum habet, quod non partes Opii conſtitutivas proximas, ſed remotas exhibeat, has ergo explodendas rectiſſime monet, illas breviter indigitat. Atque ea in re conſpirantes ſecum *Neumannum* et *Buchnerum* habet. Mihi cum diu eadem ſteterit ſententia, iam eo lubentius me ad eiusmodi negotium accingo, nil facile prolaturus in medium, quod a regulis et methodo vera Clariſſimorum Virorum

y) *diſſ. de Opio* §. 7. 8. 9. 10. 11

z) *in Syſt. Mat. Med. ad Praxin applicatae Tom. I.* §. 308. 309.

rorum horum abhorreat. Mea melioris ordinis et diſtinctionis gratia, brevibus poſitionibus includo.

§. II.

Analyſis Opii in partes veras conſtituentes.

I. Opium effumatione, et toſtione ſuper lamina ferrea; neque minus infuſione, coctione, deſtillatione humida et ſicca, igni expoſitum, exſpirat largam quantitatem vaporum graveolentium, ſemper auctam, pro aucto gradu ignis. Si coquatur cum aqua in vaſe aperto, hos vapores ſpargit maxima copia, quoque diutius aqua ebullit, eo copioſiores illi et fortius olentes in auras adſcendunt. Solum etiam Opium ſi igni in retorta committitur, ſtatim fumi copioſi per commiſſuras vaſorum quamvis arcte obſtructas cum viroſo foetore longe lateque evagantur, notante *Bergero*, [a] atque obſervante *Borrichio* [b] in deſtillatione Opii foetor intolerabilis per omnes veſicas et caementa penetravit.

a) §. 5.

b) *de ſomniferis no.* 4.

II. Aqua ab Opio per alembicum tranſcendens, et in vas recipiens abiens manifeſtum Opii odorem ſenſubus offert (*Neumann Lect. de Opio p. 118. Buchner diſſ. cit.* §. 13. *Nicolai Syſt. Tom. I.* §. 289.) Vnus Opii ſcrupulus affuſis aquae libr. IX. deſtillatione per alembicum aquam omnem odore ſuo ſatis forti imbuit, ſapor etiam manifeſtus manet. Quod vero cum faecibus aquae in cucurbita reliquum fuit ſapore et odore omni caruit (*Berger diſſ.* §. 5.)

Spiritus Vini ab Opio deſtillatione abſtractus ſaporem et odorem ſecum evehit (*Berger l. c.*) in ſpiritu hoc deſtillato diaphano ſaporem Opii manifeſte obſervavit *de Heide obſ.* 79.

III. Quando Opium aqua calida infuſione, digeſtione, vel leni coctione ſolvitur, in ſuperficie aquae natans colligitur ſpumoſa quaedam, oleoſa, pinguis, et viſcida materia, parva reſpectu portionis Opii quantitate, odoris valde graveolentis.

Hanc materiam memorat *Hoffmann* diſſ. de Correct. Opii §. 5. in fine, *Neumann.* lect. de Opio p. 115. 119. *Wedel.* Opiol.

p. 57. et 65. vbi hanc partem ſpumoſam ſumma lambentem impuriorem dicit. *Hoffmann* l. c. §. 7. in fine ex libra vna Opii duas vel tres drachmas huius materiae obtineri dicit *Buchnerus* §. 17. ab vnciis duabus Opii obtinuit drachmam dimidiam, ex libra vna drachmas duas, tres, vel interdum plus *Neumann* p. 119.

IIII. Aqua haec continet circiter duas tertias Opii ſolutas. Solutio ſublata vnguinoſa ſpuma, decantata ab eo, quod remanſit indiſſolutum, et evaporatione inſpiſſata, largitur extractum Opii aquoſum dictum.

V. Id extractum Opii aquoſum omnino eſt gummoſae indolis, quoniam id habet corpori Opii abſumtum, quod in aqua eſt ſolubile, et quoniam levi opera totum iterum in aqua ſolvitur, inſtar omnium gummatum. Neque tamen eſt purum et ſincerum gummi, nam rectificatus ſpiritus vini infuſus eius circiter partes duas tertias ſolvit. Deinde igni admotum ardet. Patet ergo extractum Opii aquoſum non prorſus liberum eſſe a particulis reſinoſis ſulphureis tenuioribus.

VI. Si magmati reſiduo in fundo vaſis, poſt decantatam ſolutionem aquoſam, denuo affundatur aqua, eandem non amplius mutat, ſi ſaltem antea adhibitae quantitas, quantitati illius quod in Opio fuit ſolubile, fuerit proportionata. Si vero eidem affundatur Spiritus Vini, cum digeſtione colore rubicundo in brunum vergente tingit.

VII. Spiritus Vini magmati ſicco Opii a ſolutione aquoſa reſiduo infuſus, et digeſtus, et ſaturate tinctus, ſi inſtilletur aquae eam facit lacteſcere, atque ita reſinoſum principium ſe continere monſtrat, quod ſubſidens et collectum eſt vera ſincera pura reſina Opii craſſior, quae igne admoto flammam concipit et deflagrat. Eadem reſina haec facile ex ſpiritu ſaturato obtinetur, eum igne avocando.

VIII. Quod nec Gummoſum eſt, nec reſinoſum vel tenuioris vel craſſioris indolis in Opio, et dempto vtroque

remanet,

remanet, eſt iners et effoeta terra. Nempe quodcunque menſtruum eligatur pro ſolvendo Opio, quemadmodum varia commendantur a Chimicis, nullum tamen eſt, quod id ſolvat integre, ſed ſemper remanet non ſolubilis terra.

VIIII. Si Opio crudo loco aquae affuderis ſpiritum Vini rectificatiſſimum, iuſta copia, atque ſolutionem inſtitueris vt decet, tumque evaporatione ſpiritum avocaveris, parabitur extractum ſpirituoſum, quod reſinoſum iure habebis, quoniam ſpiritus vini abſumſit et abſumere potuit id, quod omni dote ſua reſinoſam indolem teſtatur. Neque tamen hoc eſt pura reſina, nam ſi ipſi aqua calida affundatur, haec digeſtione magnam eius partem ſolvit. Patet ergo extractum Opii ſpirituoſum, continere praeter reſinoſas partes, etiam teneriores gummoſas.

X. Si reſiduo magmati a ſolutione ſpirituoſa exſiccato affundatur aqua, illa digeſtione portionem quandam in ſe abripit, magma quippe deinde ſtatera ſi pendatur, levius multo offenditur, quod vero aqua continet, evaporatione facta invenitur verum eſſe et purum gummi.

Nil facit ad ſcopos meos vt accuratiſſime determinem, quantum aqua ſolvat de Opio, quantum ſpiritus vini; quantum reſiduo a ſolutione aqua demat ſpiritus vini, et reſiduo a ſolutione ſpirituoſa, affuſa aqua. Secundum *Neumannum*, p. 117. ſpiritus vini plus demit Opio quam aqua. Contrarium dicit *Alſton* l. c. ſect. III. §. 2. qui ſpiritum vnam tertiam partem Opii, et aquam duas tertias ſolvere ſcribit, dum vtraque ſe habent ad Opium vt 12: ad 1. Pro differente proportione ſpiritus et aquae, pro digeſtionis duratione, pro ſpiritus maiori vel minori aquoſitate eductorum copia quantitas ſoluti poteſt differre. Haec vero parum ad me facit, cui cum indole eductorum ex Opio magis quam cum copia res eſt.

XI. Sunt qui praeter materiam pinguem Opii ſolutioni aquoſae ſupernatantem, et praeter gummoſam, reſinoſam,

 et

et terream eius ſubſtantiam, ex eo elicitas recenſent cryſtal-
c) *Opiol. p.* 70. los ſalinas. *VVedelius* c) ex eſſentia Opii cum ſpiritu vini facta ad medium evaporata, et dein in loco frigido repoſita, conſurgere eiusmodi cryſtallulos oblongos in vitri parietibus dicit. Has ad *VVedelium* provocans in inſpiſſato ſpiritu vini iucundo ſpectaculo inſtar florum benzoes ſeſe ſiſtere dicit
d) *diſſ. de Correctione Opii* §. 5. *Hoffmannus* d) ſalque adeo quoddam tenuiſſimum in Opio latere innuit. Omni opera Opii analyſin inſtituens cryſtallos
e) §. 21. tales impetrare nequivit *Buchnerus* e) eas interim negare non auſus. Difficulter eas ſeorſim ſiſti, ſed quosdam Che-
f) *p.* 115. 116. micos tamen eas obtinuiſſe dicit *Neumann*, f) atque vere adeſſe, eſſeque ſal eſſentiale acidae indolis, probat ex praecipitatione et effervefcentia ſolutionis aquoſae Opii cum alcali quoddam fixo, aut volatili. Huic quidem argumento con-
g) *l. c.* trariatur *Alſton* g) quippe qui talem ſolutionem nec cum acidis nec cum alcalicis e. g. Spiritu C. C. et oleo tartari per deliquium effervefcere dicit. Refellit etiam Experimentum *Geoffroy* ſalem acidum inſitum Opio attribuentis, et ab eo deducentis quod ſolutio Opii Tincturam heliotropii rubicundo colore tingat, cum ipſe Tincturam Violarum addita ſolutione Opii rubicundam reddi haud viderit. Stat tamen *Hoffmann* pro acido ſale, qui idem id affirmat, quod *Alſtonus* negat, nempe quod ſolutio Opii vere cum addito oleo tartari per deliquium effervefcat. Vt nil diſſimulem mihi experienti non manifeſta ebullitio, quae aliter a congreſſu ſalis acidi et alcali exſurgit, interim tamen aliquis motus inteſtinus in ſolutione Opii obſervatus eſt, cum ſal tartari adderem. Non dememini etiam, me olim Halae in celebris cuiusdam Chymici Laboratorio vidiſſe cryſtallulos ſubtiles ipſi ex Tinctura ſpirituoſa Opii diutius aſſervata natos. Cumque cauſa ſubeſſe debeat, cur gummoſae particulae Opii a reſinoſis, haeque ab illis aegre aut plane non prorſus ſegregari quaeant, ſed potius ambae ſibi invicem intimus intertextae inveniantur, facile inducor vt credam *Neumanno* has cry-

ſtallos

ſtallos ſalinas eſſe vinculum, quo partes Opii reſinoſae et gummoſae teneriores invicem indiſſolubili fere nexu copulentur, atque in hac re fundamentum ſitum eſſe, quod Opium pro magna parte, et ſpiritu Vini, et aqua perinde ſolvatur.

§. III.

XII. Vapores ab Opio incaleſcente, dum id aliis ſimplicibus ſub compoſitionem officinalium confectione admiſcetur; neque minus ſub eius toſtione, infuſione coctione, deſtillatione, aſſurgentes, capita eorum valde tentant, ac ſomnolenta, ſtupida, reddunt, qui in vicinia conſtituuntur. Id Philonium Diaſcordium, Mithridatium, Theriacam conficientes, extracta Opii aquoſa et ſpirituoſa parantes experiuntur Pharmacopoeorum famuli, et ciniflones, maxime ſi vapores illi includantur arctiori ſpatio, neque ſtatim transire poſſint in aerem apertum. *Partium Opium conſtituentium effectus gradu diverſi in Corpore humano.*

XIII. Aqua ab Opio deſtillata (maxime ſi recens in vſum vocetur, aut vaſe bene clauſo aſſervata fuerit,) nobiliſſima vi pollet anodyna, contra vulgarem opinionem. *Hoffm. diſſ. de Correct. p. 13.* Spiritus etiam Vini ab Opio abſtractus, pollet viribus anodynis.

Huius ſpiritus abſtracti energiam anodynam et narcoticam quod miror *VVedelius* negat, *Opiol. lib. I. Sect. II. c. 4. p. 62.* in medio eam relinquit non expertus *de Heide obſ. 79.* ſed vere eum pollere virtute anodyna *Hoffmann.* l. c. et vires Opii ſecum evehere, *Bergerus* §. 5. affirmant. Sane ſi quod *Sennertus Tom. VI. p. 298.* iam annotavit pharmacopoeorum famuli extractum conficientes et ſpiritum deſtillando ſeparantes, halitibus eius interdum gravi ſopore corripiuntur, non dubitandum erit, ſpiritum vaporibus opiatis praegnatiſſimum eſſe.

XIIII. Subſtantiae ſolutioni aquoſae Opii innatantis ſpumoſae et oleaginoſae parca copia, ſi animalibus exhibeatur, eadem ſpatio aliquot horarum necat.

Ad

Ad grana aliquot; necat canem *Neumann p. 119.* ad 12. grana intra quatuor horas *Hoffmann diſſ. de Correct. p. 14.* imo ad X. *van der Felde apud Hoffmann. l. c.* a ſcrupulo vno poſt horam dimidiam canis fuit mortuus *Buchner* §. 34. *Hoffmann* eapropter l. c. huius ſubſtantiae granum vnum plus praeſtare putat, quam ſcrupulum dimidium extracti.

XV. Opium crudum, vel extractum Opii aquoſum leni digeſtione vel coctione praeparatum, largiori copia datum canibus, equidem omnino effectus producit remedio huic ſolemnes, ſomnolentiam, titubationem, aeſtum, ſudorem, etc. leviores, graviores, brevius, diutius, durantes; ſalvam tamen ni largiſſima fuerit, ipſis relinquit vitam.

VVilliſius Opii drachmas duas dedit gregario cani qui vegetus iterum redditus evaſit. *Pharm. Rat. Part. I. Sect. VII. c. 3.*

Bartholinus Cani ea doſi Opium propinatum memorat ex qua homo ſubito obiiſſet, nullum vero illi attulit evidens detrimentum. *Cent. IV. epiſt. 92.*

Hoffmann Cani dedit grana XV. Opii ipſo ſuperſtite, et alii inſignem quantitatem extracti aquoſi, ſine noxa, *diſſ. de Corr. p. 14. et 16.*

Neumann Opii drachmam vnam canem bene ferre affirmat lect. p. 119.

Buchner extractum gummoſum ad ſcrupulos duos dedit cani, poſt ſueta conſectaria ſequenti die naturali gaudebat alacritate. *diſſ.* §. *31.*

Sproegel Cani dedit Opii crudi ſcrupulos duos qui poſt tertium diem convaluit. *diſſ. cit. Experim. XXII.*

Lorry Cani dedit Opii ſcrupulum vnum, effectubus poſt 6. horas ceſſantibus ſanus iterum fuit, edit, et bibit et alius ſe eodem modo geſſit *Iournal Encyclopedique Tom. I. Part. II. p. 74. 75.*

XVI.

XVI. Opium torrefactum ſuper lamina ferrea, ſubdito carbonum igne, neque minus ſat diu in vaſe maxime aperto et latioris orificii, aqua coctum, magna ſatis copia aſſumitur impune, effectumque edit ex ordinariis ab Vſu Opii, prorſus nullum. Idem valet de materia oleaginoſa ſat diu cocta.

Galenus lib. III. c. 8. de Comp. Medic. iam obſervavit torrefactum Opium Vim ſuam perdere.

Si in praeparatione extracti Opium diu in aqua coquatur, et ingens aquae copia affundatur, vehemensque calor ſubminiſtretur, extractum virtute ſua privatur adeo, vt eiusmodi extracti fortiter excocti grana 10. non tantum efficiant, quam grana duo extracti leniſſimo calore praeparati *Hoff. diſſ. de Correct.* §. *6.*

Forti et longa coctione omnis pene vis in auras abigitur *Hoffm. Med. Syſt. Tom. II. p. 271.*

Reiterata coctione vis totaliter deſtruitur *Neumann. p. 129. lect. de Opio.*

Sola coctione diuturna ita Opium ſua vi poteſt caſtrari vt pultis inſtar ſine noxa poſſit comedi *Stahl. Mat. Med. germ. p. 22.*

Eousque reiteratae coctiones Opii, donec odor ceſſet omnem vim eius deſtruunt *Geoffroy Mat. Med. Tom. II. p. 709.*

Ill. Hallero Phyſiol. Tom. V. p. 611. haec ratio eſſe videtur, quare Ill. Stoerckius extracta hyoſcyami, et ſtramonei, absque periculo adhibuerit, quia namque eorum Vis exhalando perit.

Cl. *Buchnerus* extracti gummoſi per 36. horas cocti dein exſiccati vnciam dimidam ingeſſit cani, ſed animal nec tremores, nec ſoporem, nec laſſitudinem, paucis nullum malum inde reportavit *diſſ.* §. *36.*

Idem Materiae vnctuoſae per 36. horas coctae ſcrupulum vnum cani ſine noxa datum memorat *l. c.*

Si extractum aquoſum poſt coctionem fortiorem 25. 30. 36. 40. horarum iners redditum antea lance expenſum, dein iterum eidem imponatur, apparebit ponderis $\frac{1}{15}$. $\frac{1}{18}$. $\frac{1}{20}$. avolaſſe in auras. Coincidunt haec cum obſervatis

Buchneri qui vnciam dimidiam extracti aquoſi coctam, per 36. horas grana 12. perdidiſſe affirmat §. *36.*

XVII. Reſina Opii ex magmate poſt ſolutionem aquoſam reſiduo, per ſpiritum Vini parata, vix obſervabiles aut nullas mutationes animalibus inducit, omnique adeo energia deſtituitur.

Maſſa tenax inſtar picis a ſolutione aquoſa reſidua omnis fere odoris et ſaporis expers eſt, in ſpiritu Vini Tincturam ſuam deponit, vt nullius fere vſus niſi in externis eſt *Coll. chym. Leid. c. 310.* A granis 15. devoratis canis nil ſenſit incommodi, hinc virtute caſſa declaratur ab *Hoffmanno diſſ. de Correct.* §. *8.*

XVIII. Extractum Opii reſinoſum cum Sp. Vini ſine praevia ſolutione aquoſa paratum, producit omnes effectus vehementiores ac extractum aquoſum, adeo vt animalibus exhibitum, ea quantitate etiam occidat, quam de extracto ferebant ſalva vita. Idem vt facile patet dicendum de Tinctura Opii ſpirituoſa, et aquoſa.

Equidem canis cui Cl. *Sproegelius* hanc reſinam Opii exhibuerat largiore doſi, nonnullis diebus elapſis evaſit, ſed vehementer inquietus fuit vomitionibusque vehementiſſimis et convulſionibus vexatus eſt. *Experim. XV.*

Ab vſu Eſſentiae cum ſpiritu vini paratae et extracti ſpirituoſi Opii poſt magnas anxietates mori animalia aliter ac a crudo Opio idque per experientiam conſtare dicit *Hoffmannus diſſ. de Correct. Opii p. 16.*

Cani qui poſt ſcrupulos duos extracti aquoſi devoratos, vexatus ſuetis ſymptomatibus, ſuperſtes tamen manſerat, dedit ſcrupulos duos extracti ſpirituoſi *Buchnerus*, ſtatimque tremens, aeſtuoſus, ſoporoſus, convulſus, factus, brevi mortuus eſt *diſſ. de Opio* §. *33.*

Hypochondriacus quidam inter inſomnia placido ſemper ſomno corripiebatur, quando Tincturam Opii cum aqua paratam capiebat, e contra vero phrenitide mire divexabatur,

tur, dum Tincturam Opii cum ſpiritu Vini paratam ſumebat *Geoffroy Mat. Med. Tom. II. p. 703.*

Si effectus extracti reſinoſi comparentur cum effectubus aquoſi eluceſcet omnino, hos ſub aequa doſi ſemper leniores eſſe illis. Patebit tamen erraſſe *Ettmullerum* quando Opium gummoſum concretum dicit, ſed quod ceu nucleum medicamentoſum reſinam in ſe complectatur, quam proximum virtutis tam ſoporiferae quam ſudoriferae ſubiectum. diſſ. c. 2. §. 10.

Iones qui ſolutionem aquoſam valde amabat, non vim medicamentoſam, ſed omnes malos effectus reſinae attribuebat, quo iure quaque iniuria ex expoſitis iam conſtitit, et pluribus conſtabit in ſequentibus.

XVIIII. Extractum Opii ſpirituoſum, licet adeo virulenta indole ſit praeditum, tamen aqua coctum ſat diu, penitus iners redditur, vt nullam noxam inferat.

Talis extracti per 36. horas cocti vnciam dimidiam ſine vlla noxa tulit Canis. *Buchner diſſ. cit. §. 35.*

XX. Gummi paucum cum aqua extractum a Magmate poſt ſolutionem Opii in ſpiritu Vini factam reſiduo, inefficax eſt, et nullarum virium.

§. IIII.

XXI. Quia Opium continet principium graveolens, volatile, in vapores calore diſſolubile, p. *I.* per alembicum totum adſcendens; *II*, atque quia vapores illi diffuſi per aerem, aquaeque et ſpiritui Vini deſtillatione intime admiſſi *XII. XIII.* adeo manifeſtarum ſunt virium; porro quia Opium diuturna coctione, aeque ac eius ſubſtantia oleaginoſa, ac extractum aquoſum, ſpirituoſumve, penitus inefficax reddi poſſunt *XIIII. XV. XVI. XVIIII.* deſtillatio autem nil ſecum abripere, coctio nil aliud abigere poteſt, quam quod eſt volatile, et in vapores ſolubile, certiſſimum redditur, in hoc ſolo principio volatili vnam et omnem virtutem Opii eſſe

Omnium effectuum Cauſa principium Opii vaporoſum et volatile.

eſſe reconditam, quod adeo apte ſpiritum eius Rectorem dixeris. Spiritus hic vnitus corpori Opii, eiusque partibus gummoſo-reſinoſis, ſolus facit id agere, eſſeque quaſi corpus vivum, ſed abire iuſſus, viqne ignis quomodocunque in fugam actus, relinquit iners Opii et inefficax cadaver.

Quo magis hoc omne per praemiſſas experientias negari nequit, et quo magis inter alios *Hoffmanno* elemento volatili omnem virtutem tribuenti, quam Opium exerit, (Med. Syſt. Tom. II. Part. II. c. 7. §. 5.) ſubſcribere debent omnes, qui hactenus a me expoſita cum iis quae is ediſſerit, conſiderare voluerint, imo vero quo magis ſulphur vt vocant volatile et vaporoſum agnoverunt tot Clari Viri qui de Opio ſcripſerunt, eo magis miror ſententiam paradoxam Celeb. *Alſtoni*. h.) Hic nempe diſerte aſſerit: *Partes agentes conſtitutivas Opii non eſſe volatiles, ſecundum Chymicorum loquendi morem, ſed valde fixas.* Probare hoc ipſum vult ex eo, quod Opium per 40. annos ſuum ſaporem retinuerit, quod drachma vna Opii per 5. horas calori aquae bullientis aequali expoſita vix granum vnum cum dimidio de ſuo pondere amiſerit. etc. Sed confutantur haec facile per ea quae expoſui *No. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVIIII.* Irretitum omnino arctius eſt principium volatile partibus gummeo-reſinoſis, ita vt aegre avolet per annos ab Opio totum, niſi hoc igni diutius exponatur, interim tamen in ſe omnino eſt volatile, ſi fiat liberum, et ſui iuris. Confitetur interim *Alſton* (Sect. I. §. 1.) per 10. annos aſſervatum non adeo fortiter nares ferire Opium quam recens; neque opus eſt vt multum decedat ponderi, vt totum inefficax reddatur, *per XVI.* ſed vigeſima pars ſufficit ſi aufugerit, et forte multo minor. Aufugit autem facile, modo antequam calori exponatur Opium, comminutum et diſſolutum fuerit, vt ex omni puncto libere quicquid vaporoſum eſt, ſeſe a compedibus ſuis extricare valeat. Vel ſola deſtillata aqua Opium

h) *Act. Edinb. l. c. Sect. III. §. 5.*

Opium tota redolens volatilitatem particularum agentium probat, quae vt recte monet *Nicolai in Syſt. Mat. Med.* §. *289.* non poſſet odorem ſpargere, niſi partibus Opii volatilioribus eſſet praedita.

XXII. Quia Opium coctum eousque vt coctione omni ſua vi privetur, (per XVI. in Schol.) non multum adeo de ſuo pondere amittit; patet luculenter, principium agens eſſe longe tenuiſſimum, et in minutiſſima mole maximam cuſtodire activitatem.

XXIII. Quia ab omni puncto aquae calidae, Opium ſolventis aſſurgens vapor, ſecum vehit ſpiritum Rectorem, et in ſuperficie is colligitur in magmate oleoſe ſupernatante: Sequitur hoc eum copioſius arripiens illo admodum dives reddi debere. Igitur ſumma energia hoc gaudet, atque omnium nocentiſſima pars Opii vulgo habetur, quia multo minori quantitate ac Opium ipſum et eius extracta noxam infert et necat.

XXIIII. Si Opio ſaltem infundatur aqua calida, et digeſtio lenis inſtituatur, aut coctio fiat lenis in vaſe clauſo, nec extrahatur diu, multum id in ſinu ſuo retinebit de elemento volatili, gummeo-reſinoſis partibus intimius irretito, nec non niſi ſenſim in totum ex iis abigendo et diſſipando, coctione forti et diuturna. Solutio igitur Opii ſic impetrata ſi iterum leni calore inſpiſſetur in extractum, hoc largietur adhuc diutius eodem illo elemento, quam ſi inſpiſſatio maiore calore fuiſſet peracta. Patet igitur qua ratione extractum aquoſum fortius, ſegnitus et paucarum vel et nullarum virium ex Opio emergat.

XXV. Mirum eſt cum Opium aeque ſolvatur ſpiritu vini ac aqua, atque extractum aquoſum ex parte in ſpiritu vini, ſpirutuoſum ex parte in aqua ſolubile ſit, quod tamen extractum ſpirituoſum eadem doſi in ſua actione ſit longe potentius et nocentius aquoſo. Ratio autem haec eſt:

Reſinoſum extractum recipit in ſe ſummae energiae materiam vnguinoſam, in ſpiritu vini ſolubilem, quae in praeparatione aquoſi extracti ſupernatans negligitur et abiicitur, igitur maiorem copiam elementi volatilis ſub eodem volumine continet. Deinde in eo gummoſis moleculis equidem etiam praeſentibus praepollent particulae reſinoſae, acres, natiuae libidini fere relictae, quin ipſo ſpiritu vini exaltatae, dum in aquoſo hae a praepollentibus gummoſis et mucilaginoſis inuoluuntur et cicurantur. Tandem aquoſum extractum a noſtris humoribus totum et cito eſt ſolubile, non aeque ſpirituoſum, quod facile adhaerens plicis ventriculi, vt omnes reſinae communiter nauſeam, cardialgias, Vomitiones ciet. Inde eſt quod cum *Hoffmanno* diſſ. de Correctione §. 8. et *Neumanno* lect. de Opio p. 141. 142. multi Practici ab Eſſentia Opii ſpirituoſa et Extracto ſpirituoſo ſerio dehortentur. *VVedel* his potiſſimum vomitum deberi aſſerit *Opiol- lib. II. Sect. I. c. 5. p. 92.*

XXVI. Elementum Opii volatile tenuiſſimum, quia intime copulatur cum ſua quaſi matrice gummi-reſina, ac non niſi igne diuturno totum abigitur, tumque nullam formam quam vaporum induit, non poteſt ſolum impetrari ac ſeorſim exhiberi a Chemicis. Vnctuoſa quoque materia in qua copioſius haeret quam in Opio ipſo, non ſoluto, et eius extractis, minime tamen tota ſua ſubſtantia eſt energetica, coctione quippe diuturna abacto ſubtili principio energetico, illa remanet effoeta et vi omni deſtituta. Ex vegetabilius forti odore pollentibus deſtillatione acquiritur oleum ſub minimo volumine, ſpiritum rectorem plantae ſpecificum continens, at deſtillatum cum aqua Opium ne guttulam quidem olei aetherei elargitur.

XXVII. Elementum volatile ſeu ſpiritus Rector Opii non ſaltem haeret in ſubſtantia oleaginoſa, vel in gummoſo vel in ſpirituoſo extracto, ſed toti Opio eſt intertextus, ac ſibi vbique eſt ſimilis, atque eiusdem prorſus ingenii,

genii, in his omnibus. Saltem quo maiori copia ineſt horum vni, prae altero, quo magis ſubtiliſatus, quo magis ſui iuris, quo minus aliis craſſioribus horum particulis irretitus, eo haec praeparata ex Opio in minori mole maiori gaudent actione. Ita nempe granum vnum ſubſtantiae oleaginoſae habet aequam et maiorem vim, ac ſcrupulus dimidius Opii ipſius, vel eius extractorum. Praeſtat vero aucta horum doſis idem illud, ac minuta illius.

XXVIII. Elementum hoc volatile eſt ſui generis, ſpecificoque prorſus charactere gaudet, in nullo alio genere vegetabilium inveniendum. Nil enim commune habet cum volatilibus moleculis, quae in oleis aethereis eorum concentratae haerent. Id, nulli tali oleo ſimilis, ſed peculiaris Opii odor declarat. Neque vllus ſal volatilis acidus, vrinoſus, oleoſus ſive empyrevma referat, ſive gratum odorem ſpargat, talem ſpargit, qualem Opium. Vix ergo vlli horum comparari vel par haberi poterit, quamvis effectus nonullos ſimiles edat.

XXVIIII. Dum autem huic ſoli elemento ſibi proprio Opium debet omnem ſuam vim, quam obtinuit, falluntur ii, qui tota vt aiunt ſubſtantia agere hoc remedium ſibi et aliis perſuadent. Notandus hic inter alios praecipue venit *Hecquetus* i) virtutem eius non niſi in ordinatione, poſitione, i) *p.* 79. 80.
et textura ſuarum partium fundari ratus, maleque ipſam quaeri in decompoſitione mixti eapropter affirmans. Eſſe potius ait virtutem Opii termino Ariſtotelico modum ſubſtantiae, in ſitu partium eam componentium conſiſtentem, decompoſitione autem hunc modum deſtrui. Vt melius capiatur eius ſententia ſimili vtitur dicitque Combinationem capitis, manuum, pedum etc. ſi iuſto loco collocentur iuſtaque proportione gaudeant, repraeſentare corpus, ſed perdi corpus, neque pro tali agnoſci ſi membrorum vnio et coordinatio ceſſet. Ita quodvis mixtum analyſin paſſum eſſe corpus cuius partes integrantes coordinatione quam habebant, in

Toto

Toto deperdita, perdant ſuas proprietates, ſibique reddantur diſſimiles. Haec ſi vera forent, nil poſſet elementum Opii volatile in vaporibus, nil poſſet hoc elementum latitans in pauxillo ſubſtantiae vnguinoſae, ſine gummi, reſina, terra Opii, ſed plura poteſt, quam haec omnia. Neque indigeret vllius ex his connubio, pro ſua energia, ſi ſaltem fugax Opii anima ſubſiſterit ſola, neque ſtatim avolaret, nullis prorſus vinculis corporeis conſtricta.

XXX. Elementum volatile quod agit in Opio eſt analogum elemento volatili aliorum narcoticorum. Hyoſcyami, Daturae, Solani, Mandragorae, Cicutae, attamen aliud. Illud blandius, horum omnium vehementius. Sed hoc diſcrimen ſaltem monſtrant effectus, qui ab his multo vehementiores et perículoſiores, quam ab Opio; a priori a corpuſculorum indole, nexu, figura, differentiam determinare vix poſſibile. Equidem *Hecquetus* k) audet aſſerere his omnibus ineſſe virus narcoticum volatile, verum, indomitum, impetuoſum, acre, durum, ſiccum, ſed in Opio omne eſſe, mite, blandum, et molle. Sique eius principii volatilis elementa fuerint ſulphura, in narcoticis ea eſſe impura, male digeſta, groſſo modo cohobata, in Opio autem attenuata, applanata, et perfecte dulcificata. Quis vero non videt, affectui quo in Opium fertur *Hecquetus*, et eius luxurianti ingenio haec vocabula deberi, minime autem indagatae naturali indoli narcoticorum, et ipſius Opii.

k) p. 90. 91.

XXXI. Elementum volatile Opii natura mitius, quam aliorum narcoticorum, arte tamen magis volatile, magis penetrabile, magis activum ac ita par vehementibus narcoticis reddi poteſt, vt multi homines ſimul integrum conclave implentes ſine vllo vſu interno, cito in temulentiam coniiciantur, ſenſubusque forte et vita priventur. Tale artificium ſcivit *Neumannus*, ſed ſapiens hoc alios latere voluit.

CAPVT

CAPVT IIII.

Indagatio Actionis primariae Opii in Corpus, ex principio agente cognito, per praegreſſam Analyſin.

§. I.

Poſtquam per ea quae Capite antecedenti expoſui, convictiſſimi ſumus redditi, in Opio habitare elementum ſui generis, volatile, in vapores copioſiſſimos ſolubile, ſummaeque in minutiſſima mole activitatis, idque vnicam eſſe cauſam effectuum in corpore humano, iam quomodo id effectus omnes accurate Cap. II. enarratos praeſtet merito inquirendum venit. Fuſius hic referre poteram, miros illos conceptus, quos ſibi de Operatione huius remedii Viri docti formarunt, quorum conſiderationi intentus, ſaepius haut ſatis mirari potui, vltra omnes limites evagantem fingendi licentiam, quae litterarum hominem vere dedecet. Quid enim iuvat fuiſſe in verbis diſertum; in inventionibus facilem, et ingenioſum; in demonſtrationibus tacitum, et nullum! Miſerae certe ſunt, et lectu valde taedioſae de ſpiritubus animalibus diverſimode ab Opio mutatis fabellae, illisque praecipue diſplicent, qui claras et diſtinctas ideas, ſeriasque demonſtrationes in Medicina poſcunt, aut ſi dari nequeant, ſinceram et ingenuam ignorantiae confeſſionem. Quis ſuffuſos vmbris et nebulis, quis nigrore pigmentatos, quis in moerorem et aerumnas coniectos, quis ſuffocationi proximos, quis iniectis vinculis depreſſos, quis per conſuetos tramites hilari greſſu antea excurrentes, nunc ſubito detentos et fixatos ſpiritus ab Opio, mente conceperit? Nonne omnes eiusmodi narratiuncularum Conditores melius

Actiones imaginariae, quibus repudiatis primus Pitcarnius ex rarefactione ſanguinis ab Opio, omnia Phoenomena deduxit, quem multi Clari Viri ſecuti ſunt.

proſpexiſſent ſibi, ſolidaeque veritati, ſi modi operationis ignari cum Veteribus ad qualitates occultas provocaſſent, aut ἀῤῥήτῳ δυνάμει illum adſcripſiſſent, cuius in explicatione eius meminit Cordatus *Simon Pauli.* l) Vtut autem qui in hac indicibili virtute acquieſcunt, minus peccent, ac illi naeniarum nugarumque auctores, tamen nil ſcientiae Medicae conſulunt, magis ergo de illa ſeſe meritos reddunt, qui vlterius progrediuntur, caventes ſaltem, ne aliquid temere ſumant, gratisque tueantur, quod ſeverius examen nequaquam ſuſtinet. Dum in Corpus noſtrum adeo manifeſte agit Opium, certum eſt omnino, id acturum vel in ſolida, vel in fluida, vel in vtraque, vel in vaſa maiora, vel minora, vel in illorum vel in horum liquida, id negaverit nemo. Erit ergo illi maxime fides habenda, qui aetiologiam talem operationis Opii ſubminiſtraverit, quae reſpondeat, eius vero agenti principio, atque phoenomena ab eius actione in Corpus nata, ex fluidis motis per vaſa vel maiora vel minora, ex ſolidis moventibus, et ex motuum in corpore animali obviorum ſtabilitis legibus, accurate deducat. Poſthabitis omnibus ante eum prolatis explicationibus imaginariis, primus cum laude agreſſus hoc negotium canonem ſtabilivit *Pitcarnius.* m) *In Explicatione Phoenomenorum, quae aeque poſſunt oriri, a motu liquidi in arteriis rubris impedito, ac a motu liquidi per nervos venasque ſublato, ſemper putandum eſſe potius peccari intra arterias, quam intra nervos aut venas.* Ex hoc principio errare dicit *Sylvium* et *Williſium* in explicatione Operationis Opii. Scripſerat *Sylvius,* n) vim narcoticam Opii eius parti ſulphureæ iunctam, ſpiritus animales minus agiles, et ad motum ineptiores reddere. *Williſius* venenum Opii poros cerebri ſubire finxerat, ſpirituumque manipulos extimos perimere, reliquosque introrſum fugatos hac ratione ſuccumbere, aut in meditullio ſaltem otioſos haerere, aliosque in parem deſidiam allicere. Non placebat Doctiſſimo *Pitcarnio Sylvium* et *Williſium* ſtatuiſſe Opium penetrare in

l) *Quadripart. botan. p.* 420.

m) *Diſſ. de Circulatione ſanguinis in animalibus genitis et non genitis* §. 5. *Edita eſt prima vice* 1693. *vt ex Elencho diſſertationum editioni Roterodamenſi praemiſſo patet quae* 1701 *lucem vidit*

n) *lib. II. Praxeos cap. de Apopl.* §. 26.

in nervos, eorumque ſpiritibus labem affricare. Neque ipſi arriſit *Wepferi* o) ſententia qui Opium infarcire meatus nervorum reputavit, tranſitumque ſic ſpiritubus intercludere. Refutat quoque *Ettmullerum* ſimilia Williſianis et Sylvianis proferentem, atque licet is a granis duobus Opii ſumma eius doſi nullam mutationem in ſanguinem redundare poſſe contendat, tamen *Pitcarnius* qui e contra actionem nullam Opii in nervos agnoſcit, omnia Phoenomena Opii vſum inſequentia a rarefactione ſanguini ab eodem inducta, docte et egregie deducit. *Pitcarnii* deinde veſtigia ſollicite legit *Thomſonus*. p) Hic nempe illius inventa ſe proſecuturum pollicitus optime datam fidem liberat, atque rarefactione ſanguini inducta omnes ſuos effectus edere Opium multis probare ſatagit. Verum ante *Thomſonum* q) iam *Hoffmannus* et *Bergerus*, quorum labores illi ſcribenti ſuas diſſertationes nondum noti fuiſſe videntur, Pitcarnium ſecuti ſunt, eiusque mendem veritati conſonam fuſius atque pro eximia doctrina, qua vterque inſtructus erat, elegantius expoſuerunt. *Hoffmannus* r) videlicet diſſ. *de Opiatorum nova eaque mechanica operandi ratione* omnia phoenomena ab illa rarefactione deducit. Et in ipſa iam fronte diſſertationis *de vi Opii rarefaciente Bergerus* ſe oſtenſurum promittit, ab ea omnia eius effecta in homine proficiſci. Prorſus eadem ratione *Freind* s) actionem Opii primariam in ſanguine attenuando conſiſtere demonſtrat. Neque aliter Civis eius Richard *Mead* t) Opium agere in arteriale fluidum affirmat et effectus eius a rarefactione ſanguinis derivat. Tandem etiam Cl. *Buchnerus* u) negans vim Opii in nervos, a ſanguinis rarefactione phoenomena deducit et *Hambergerus* x) omnia quae ab hoc remedio oriuntur effecta turgeſcentiae ſanguinis deberi monet, neque aliunde totam eorum aetiologiam petit. *Geoffroy*. y) Huic rarefactioni vt Principio demonſtrationis effectuum ab Opio emergentium, equidem contrarius videtur recentiſſimus Nobilis Scriptor *Young*, qui

o) *in Tr. de Apoplexia p.* 252. 257.

p) *diſſ. de Opio.*

q) *Thomſoni diſſertationes editae Lugd. Bat.* 1705. *Sed Bergeriana diſſ.* 1703. *et Hoffmanniana iam* 1700. *prodiit.*

r) §. 17. 18.

s) *Emmenol. Cap. XIV. p.* 139.

t) *de Venenis p.* 128. 130.

u) §. 157.

x) §. 44.

y) *Mat. Med. Tom. II. p.* 698 *ſeq.*

vt

vt chemicam analyſin Opii, ita et commixtionem cum ſanguine recens miſſo, et ſolutionis iniectionem in vaſa vivi animalis, ex qua vtraque tamen alii docti Viri pro rarefactione probanda argumenta quaedam deſumunt; nullius vſus eſſe, ad diſcendas vires Opii contendit. Vrget potius et recte attentionem ad illos effectus perpetuos, qui in corporibus humanis eorumque functionibus mutatis comparent, poſt aſſumtionem Opii. Verum inter illos, et rarefactionem ſanguinis obtinere, eamque aliorum effectuum obſervabilium cauſam eſſe, nemo attentus facile negaverit. Atque ipſe Vir inſignis comparationem inſtituens inter ſomnum naturalem, et artificialem ab Opio proficiſcentem, et ab hoc vt principio aſſumto, effectus omnes Opii deducendos exiſtimans, aperte rarefactioni ſubſcribit, eamque adeo non in ſanguine ſaltem, ſed in ipſis ſolidis ſub ſomno fientem admittit. Scilicet per obſervationem Cl. *Waſſe* z) et *Fontena* a) hominem per diurnos labores quoad proceritatem Corporis breviorem redditum, ſub ſomno tranquillo priſtinam recuperare ſtaturam monet. Deinde poſt ſomnum ſani hominis illa phoenomena apparere dicit, quae alias pro plethorae effectubus habentur. Inde enim eſſe affirmat, quod ſomno ſoluto oculi turgeant, quod totum corpus ſit magis diſtentum et grave, adeoque plethoricum, quod inſultus febriles aſthmatis, dolorum pleuriticorum, venereorum, haemoptoes paroxiſmi poſt ſomnum ſeſe manifeſtent. Idem probare meridiationem affirmat, redundantiam humorum et ſenſum ponderis inferentem. En manifeſta rarefactionis documenta, ab ipſo *Youngio* ſuppeditata! quibus addere potuiſſet communem experientiam, dormientibus cum calceamentis, tibialibus et eorum ligamine ipſas veſtes arctiores reddi. Ita certe ſat multos defenſores ſuae ſententiae nactus eſt *Pitcarnius*! Ego hunc ſanguinis turgorem ab Opio vere excludi, iam ſatis monſtravi, cum Cap. II. Phoenomena ab Opii vſu in ſenſus incurrentia notarem. Iam dum aſſertis Doctiſſimorum Virorum

z) *Philoſophical Transactions no.* 383. *Art. I. et II. p.* 87. *ſeq.*

a) *Hiſtoire de l' Academie Royale des Sciences Annee* 1725 *edit. Amſtel. p.* 21.

rorum ſubſcribens huic raritati turgorique ſanguinis deberi reliquos effectus quos Opium edit affirmo, id vt per inductionem clare probem, mihi omnino incumbere ſentio. Praeſtabo hoc in ſequentibus fideliter, ſed antea ipſius rarefactionis aetilogiam vt ſuppeditem neceſſarium eſſe credo, et tum tanto rectius ſine difficultate appariturum confido, ſi non omnino, ſaltem bonam partem, phoenomena ab Opio naſcentia rareſcentiae humorum deberi.

§. II.

Latitare in Opio principium volatile, elaſticum ad ſui ipſius rarefactionem vbi calor praecipue acceſſerit, admodum proclive, atque in vapores ſpatioſa loca, aeremque longe lateque circumfluum implere aptos, ſolubile non amplius dubitari poteſt. Quodſi nunc Opium cruori ex corpore emiſſo admiſtum eum rarefacit, vt in ſuperioribus ex Freindii et Hambergeri experimentis probavi, quid eventurum cogitabimus ſi ponatur Opium ſolidum vel iam ſolutum in humido et calido ventriculo corporis vivi ſanguini admiſceri? Concipiamus ab obvio calore naturali prolecta de Opio effluvia, atque ad ſtuporem ſubtiliſata, roſcidi vaporis ſpecie abripi oſtiolis venularum abſorbentium, hiantiumque in inteſtina vaſorum lacteorum; nil certe tunc morabitur perniciociſſimum ingreſſum eorum in Oceanum ſanguinis. Huius vero etiam naturlis calor accedente motu, quibus binis adminiculis alioquin tot corpora naturalia in infinite parva corpuſcula ſolent dividi, eadem magis magisque extricabit, et diſſolvet in minutiſſimas ſimpliciſſimasque moleculas, diſpergendas ſtatim perenni arteriarum nixu per vniverſum vaſorum ſyſtema, quorum fluida omnia charactere ſuo ſpecifico imbuent. Quoniam igitur vna quaevis ſi vel exiliſſima fuerit, vaporoſa Opii monas (liceat mihi vti hoc termino) retinet dotes toti activo principio Opii proprias, interque eas inſitum ſeſe expandendi conatum, nonne fluidum

Rarefactionis cauſa et modus.

cui

cui innatat, quod ſua natura expanſionis capax eſt, et amans, eo facilius expandet, volumenque eius increſcere faciens omni moli rareſcentiam, inducet? Addo his conſiderationibus ſtimulos acres, quibus Opium guſtu teſte abundat, vaſorum villis impreſſos, hosque ad crebriores et fortiores actiones ſollicitantes; addo traiectum perpetuum fortiſſimumque ſanguinis per pulmones. Hi ſane ſanguini intime admiſcendis, et ad iteratas actiones exſtimulandis vaporoſis atomis, prae aliis omnibus corporis viſceribus habiles, illum ſola valida naturali conquaſſatione ſive aerem inſpiratum aſſociari ſtatuas ſive minus, magis rarum tumidum et ſpumoſum iam Opii virtute accedente vltra naturalem ſuum gradum rariſſimum et turgidiſſimum antro cordis ſiniſtro infundent, ad Caput deinde ex aorta, et ad omnes reliquas corporis partes diſtribuendum. Nil in omni hac dilucidatione conceptu difficile, neque intelligo quomodo *Iones*[b]) *VVilliſius* et *Ettmullerus* aliique negare potuerint vllam mutationem ſanguini per Opium induci. Sane ſi verum eſt magnam inter Opium et Vinum alcoholque et ſalia volatilia reſpectu actionis effectuumque in corpus noſtrum dari convenientiam, quemadmodum id antea ſuis locis retuli, non negari quoque poterit, eadem ratione et haec et illud cohaeſionem particularum ſanguinem conſtituentium, a ſe invicem dimoturam eſſe. Vna ſaltem ſupereſſe videtur eaque non levis difficultas in ipſa doſi Opii, quae dum apud nos non ad drachmas dimidias, et integras vt apud populos Orientales extenditur, grani forte vnius pondere, nimis invalida haberi poterat; pro rarefaciendis tot libris ſanguinis quae in vaſis omnibus habentur, cum vini et alcoholis vnicae, ſaliumque volatilium minimum plura grana eum in effectum requirantur. Ita ſane *VVilliſius*[c]) ob perexiguam doſin Opium non in ſanguinem operari putat, qua tota maſſa venenari nequeat. Non aliter *Ettmullerus*[d]) duo vel ad ſummum tria grana ſanguinem non adficere ſtatuit cum ad alterationem

b) *in Myſteriis Opii reveladis vide Act. Erud. Lipſ.* 1701. *p.* 442.

c) *Pharm. Rat. p.* 179. 180.

d) *diſſ. cit. Cap. II. §. XI. XV.*

terationem eius ſalium volatilium ſcrupuli et drachmae dimidiae requirantur, igitur Opio nullum ius eſſe alterativum in ſanguinem affirmat. Sed bene iam pronunciavit *Pitcarnius* e) Opii granum ſaepe ſexaginta et amplius granorum ſalis volatilis inſtar eſſe, pariterque *Mead* f) exiguam portiunculam Opii aequipollere maiori volatilium ſpirituum plerorumque edixit. Atque quomodo non obſtante exigua adeo mole opium nihilominus pervadere quaeat omnem humorum maſſam, eidemque turgeſcentiam inducere exemplo terebinthinae odorem violaceum vsque in vrinam extendentis, purgantis nutrici exhibiti in puſionem cum lacte agentis egregie illuſtrat *Bergerus*. g) Inſtar fermenti nempe mole minima magnas maſſas pervadentis ſanguinem commovere aſſeverat Opium Vir Clariſſimus, ſimulque ad venenorum imo remediorum moſchi, zibethi, ſolis effluviis totum corpus ſaepe conturbantium actiones provocat, ad quem Lectores meos ablegatos velim. Meminiſſe adhuc mihi liceat ſudoris ab Opio moti ipſumque Opium in omnibus guttulis quandoque redolentis, per quod phoenomenon ſolum penetrans eius et ſui quaſi multiplicativa indoles perſpicua evadit. Non ergo amplius quae per tot manifeſta teſtimonia Cap. II. Experientia III. allata viſibilis et palpabilis redditur ſanguinis ab Opio rarefactio, quoad fiendi modum, obſcura adeo eſt, et intricata, ſed potius haud difficulter ex hactenus dictis intelligitur.

e) *diſſ. cit.* §. 19.

f) *de Venen,* p. 130. *edit. lugd. bat. in* 8.

g) §. 18. 19.

§. III.

Non ſufficere videtur Rarefactio pro explicatione actionis primariae Opii.

Vtut autem Opium in minori aeque ac ſal volatile in maiori doſi, ſanguinem rarefaciat, atque e rarefactione hac tanquam cauſa, multa vſum eius inſequentia phoenomena fluant omnino, tamen pace Virorum Clariſſimorum, qui in eadem vnicam et ſufficientem rationem ponunt, ex qua commode demonſtrari omnia phoenomena queant, aliter ſentire cogor Eousque primus huius Principii Rarefactionis

Condi-

Conditor, Cl. *Pitcarnius* procedere non veretur, vt ſtatuat eadem effici omnia exhibito ſale volatili ſpirituque C. C. quae Opio aſſumto efficiuntur; modo quantitas apta, et vſu probata in Ventriculum conferatur, neque ab hoc aſſerto recedere videntur qui principium Pitcarnianum amplexi ſunt. Eandem nempe Operationem eſſe Opii quae Vini eiusque ſpiritus *Bergerus* h) aſſeverat; vt alios idem ſentientes taceam quorum etiam paſſim iam iniecta eſt mentio. Haec vero ſi ſine vlla limitatione ita ſeſe habeant, perinde erit in medendo, ſive ſal volatile quodvis largiori ſive Opium parciori doſi aegro exhibeas vnum quoque commode ſubſtitui poterit alteri, atque in curatione morborum aut Opio aut ſalibus volatilibus ſine damno decumbentium carere poterit Medicina. Quin hauſtubus Vini et alcoholis aquarumque vitae curabiles erunt aegritudines, quae curantur Opio. Quis autem haec omnia vnquam tueri auſus fuerit? Verum eſt, acceleratur pulſus, calidior et rarior redditur ſanguis, aggravatur caput, invitatur ſomnolentia, augetur perſpiratio ab Opio, vt a ſalibus volatilibus, et vino, ſpirituque vini eadem ratione; neutiquam vero haec eam exerunt vim ſpecificam, in placandis doloribus, imminuendis excretionibus, in conſopiendis quibusdam motubus; ac illud ipſum conſentiente Praxi totius orbis, prae omnibus remediis ex tota medicinali ſupellectile exerit. Non ergo ſufficit rarefactus ſanguis, pro cauſa primaria et ſola, ad omnes illos effectus qui ab Opio procedunt. Plus ergo praeſtat Opium, quam omnia rarefacientia nota, cum quibus id rarefacientium forte ſummum communem quidem vim habet, ſed totes praeterea alias omnibus volatilium dotibus ſuperiores. Debet igitur adhuc alius eſſe modus quo agat Opium, quam haec ſola rarefactio, debet eſſe aliud ſubiectum in corpore in quod agat, quam ſolus ſanguis. Atque de his ſolliciti erimus in ſequentibus.

h) §. 17. p. 37.

§. IIII.

§. IIII.

Nemo puto Medicorum eſt, qui non libenter conceſſerit omnes effectus, quotquot demum ab aſſumtis remediis evenire obſervantur in corpore humano, ſoli deberi mutuo contactui, qui minimis moleculis remedii, cum partibus corporis intercedit. Neque ipſa illa ſanguinis rarefactio, de qua hactenus locutus ſum, ſequeretur aſſumtum Opium, niſi illius globulis parvulis cum minutiſſimis moleculis vaporoſis Opii immediatus concederetur congreſſus. Quando vero ſatis clarum eſt, medicamenta aſſumta non fluidas ſaltem partes corporis, ſed aequa actione etiam ſolidas attingere, iisdemque quam proxime applicari, diu quoque evictum fuit, has non minus ac illas ab ipſo hoc contactu ſuas mutationes pati. Haereat itaque in Ventriculo deglutitum Opium, ſpargatque de ſe calore interno extricata ſua effluvia, nullus certe dubiis locus, haec plus ſimplici via cito migratura fore in Oceanum ſanguinis, nonne vero ſimul, imo vero antequam iter hoc abſolverint, ipſis innumera naſcentur contactus puncta cum villis ſolidorum, ad quos vbivis locorum non poſſunt non arctiſſime appropinquare? Verum cum in ſolidis corporis humani mollibus vix concipi poſſit punctum quod non ſit nervoſum, manifeſtum omnino evadit, Opium eiusque vapores abſolute agere debere contactu ſuo in ipſos nervos. Nunc autem cogitari debet, an ſit probabile ab hoc contactu Opii cum villis nerveis, in his nullam ſecuturam mutationem, ſique hoc ipſum probari nequeat, anne huic mutationi non minus adſcribendi erunt reſultantes ab Opio effectus, quam mutationi ſanguini inductae, nempe huius rarefactioni. Qui aevo recentiori remediorum vel] ſuaveolentium, vel graveolentium ſine exceptione omnium operationes in corpus noſtrum explicare aggreſſi ſunt, non dubitarunt aſſerere, minutiſſima ipſorum corpuſcula, primariam ſuam actionem exerere non in ſanguinem proprie, ſed potius in ſyntaxin nervoſam, et ab hac mutata pro-

Actio in Nervos.

proficiſci mutationem corporeorum motuum, et mira illa phoenomena omnia, quae inde conſequuntur. Queritur Cl. *Schreiberus*, i) tractationem de Medicamentis odoriferis nec dum inchoatam eſſe, ſed ipſius Opii occaſione de exiguitate ſumma particularum odoriferarum in remediis, de ſubtiliſſima odorum vi, deque ſingularibus eorum effectubus, quos actione ſua in ſpirituum vniverſum ſyſtema edunt, iam egregie egit inter alios *Ettmullerus.* k) Eius autem argumentis motus, non video amplius, quid impediat, quo minus eadem in nervos actio ſtatuatur Opii, ac aliorum Medicamentorum odoriferorum. Stupenda autem volatilitas, atque immenſa et vltra omnem imaginationem extenſa diviſibilitas partium, in hoc Mixto primas tenentium, quibus in minutiſſimos corporis receſſus introitus negari nequit, facit credibile, vapores Opii non ſaltem intrare vaſa maiora et eorum liquidum, non lambere ſaltem nervorum externas ſuperficies, ſed altius penetrare in eorum cava, atque attingere eorum fluidum ſubtiliſſimum, quod halitum rectius et vaporem quam fluidum dixeris. Si iam id nervoſum fluidum hac ſpecie concipias, nonne mutuus attactus illius cum halitibus et vaporibus opiatis eo facilius ſuccedere poſſe exiſtimandus erit, cum quaedam omnino ſupponi poſſit inter remedium agens, et ſubiectum in quod agit affinitas et convenientia, mutuusque alterutrius in alterum habitus. Sane licet ſanguinem omnino rarefaciat Opium, quod negaviſſe abſonum et fruſtraneum fuerit, tamen promptiſſimus effectus quem ſaepe poſt pauca momenta, ex quo deglutitum eſt, edere iam obſervatur, probare videtur, citius id agere, quam potuiſſet omnem ſanguinem rarefeciſſe. Neque aliunde rectius cito adeo ſaepe ex voto eveniens levamen, quod interdum in plures corporis functiones redundat, explicabitur, quam ex mutatione ſubitanea, quam paſſum eſt nervoſum ſyſtema, per partium eius conſenſum; ex pathologicis et practicis phoenomenis notiſſimum. Deinde quoque

i) *in Obſerv. de Peſte edit. Petrop. ao.* 1750. *p.* 82.

k) *diſſ. cit. c. II.* §. 27. 28. 29

que morbi mere nervoſi, nullas in viſceribus, vaſisque ſanguineis radices agentes, ſed tantum alterum illum interiorem hominem Sydenhamianum [1]) ex ſpirituum ſerie, et quaſi fabrica conſtantem affligentes, totque anomali motus nullam prorſus aut leviſſimam materialem cauſam habentes, qui adeo ſaepe nulli alii remedio, maxime vbi graviores redditi ſunt, et in habitum degenerarunt, auſcultare ſolent, praeterquam Opio ſoli, huius ſententiae veritatem maximopere confirmant. Vnam nomino tot tantorumque malorum laernam, malum hyſtericum, a ſenſibilitate exquiſitiſſima, et mobilitate ſumma nervoſarum partium vnice pendens. Omnia autem huius palmaria remedia, a graveolentibus ad foetentiſſima vsque, ſalia volatilia, galbanum, caſtoreum, camphora, opoponnax, aſſa foetida, hactenus non aliter iuvamen afferre credita ſunt, quam vaporoſis effluviis in nervoſas partes penetrando, totumque earum contextum citiſſime pervadendo, atque ita motus inordinatos conſopiendo. Eapropter enim ſaltem ſine dubio eadem ſaepe celerrimam Operationem edunt, ſive intus ſive foris vſurpentur. Ecquidem cur igitur pharmacorum antihyſtericorum principi Opio ius idem haud competere arbitraremur, quod ſuarum partium tenuitate et penetrabilitate, reliquis omnibus neutiquam cedit, atque per eosdem inviſibiles porulos, eo pertingere valet, quo alia odorifera pervenire poſſe autumamus. Multum opinor errant illi Medici, qui Opio nullum alium concedunt ingreſſum in nervos niſi poſtquam ad ſanguinem delatum eſt, et per carotides arterias ad harum extremitates capillares in tubulorum nerveorum origines abeuntes devenit, cum ſecreto ibi nerveo fluido. Nollem hunc tramitem regium Opio interclusum, at certe non adeo longinquo itinere opus, ſed vbivis locorum in corpore myriades porulorum patent, opiatos vapores imbibentium, quin ſi vt in aliis vaſorum generibus, ita et in vltimo arteriae et venae dantur, vbivis aderunt venulae nervoſae abſorbentes, ſubtiliſſimos

1) *vide Syd. diſſ. epiſt. p.* 496.

liſſimos atomos cito omni ſuo ſyſtemati communicantes. Non ad has vias reſpexiſſe videtur *Pitcarnius* cum ſequacibus *Thomſono*, *Bergero*, *Freindio* qui omnes haud licere putant dare explicationem Phoenomeni ab Opio enati, niſi ſuppoſita actione eius immediata in ſanguinem, a qua demum omnia reliqua pendeant. Vix olim circa ſeculi initium aliter ſenſiſſe videtur *Hoffmannus*; in tota nempe diſſert. *de Opiatorum operatione mechanica* nervorum vix meminit, ſed omnia tribuit ſanguinis rarefactioni, ſaltem circa finem immediatam actionem in nervos quaſi obiter citat. Hi omnes quanquam ex principio rarefacti ſanguinis dederint longe elegantiſſima, atque ex aliis rationibus nequaquam explananda, tamen dum de omni ſimultanea et immediata actione in nervos ipſos, ſine praevia actione in ſanguinem tacent, nimis circumſcriptum faciunt, quod multo amplius extenſum eſt, Opii in corpus humanum imperium, cui certe vniverſus nervorum contextus quam proxime ſubiacet. Neque etiam huc reſpexiſſe videtur Cl. *Geoffroy* m) qui prius haud operari Opium ſcripſit quam eius ſulphura diviſa in maſſam ſanguinis pervenerint.

m) *Mat. Med. Tom. II. p. 702*

§. V.

Cuius modus inexplicabilis.

Dum de eius in hoc territorium potentia ſum convictiſſimus, averem omnino ſcire plenius, et accuratius, quomodo agat Opium in Nervum, quidque agens in eius ſolido et fluido mutet. Sed hoc ipſum vix ſcire datur, et plura in phyſicis et medicis mecum neſciunt Perſpicaciſſimi Viri, qui ingenioſis commentis haud delectantur. Dum in nervo ligato ob ſolum flumen eius liquidi inhibitum, functio eius ceſſat, reditura ſi ligatura abſit, etiam ſine mutatione ſolidi vlla videtur ſola mutatio fluidi ad Opii operationem ſufficere. Qui indolem nervoſi fluidi pro lubitu hanc vel aliam finxerunt, quique in Opio ſuppoſitum ſulphur hac vel alia dote pollens ſomniarunt, potuerunt omnino vel in ſpirituum

mobilitate, et craſi, vel in viis quas decurrunt aetiologiam precariam imaginari. Fruſtra vero magnus coeteroquin Fr. *Baco* de *Verulamio* n) ab Opio ſpiritus in fugam agi et in centrum ſuum cogi, *Sylvius* o) eos ſegniores reddi, *Williſius* p) venenari, conſternari, profligari, perimi, *Ettmullerus* q) torpidos, ſegnes, languidos, effici, *Wedelius* r) *Williſium* taxans addenſari, coagulari, obnubilari, contendit. Fruſtra ſimul *Wedelius* s) poros cerebri et nervorum particulis remedii viſcidis et oleoſis leniter obſtrui dicit, quos et intactis ſpiritibus oppilari vult *Wepferus*. t) Fruſtra *Sinapius* u) fermentationem ſulphuris Opii et ſpirituum fieri, volatileque illius his ſe adſociare, viſcoſum autem vaſcula capillaria glutine ſuo obſtruere, fingit. Quis enim non videt omnia haec explicare nihil, et gratis ſaltem proferri in medium. Longe vero his Autoribus ingenioſior *Hecquetus* inter laudabilia nonnulla, quae de Operatione in nervos habet, quaſi advenientes in eorum meditullium atomos halituoſos Opii ipſe comitatus eſſet, mutuisque amplexubus horum et ſpirituum teſtis oculatus interfuiſſet, pulchre et lepide integrum hoc negotium recenſet. Scilicet Opium diſſolvi ſcribit in inteſtinis, in nubem atomorum, qui ſubito in ſanguinem penetrent, promptiſſime eum tranſeant, ac cum tenuiſſima lympha in corticalem cerebri ſubſtantiam ferantur. Hanc nubem Atomorum, quam Opium deportet in ſanguinem, eſſe ait nubem ſpirituum elaſticorum, qui dein per totam eius maſſam ſe diffundant, et in ipſos nervos penetrent. Alios ſpiritus ſalinos licet volatiles, graviores tamen eſſe et duriores, ac agere cum impetu putat, in ſolida et fluida, haec exagitando, illa irritando et criſpando; ſed Opii ſpirituoſas particulas eſſe leves, ſubtiles, laevigatas, non ſalinas, politas, quemadmodum lanugo plumularum, elaſticas tamen dicit, hinc ſeſe inſinuare humoribus ſine turbis, tumque ſeſe partim applicare ſuperficiei membranarum, vt duae exactae planae et politae ſuperficies ſibi invicem agglutinantur,

n) *Hiſt. Vit. et Mort. Art. XII.*
o) *lib. II. Prax. c.* 26.
p) *Pharmac. Rat. Part. I. Sect. VII. c.* 1. *p.* 177.
q) *diſſ. cit. Cap. I. §. XI.*
r) *Opiol. p.* 40. 44.
s) *l. c.*
t) *de Apopl. p.* 252. 255. 257.
u) *de Remedio doloris c. V.*

nantur partim autem ſeſe miſcere ſucco nervoſo, eumque animare et inſtaurare. Ita duplici elateri fluidorum et ſolidorum naturalem ſuam vim redire ab Opii ſpiritubus elaſticis reſtituam, contendit, in quibus inſita et concreata oſcillationis principia haereant. x) Fuſius longe haec omnia exponit *Hecquetus*, quae contracta exhibeo. Totus vero eius tractatus plenus eſt aſſertionibus Opium immediate agere in nervos, oſcillationes eorum ſtatim excitare, curſumque et directionem ſpirituum in ordinem redigere, hincque eſſe quod Opiata tonum nervorum vel conſervent, vel reſtituant. y) Dolendum eſt elegantia eiusmodi cogitata, renuenti nemini eſſe demonſtrabilia, neque ad verum aſſenſum aliquem poſſe pellicere. Solidioribus omnino fundamentis nititur ſententia *Hoffmanni*, z) quam miſſo fere conceptu de rarefactione, ſanguinis, recentiore tempore profeſſus eſt. Hic primo Opiata tetra graveolente et naturae inimica vaporoſa exhalatione, motum et ſenſum ſolidarum partium ſiſtere dicit. Deinde fibrarum motricium vim, et membranarum nervearum ſenſationem ſiſtendo, ea neceſſario atoniam illis inferre aſſerit. a) Igitur cauſam illam quae fibrarum harum motum regit praeter naturam affici debere monet. Eaque propter patere concludit, b) vaporem volatilem et penetrantem Opii altius membranarum et nervorum poris ſeſe inſinuantem, puriſſimum et mobiliſſimum eorum fluidum deſtruere. Magna mihi Optimi praeceptoris auctoritas eſt, qui ponderoſioribus argumentis atoniam ſolidis ab Opio induci demonſtraturus eſt, quam *Hecquetus* tonum et robur. At vero licet rectiſſime deducta videatur haec ratiocinatio, non tamen audeo eam integram meam facere, atque abſoluti aliquid in hac re affirmare. Mutari debet omnino fluidum nervoſum ab Opio, vt ſanguis mutatur, ſi in nervos vere agit Opium, at vero an id eorum fluidum deſtruat totum, an ſaltem craſin eius vel motum, vel vtrumque mutet, et quomodo, prorſus neſcio. Si analogiae hic con-

x) *Ita Hecqueta.* p. 83. 87

y) *vide* p. 138. 183. 336.

z) *Med. Syſt.* *Tom. II.* p. 269

a) p. 270.

b) p. 271.

congruus locus eſt, qua alioquin multa in minutis corporis partibus ita ſe habere tuti concludimus, vt in maioribus ea ſeſe habere obſervamus, forſan aeque rarefacit Opium liquidum vltimae ſeriei vaſorum, nervoſum, ac primae ſeriei, ſanguineum, id quod *Thomſono* c) placet. At cum verum ingenium fluidi nervoſi nos penitus lateat, quicquid de eodem docuerint Viri graviſſimi, d) cum de motu eius nil ſciamus, niſi quod per effectus experimur, modus actionis remediorum in illud vix videtur explicabilis. Neque etiam novimus, quam noſſe oportebat figuram, pondus ſpecificum, et directionem motus monadis Opiatae, vel ſi mavis ad vltimam ſimplicitatem ſolutae moleculae Opii. Ad hanc Phyſici, Mathematici, et Medici coecutiunt omnes; neque facile oculatiorem ſeſe redditam gaviſura eſt ſera poſteritas, Opiique actionem in nervos melius ac nos intelliget. Profeſſus eſt circa initium ſeculi quod volvitur, Vir ſummus Iohannes *Bohn* e) nullum dari in rerum natura fluidum fluido nervorum ſimile, in profundo adhuc latere eius pathologiam, Opium equidem efficere vt id ferietur a ſenſu et motu, quid vero id ab Opio ſuſtineat, profundiſſime adhuc latere. Nil ſi vera profiteri licet, ab illa aetate ad hodiernum diem in hiſce acceſſit, ſcientiae Medicae, ſed eadem laborat ignorantia. Equidem poſt *Bohnii* tempora vt *in Mechanica Morborum* de fluidi nervei indole a naturali deſciſcente, ita et in *Mechanica* ſua *remediorum*, de ſuperficiebus particularum Opii filamentoſis, hamatis, etc. indeque ſi Diis placet provenientibus effectubus in corpore humano, multa eademque mira valde conſignavit, Ioh. *Baptiſta Mazini.* f) Sed abundare ipſum ſuo ſenſu lubens ſino, de integro hoc libro eius dubius haerens, cum Celeb. *Hundertmarck* g) volueritne *Mazinus* ſeria et vera, ac experimentis comprobata explicare, et excutere, Medicamentorum effecta, horumque demonſtrare rationem, vel potius ſatis iocoſam de iisdem agere fabulam mathematicam. Vani

c) *diſſ.* § 120.

d) *Vid. Halleri primas lineas Phyſiol.* §. 391. 392.

e) *de Officio med. dupl. Cap. XVIII. p.* 353. 354.

f) *diſſ. X. de medicamentis Opiatis p.* 94.

g) *Exercitatione de vſu ſacchari ſaturni p.* 99. *quae habetur in App. Vol. VII. Act. Nat. Cur.*

ſunt

ſunt omnes conatus inveniendi ſimplex verum in phyſicis, vbi ſenſus nos derelinquunt, inutiliter itaque abſumunt tempus, ſineque vlla ſpe fauſti ſucceſſus laborant, figmentisque artem noſtram onerant et deturpant, qui abſtruſas difficultates terminis inanibus levare ſtudent. Novimus certo, quod ſanguinem mutet Opium, rarefactionem oculis vſurpantes, ſummam aſſequimur probabilitatem quod nervorum fluidum non immutatum reliquat, enimvero nec hoc, nec atomos Opiatos ne quidem oculo armato attingimus; ridiculum ergo eſt, temere horum energiam in illud mechanica demonſtratione explicare velle. Noſtris temporibus, ſenſu et experientia ſolis arcana Naturae diſci, ſummo Artis bono vrſit. Illuſtris de *Haller*, hacque incedens via multa nos docuit, antea abſtruſa, variaque aliter ſe habere ad oculum monſtravit, ac antea credita ſunt. Iam ſaltem cito elegantiſſimam eius diſſertationem *de Partibus Corporis humani ſenſibilibus et irritabilibus* cuius veritates, quicquid hactenus contradixerintquidam Clari Viri, repetitis experimentis iam ſatis aſſertae ſunt hactenus, magisque indies vltra omnem exceptionem et dubitationem collocabuntur. Atque huic Theoriae, cui ego toto animo plaudo, tantum tribuit Celeb. *Tiſſot* h) vt modum quo Opium agit, cuius indagatio tot diverſis ſyſtematibus formandis occaſionem ſuppeditavit, quorum tamen omnium beneficio nondum rite determinari potuit iam clarius conſtare aſſerat, quia nempe id vnice agat irritabilitatem partium excepto Corde minuendo. Pace vero praeſtantiſſimi Viri dixerim, licet certum ſit Opium virtute ad prodigium ſpecifica minuere partium certarum irritabilitatem, licet omnino certum ſit id etiam minuere quae ſeorſim ab *Hallero* conſideratur, partium ſenſibilitatem, tamen partium vere irritabilium et ſenſibilium notitia cognita, quam Illuſtri huic Viro debemus, clariorem non reddi modum agendi Opii, quam fuerat antea. Irritabilitas concernit fibras potiſſimum muſculoſas, ſenſibilitas nervoſas ſed diu

h) *Diſcours preliminaire ſur la diſſert des parties ſenſibles et irritabiles de Mr. Haller* p. 23. 24.

diu iam conſtabat Opium minuere actionem fibrarum muſculoſarum irritabilium, et nervoſarum ſenſibilium, vno verbo motum et ſenſum. Id certe poſt alios multos, modo citati Cl. *Bohnius* et *Hoffmannus* diſerte aſſerunt, atque quando recens ſcriptor *Alſtonus* i) primarium effectum Opii in Corpus eſſe dicit relaxationem et atoniam fibrarum nervoſarum, et per conſequens etiam fibrarum motricium, facile patet vtrasque ſenſibilitatem et irritabilitatem minutam involvere. Vtrarumque autem actio ſenſum et motum producens in corpore vivo, pro ſuo principio agnoſcit fluidum nervoſum, quomodo igitur hoc afficiatur et mutetur ab Opio, in quaeſtionem venit, quae quidem per exiſtentiam ſenſibilitatis et irritabilitatis cognitam, perque accuratiſſimam notitiam quae partes haberi debeant irritabiles et ſenſibiles, nondum ſolvitur, namque cauſam ſenſibilitatis et irritabilitatis mutatam, et modum quo Opium hanc cauſam mutet cognoſcere avebamus. Sed haec ſphaera receptivitatis in fluido nervoſo, aeque nos latet et latebit, ac ſphaera activitatis in Opio. Agit hoc vi ſui ſpiritus rectoris qui plantis ſingulis odoriferis peculiaris eſt, quique earum vnicuivis ſpecificam et individualem energiam in Corpus humanum elargitur. Non omnes plantae quae gaudent acri et aromatico principio, eandem operationem edunt in corpore. Differunt earum vires pro charactere ſingulari ſpiritus Rectoris. Paucum illud volatile quod Opium eſſe facit Opium, et non aliud quid, agit ſine dubio in nervos aliter ac aliorum quorumcunque Vegetabilium odoriferum elementum ſingulare, quod ea facit eſſe id quod ſunt, et nullum aliud. Cuivis inhaeret aliquid proprium, quod cum nullo alio habet commune, tantae autem exiguitatis, vt eius indoles et actio guſtu et odoratu equidem percipienda, tamen viſus ſenſum effugiat. Ecce terminos ſcientiae phyſicae et Medicae!

i) *in Act. Edinburg. loc. cit. paſſim.*

§. VI.

quae in Ventriculo iam incipit.

Quam hactenus adſtruere conatus ſum actionem aſſumti Opii in nervos, eandemque vniverſalem, ac nullibi in Corpore praepeditam ſed vbicunque id hos attingit, ſeſe ſtatim exerentem, ſine dubio recentem adhuc, primoque loco, et maxime experitur Membrana interior Ventriculi, quae tota ex nervis efformatur, vel in papillas villoſae cruſtae exporrectis, vel in eius lanuginem deſinentibus, ex qua cum vaſculis intertextis, omnis villoſa cruſta effingitur. Dum ergo in Ventriculi Cavum delatum eſt Opium, dumque vel iam ſolutum, vel ſolidum adhuc ſpiritum ſuum rectorem dimittit, et exhalat, hic in omni ambitu, quem vndiquaque attingit, orificia venularum nervearum, quas admitti oportet, ſi circulus nervoſi fluidi admittatur, patula offendit. Illis igitur appropinquans libere intrandi, ſeſeque confeſtim cum fluido ipſorum miſcendi, et per totum ſyſtema divagandi facultatem adipiſcitur. Vere ergo actio Opii in nervos non incipit demum circa eorum principia in cerebro, vim remedii eo deferentibus arteriis ſubſtantiae corticalis, ſed eam experiuntur ſtatim nervi ſtomachales, ſuamque facerent totam, niſi pro ſumma ſua ſubtilitate, et diviſibilitate atomi opiati nullibi coërcendi ſubito per omnia vaſa corporis et maiora et minutiſſima evagarentur. Hanc vero cito evenientem actionem Opii, Ventriculi limites nondum egreſſi, praetervidere non potuerunt Viri quidam clariſſimi, qui ad phoenomena attenti, rectiſſime ex his ad illam concludi poſſe, fuerunt perſuaſi. Imo vero qui in ventriculum ſua virtute primario operari aſſerit ac eam Opii actionem ſatis notam eſſe dicit *Hecquetus* [k]) ne quidem id eousque otioſum ſibi concipit, donec per oeſophagum deſcenderit. Quin potius vim eius agentem iam in papillis nervoſis linguae ipſo ſuo amarore inchoare affirmat [l]) omnique generi nervoſo ibidem quaſi nunciari putat, virtutem remedii altius eius penetralia ingreſſuri. Diſputet per me licet cum lingua Ventriculus,

k) *p.* 305.

l) *p.* 284. 285. 286.

an illi vere is honor competat, vt primum ave dicat appropinquanti Opio, atque eius vires praelibet, niſi eas in feſtinante per gulae iſthmum pilula, ſartas tectasque ſub itinere ſervet aureum vel argenteum involucrum. Saltem ventriculo prae lingua opportunitas conceditur ſufficiens, moras in ſuo domicilio nectens, et interdum ibidem pernoctans Opium, fovendi, et vapores quos ſpirat non furtim abreptos, ſed vltro dimiſſos ſatis diu in ſuos vſus abſorbendi. Et hic quidem modus, quo quicquid nervoſum eſt in toto ventriculo, in ſe trahere ſtatuitur ſpiritum Rectorem Opii, toti ſyſtemati ſuo communicandum, magis mihi cum veritate congruere videtur, quam ille quem ſibi imaginatus eſt *Iones*. m) Hic nempe non commiſtione materiali, ſed ideali et virtuali potentia, cum adhuc intra ventriculum haeret Opium, ſpiritus ab aliis functionibus earumque partibus ad ſe revocare, et ad tranquillitatem diſponere, autumat. Idque credit fieri ſine mutatione alia Corpori inducta, quam nervea ventriculi tunica, vtpote omnium ſenſibiliſſima, molliter et blanditer a ſale volatili oleoſo Opii affecta, indeque reſultante ſuavi ventriculi titillatione, et iucundo voluptatis ſenſu. Haec delectatio *Ioni* ſtatuitur vera eſſe omnium effectuum Opii cauſa, quae in animam ſenſitivam redundet, et ſenſibilium partium relaxationem poſt ſe trahat. Huic Clariſſimo Viro ſubſcribit alius Anglus Thomas *Morganus* n) qui ſal volatile oleoſum Opii nervos ventriculi et inteſtinorum blanda titillatione afficere ſtatuit, quemadmodum fructus delicioſus nervos guſtatorios afficere ſolet. Indeque oriri dicit voluptatem, quae ab vſu huius remedii percipitur, quaeque in indolentiam vertatur, actionumque organorum ſenſoriorum ſuſpenſionem. Vix ab his Clariſſimorum Virorum ſententiis abludit eorum Civis Richardus *Mead*, o) qui ex ſimilitudine illius voluptatis, quam gratiſſimam et iucundiſſimam anima experitur, vbi ſenſus dolorificus famis abolitus eſt, Opii operationem in ventriculo expli-

m) *in Myſter. Opii revelatis.*

n) *Philoſophical Principles of Medicine Part. II.*

o) *de venenis p.* 125.

explicat. Tali enim perfuſam et detentam animam, ac ſi in hoc viſcere quae Helmontii mens erat, ſuam ſedem fixiſſet, ſimulac Opium id ingreſſum eſt, non determinare ſpiritus ad Organa, ſibi imaginatur. p) Nulla enim corpora inquit, ſunt tam apta et accommodata, ad grate demulcendum ſenſiles membranas noſtras, quam quae ex partibus volatilibus componuntur, et quarum agilitas temperatur et lenitur laevitate aliquarum lubricantium, et oleoſarum partium. Haec enim modice rarefaciendo ſuccos ſtomachi, et inducendo gratam titillationem in nerveam eius tunicam, creabunt iucundam plenitudinem, et mentem voluptatis et deliciarum ideis occupabunt. Quomodocunque autem ſibi concipiant Celebres in Arte Viri modum actionis Opii in ventriculum, mihi perinde eſt, dummodo dentur, qui agnoſcant et conſentiant, actionem huius remedii in eius nervis inchoari, hoc enim aſſertum ſaltem hic ſtabilire in animum induxeram, huic vero amicos non paucos alios habeo quos collaudem. Scripſerat iam *Williſius* q) Opiata nonnunquam immediate in ventriculum agendo, atque mero contactu eius ante vllum ſanguinis commercium operari; quia inter ſpiritus ſtomachi ac iſtos cerebri incolas, maxima neceſſitudo et ſympathia intima intercedat. Deinde exemplo linimenti opiati fronti applicati, clyſmatis talis inteſtinis infuſi, pilulae opiatae denti cavo inditae probat, pharmacum hoc vbicunqne ad ſpiritus animales admitti poteſt, eorum proximos mero contactu ſuo profligare, eoque totam animam commotam ſubſidere, quanquam ſimul veroſimile ſit, Opii particulas e locis illis ſanguinis commeatu ad cerebrum deferri. Eadem fere habet *Wedelius* r) quando negare non vult, nervos ipſos ſtomachicos ſtatim in ſe recipere vaporoſum elementum Opii, quod tamen et chylo ſanguini communicari ſcribit. Hinc vero etiam mirum non eſſe dicit, etiam nondum egreſſo e ventriculo remedio Opiato, effectum ſentiri. *Williſio* et *Wedelio* ſolidius *Hoffmannus* s) Opiata

p) *p.* 129.

q) *Pharmac. Ration. Part. I. p.* 178. 179.

r) *Opiol. lib. I. Sect. I. Cap. XI. p.* 41.

s) *Med. Syſt. Tom. II. p.* 271. 272.

Opiata vapore ſuo graveolente maxime in ventriculi et inteſtinorum membranas nervoſas agere pronunciat. Hunc vero in poros membranarum harum ſuſceptum, fluido nerveo aliam induere naturam, atque hac ratione dum Opium adhuc haeret in ventriculo, in diſſita loca agere contendit. Adiicit horum Virorum ſententiis ſuum calculum *Schreiberus* t) dari remedia ſcribens, quae conſtituta in Ventriculo ſolo odore effectum ſalubrem producere queant, in partibus Corporis humani, ad quas ipſa non pertingant. His vero quod quidem miror, adeo lapides cancrorum annumerat; ſique hi habiles fuerint ex mente eius quamvis limites ventriculi non egreſſi, alterare cutem modo multiplici, nemo dubitaverit Virum Celeberrimum ad hanc remediorum claſſem multo lubentius Opium relaturum fore. Sed longe maius pondus acquirunt omnia haec effata maximam partem nonniſi deductionibus a priori innixa, per experientias et experimenta, quibus evinci poteſt clariſſime, reſtitaſſe Opium in ventriculo per multas horas, et nihilominus illos inſecutos fuiſſe effectus, ac ſi ſolutum et intime humoribus miſtum, cerebro illatum, totique corpori communicatum fuiſſet. Coegit canem invitum Illuſtris *Boerhaavius*, u) vt devoraret Opium, deinde autem cum iam ex medicamento fere convelleretur, eum incidit, et Opium adhuc invenit in ventriculo. Concluſit ergo, id operari, dum adhuc in eo detinetur, eiusque efficaciam non egere longa illa per lactea vaſa via. Ita quoque Cl. *Sproegelius* x) totam extracti Opii maſſam, quam Cani exhibuerat, vix eius imminuta quantitate, in duodeno invenit, quamvis omnia effecta edidiſſet. His obſervatis egregie conſentit Illuſtr. van *Swieten* y) *Opium* inquiens *mira nec facile explicabili virtute doloris ſenſum tollit, dum in ventriculo haeret. Granum enim vnum vel alterum deglutitum, reſinoſa ſua tenacitate non adeo facile diſſolubile in ventriculo haeret diu, et doloris ſenſum minime per 8. horas ſolet compeſcere, et quod mirabile*

t) *Cogitatorum de Peſte* p. 82.

u) *Praelect. in inſtit. aph.* 856

x) *Experim. circa varia Venena Experim.* XXIV. p. 37.

y) *in Comment. ad aph.* 229. *Tom.* I. p. 370. 371.

 eſt,

eſt, ſaepe ſequenti mane Opii nondum diſſoluti pilula vomitu excutitur. Vnde non videtur agere, quia ſolutum et humoribus miſtum circulationis lege ad cerebrum defertur, ſed quia interiori ventriculi ſuperficie applicatum manet, et nervis hic diſperſis quandam mutationem inducit, quae valet obtundere vim cerebri ſentientem. Interim autem minime exiſtimandum eſt, pilulam Opii, quae per nycthymeron permanſerat in ventriculo omnino talem reddi vomitu, qualis fuerat deglutita, atque de ſua ſubſtantia prorſus perdidiſſe nihil. Non certe! quamvis enim accuratius per ſtateram explorata de pondere ſuo nil ſenſibilis videretur amiſiſſe, propter ſummam diviſibilitatem corpuſculorum odoriferorum, amiſit tamen id, quod grano vni caſtorei, poſtquam per multas horas odore ſuo replevit integrum conclave. nunc lanci expoſito et priſtinum pondus ſenſibile habenti, deceſſit nihilominus. Atque hoc ſubtiliſſimum et leviſſimum elementum volatile, in infinite parvas moleculas diviſum pilula Opii vomitu reddita per exhalationes ex parte amiſit, et inſinuavit nervis ventriculi. Quantum vero vim habeant diverſimode affecti nervi per fabricam ventriculi diſperſi in ſenſorium commune, probat van *Swieten* loco citato, ex nonnullis morbis functiones cerebri turbantibus, licet eorum cauſa materialis ſaltem haereat in ventriculo, vt corrupta bilis, venena plurima, interque ea quae huc praecipue ſpectant, narcotica opio analoga, quibus vomitorio maturae excuſſis, omnia mala ſtatim ceſſant, quod ipſum tamen nil prodeſſe poſſet, ſi humores ſoluto remedio narcotico imbutos ſtatueremus, antequam agere id in Corpus inceperit. Dum in hoc argumento verſor, non poſſum ſilentio praeterire Cl. *Alſtonum* z) diſerte vires aſſumti Opii praecipue niti, actione et influxu in ventriculum, profidentem. Vt hanc ſuam ſententiam probet, provocat ad phoenomenon conſopiti teneſmi, cohibiti vomitus, et ſubſequentis ſomni, ſaepe eo memento, quo ingeſtum ventriculo fuit lauda

z) *Act. Edinb. Tom. V. Part. I. nò.* 12. *ſect.* 3 §. 12.

laudanum liquidum. Citat quoque relationes *VVepferi* a) de horrendis et mortiferis effectubus narcoticorum ſaltem ventriculo receptorum, ſine eius inflammatione, vel alia quavis mutatione, ſine vlla alteratione humorum, quos vomitiorum mature datum prorſus ceſſare fecit. Concludit dein, Opium primo et praecipue agere in nervos quibus applicatur; poſtea in eos qui cum his immediate connectuntur; deinde in illos, qui ſenſubus et motubus voluntariis famulantur; tandem per conſenſum in omnes totius corporis. Poterat hoc Opii per affectum ventriculum, in cerebrum ipſum imperium, ſine Opii immediato cum cerebro contactu illuſtrari, ex multis aliis phoenomenis, deſumtis a conſenſu partium nervoſarum inter ſe. Varia huc trahi poſſent, ex eleganti diſſertatione quam de ſympathia ſeu conſenſu partium corporis humani ac potiſſimum ventriculi conſcripſit Henricus Ioſephus *Rega*, et ex illo capite, quod de conſenſu huius cum toto genere nervoſo *Medicinae* ſuae *Syſtematicae* peculiari opera Illuſtr. *Hoffmannus* inſeruit, ſi in campum adeo vaſtum exſpatiari liceret. Hauſtus generoſiſſimi vini debili homini et maxime eidem non adſueto exhibitus, ſubitaneaque inde eveniens virium inſtauratio, animoque ipſi eodem momento rediens vigor, quo nobile hoc liquidum linguam madefacit, oeſophagique et ventriculi parietes alluit, indubium documentum praebet, velocius multo ſolo contactu papillarum linguae, nervoſeque tunicae ventriculi penetrare eius effectum ad nervorum origenes, quam emetitum longiorem viam, per lacteas venas ibi appellere potuiſſet. Miaſma malignum, cum ſaliva deglutitum, atque ventriculi cavum ingreſſum, in febribus putridis, et dyſenderiis, robuſtiſſimi hominis vires ſaepe ſubito peſſundat, quorum reſtitutioni toties conſulit cito exhibitum emeticum, morbi malitiam efficaciter infringens. Cum igitur negari nequeat, dari permulta corpora naturalia, quae ingeſta humano corpori, illam vim, qua eius vel ſanitatem conſervant,

a) *de Cicuta aquatica.*

vant, vel morbos oppugnant, vel vitae adverſantur, illico edunt, vbi ingreſſa ſunt ventriculum; atque iam hic loci remotiorum etiam partium functiones, vel in melius, vel in peius mutant; eccur Opium tali energia carere, contra illud, omne, quod de eodem experimur, facile ſtatueremus. Quoniam vero alia deinde etiam altius corporis penetralia intrare, ſalutato et affecto ventriculo idemque ius agendi ſuo contactu in partes ipſas, et humores, quibus immediate applicantur, ſeorſim exercere convincimur, quomodo Opio ſoluto, eiusque effluviis, eandem potentiam dubiam reddere poſſemus.

§. VII.

Et rarefactio ſanguinis, et mutatio nervorum, ad actionem Opii primariam in Corpus pertinet.

Nunc autem ex iis quae antecedentibus tribus §his deduxi clariſſime Lectoribus apparuiſſe confido, explicationem operationis Opii in corpus humanum, nec a ſola rarefactione ſanguinis, excluſa actione in nervos, nec a ſola actione in nervos, excluſa rarefactione ſanguinis, ſed ab vtraque virtute, in primae et vltimae feriei vaſa, et eorum liquida peti debere. Neutra quippe ſufficit phoenomenorum omnium emergentium explicationi, quam vero omnium optime exhiberi poſſe certum eſt, ſi actionis initium collocetur in ipſo nervoſo ventriculo, haecque pervadere totam nervoſam ſyntaxin, ſimul tamen et alterare ſanguinem, eiusque flumen ſtatuatur. Satis quoque ex antecedentibus patuiſſe rationes opinor, cur nec cum iis faciam, qui de nervis, nec cum aliis qui de arteriis rubris tacent, aut tacendum eſſe volunt, quando de Opio in corpus noſtrum agente tractatio inſtituitur. Illud vero hic ſolerter animadverti velim exſtitiſſe Clariſſimos Viros, qui vnam harum actionum vrgentes, alteram aut non impugnare auſi ſunt, aut conceſſerunt etiam, et adſtruxerunt, vel tacite vel aperte. Inter eos Celeb. *Mead.* b) qui adeo multus eſt in adſtruenda grata titillatione ſtomachi, eiusque nervoſae tunicae, dum eodem loco

b) *de Venenis pag. mihi* 128. 130.

loco de rarefactione ſuccorum ſtomachi ſimul verba faeit, ſine dubio non excluſos ab ea voluit ſuccos rubros gaſtricis arteriis contentos. Imo vero diſertis verbis, effectus Opii omnium primo in ſtomachum, deinde praemenſis primis viis, in ipſum arteriale fluidum redundare, vnamque actionem Opii recreare mentem, alteram implendo vaſa in corpus agere ſcribit, atque quod maxime annotandum duco, effectus omnes Opii qui eveniunt ab eo adhuc in ventriculo commorante, a mixtura particularum eius cum ſanguine inde rarefacto augmentum capere monet. En actionem Opii in nervos, et vaſa rubra, clariſſime coniunctam! Memoratu dignum eſt, ancipitem et varium ſeſe in hac aetiologia explicanda geſſiſſe Illuſtrem *Hoffmannum.* Nimirum tota diſſertatione *de Opiatorum nova et mechanica operandi ratione* omnia phoenomena vſum inſequentia, non niſi ex rarefactione ſanguinis deducit, et paulo ante finem demum ſpirituum quaſi obiter, et per lancem ſaturam meminit, in quos etiam Opiata immediate agere dicit, cum antea §. XVI. contra illos Auctores diſputaſſet, qui actionem in nervos admittunt, et defendunt. Deinde in *Medicina Syſtematica* c) fuſe de actione Opii in nervos et eorum fluidum agit, de rarefactione autem ſanguinis prorſus tacet, et quod valde mirum, iis locis etiam, vbi ſpeciatim de oppletione vaſorum Encephali, et de ſanguine ibidem diutius commorante loquitur ne verbulum de rarefactione profert, ſed elaterem arteriarum debilitatum earumque ſyſtolen ab Opio minutam inculpat. Optime vero in *diſſertatione de Correctione Opii* d) rarefactionem ſanguinis et influxum in nervos coniungit. Sulphur Opii tenuiſſimum et evaporabile inquiens vel immediate ipſos nervos, et membranas nerveas ſua replet vaporoſitate, et ſpirituum influxum impedit, vel adhuc magis in ſanguinem delatum, huius expanſione rarefactiva arteriolas minimas cerebri diſtendit, circulum liberum impedit, et ſpirituum geneſin imminuit, et

c) *Tom. II. p.* 272. §. 7. *et p.* 277. §. 13.

d) §. 6.

ita motus ſegniores reddit. Ecce duplicem modum quo Opium in Corpus noſtrum agit, coniunctum, et coniungendum pro decente effectuum omnium explicatione! Atque in hoc tramite iam incedam ipſe, iubente ita pertractandorum ordine, ad phoenomenorum aetiologiam, ex natura actionis Opii cognita acceſſurus. Quanquam autem ingreſſum radiorum vaporoſorum, vel vndulationum vaporoſarum Opii in intimiora nervorum vbique allegandi et ad illam provocandi neceſſitatem mihi ſentiam impoſitam, nil tamen de mutatione ipſa nervorum eorumque fluidi per rationes §. V. ſuppeditatas proponere audebo. Quare maximam partem a rarefactione vtpote evidente, demonſtrationes meas depromam.

CAPVT V.

Phoenomenorum poſt Vſum Opii emergentium, Aetiologia, deducta ex actione Opii primaria cognita, in ſanguinem, et nervos.

§. I.

EXPERIENTIA I.

Opium Circulationem ſanguinis fortiorem et celeriorem reddit.

Non vna eſt ratio cur motus vitalis increſcat ſumto Opio. Ponatur ante omnia ſanguis ab Opio rarefactus, totiusque adeo eius maſſae Volumen auctum, quod ipſum vel ſola teſtatur pulſus plenitudo, ordinaria maior. Non poterunt ergo non vaſorum omnium rarefactum ſanguinem continentium latera, in omni puncto vltra modum extendi, praeternaturalemque adeo et violentam experiri diaſtolen.

Si

Si vero haec vaſa ponantur ſana, iuſtoque elatere inſtructa, debent neceſſario aequa vi reniti in ſui contractionem, itaque mutua actio et reactio ſanguinis et vaſorum in ſe invicem fortior provocabitur. Poſito autem ſimul ſanguine rarefacto ſeu magis attenuato, talis circuli lege applicabitur fortius omnibus Organis ſecretoriis, eruntque adeo ſecretiones liquidorum omnium faciliores, copioſiores, celeriores, cum ſanguis tenuior liberius e ſinu ſuo dimittat ſecernendas particulas; eapropter etiam ſecretio liquidi cerebroſi et cerebelloſi erit copioſior et celerior; igitur et copioſior et celerior eius influxus in nervos motui cordis deſtinatos; ſed cum hunc ſequatur vis cordis, poſito ſanguine rarefacto, celerior tandem etiam reddetur ſyſtole Cordis. Fere coincidunt cum his illa, quae habet *Freindius*: e) *Ab attenuato* inquit, *per opium ſanguine, vberior ſpirituum copia. Spiritubus opio refectis, validius ſe contrahit cor, vnde vividior ſanguinis circuitus.* - - - - *Cum vero ſanguine attenuato non modo ſit vberior ſpirituum copia, et proinde impetus cordis fortior, ſed augeatur etiam ad vaſa plenitudo, vtraque de cauſa pulſus excitatur.* Ab eadem ſanguinis attenuatione ſeu cohaerentia particularum eius minuta, liberiorem eius motum, copioſiores ſpiritus, et circulationem celeriorem deducit *Hambergerus*. f) Sed aliud adhuc momentum huc faciens ſupereſt. Inter actionem Opii atque actionem vini et ſalium volatilium magna intercedit analogia. Vinum et volatilia rarefaciunt ſanguinem, pulſumque accelerant, ſed eius celeritatem maxime praeſtant virtute ſuae acrimoniae, villos vaſorum irritantis. Neque eiusmodi acrimonia denegari poteſt Opio, quin ea adeo eminens eſt, vt detentum lingua eidem ardorem quendam inflammatorium inducat; atque quantum illa acrimonia ſui quaſi multiplicativa, quamque potentes ſint acres et fervente Opii particulae, extricatae ex eius gummi-reſina, pro omni humorum copia morſicante et titillante indole imbuenda, docet ſerum per cutis poros moto ab eo ſudore elabens,

e) *Emmenol. Cap. XIV. p.* 139.

f) *diſſ. de Opio p.* 44.

nerveas in omni cortice corporis papillulas moleſto pruritu vexans. Stimulans igitur Opii acrimonia, quam eidem iure afferit *Alſtonus*, g) quamque negari haud ſinit guſtus Organon, ſi omnem ſanguinem omneque ſerum infecerit, ſine dubio cordis vaſorumque villos, ad reiteratas vltra naturalem rythmum contractiones, perpetuo ſollicitatura erit. Atque ab eadem ſtimulante virtute Opii motum ſanguinis progreſſivum auctum deducit Ill. *Buchnerus*. h) Quam merito autem illi virtuti effectus hic tribuatur, luculenter apparet, ſi conſideraverimus certum eſſe per experientiam, quod ſumto Opio motus vitalis augeatur, vim vero vitalem non inſurgere niſi vel a lentore reſiſtentiam in capillaribus pariente vel a ſtimulo. Sed Opium ſanguinem attenuat, quare cauſa motus aucti ab Opio neceſſario haberi debet eius vis ſtimulans. Sed ipſa quoque rarefactio ſanguinis, ipſa auctior ſecretio ſpirituum non minus ad ſtimulum eſt referenda. Conſtat igitur ex dictis clariſſime, cur ab Opio acceleretur humorum circuitus. Enimvero cum non minus experiundo diſcatur, certos quosdam corporis motus, eosque et animales, et naturales inhiberi promptiſſime, et componi ope Opii, eodemque tempore quo vitales increſcunt, indagatione omnino digniſſimum qui fiat vt non omnes motus poſt vſum huius pharmaci vel inhibeantur vel augeantur. Diſtinguendum eſſe *Alſtonus* i) monet, inter effectus Opii a vi eius ſtimulante, et a narcotica pendentes, facile igitur foret dicere ſtimulantem in vitales, narcoticam in naturales et animales motus agere, verum hoc parum lucis adderet disquiſitioni, quam inſtituere animus eſt, namque cur alterutra vis non in omnes agat determinandum foret. Sane quaeſito cur cohibitis motubus animalibus, et naturalibus vitales ab Opio augeantur, ſatisfacere videntur prolatae ab illis Claris Viris deductiones, qui omnia phoenomena ab Opio evenientia a ſanguinis rarefactione explicanda ſumſerunt. Scilicet ſanguine rarefacto, per totum Corpus excurrente, talis

g) *loco citato paſſim, praecipue Sect. III.* §. 12.

h) *diſſ. de Opio* §. 45. 46. 47.

i) *l. c.*

talis quoque proiectus per carotidum alveum magna ſatis copia, defertur ad caput, in vaſa durae piaeque matris. Haec igitur ab eo extenſa vltra naturalem diametrum, dum oſſea capſa arctiſſime omne encephalon comprehendens cedere neſcit, omnino debent comprimere quae preſſioni cedunt loca alia ipſis ſubiacentia, adiacentia, interiacentia. Cum vero dura mater vaſis ſit ditiſſima, atque pia mater ſulcis, gyris anfractubus cerebri accurate cohaerens, tota ſit non niſi rete vaſculoſum, repletae et expanſae vtriusque meningis arteriae venaeque numeroſiſſimae, neceſſario comprimunt nervorum principia, a finibus arteriolarum oriunda. Igitur ſecretio et influxus liquidi nervoſi retardabitur, atque functiones illae quae a nervis compreſſis pendent erunt imminutae. At cur preſſione cerebri vniverſali exiſtente, non eo tempore ſimul comprimuntur nervi motores cordis? cum non minus ſanguis rarefactus, in vaſa ipſis vicina deferri debere videatur magna copia, quam in vaſa aliis nervis propinqua. En rationes varias, quas ſubeſſe iudicant quidam Viri doctiſſimi! Non immorabor diu eas elocuturus, fictionibus, et evagantis phantaſiae luſibus, quales ſunt *Williſii*, k) qui opiata modica doſi exhibita fere tantum ad ſpiritus incolas cerebri pertingere dicit, eosque perimere, coeteris aut intactis aut non multum permutatis, quare ſenſus equidem externi et interni ligentur, pulſus vero et reſpiratio ſolito ritu peragantur. Doctius omnino *Pitcarnius* l) et *Bergerus*, m) compreſſis licet nervis ab arteriis interiectis, quae iam rarefacto ſanguine turgent, cor aſſerunt contrahi muſculosque reſpirationi inſervientes, cum hi et cor antagoniſtis deſtituantur, adeoque minor copia fluidi nervoſi eis contrahendis ſufficiat. Hunc quoque antagoniſtarum defectum habet *Freindius*. n) Verum cum optime monente Illuſtri de *Haller* gratis aſſeratur de corde et muſculis reſpirationis quod careant antagoniſtis, arteriis antagoniſtis cordis, et coſtis reſpirationis antagoniſtis exiſtentibus, o) falſo ſuppoſitum hoc principium ad noſtrum

k) *Pharm. Rat. Part. I. Sect. VII. Cap. I. p.* 180.

l) *diſſ. cit.* §. 13.

m) *diſſ. cit.* §. *XI. p.* 22.

n) *In Hiſt. Medicinae, Guilielmus de Saliceto pag. mihi* 311.

o) *in notis ad Prael. Boerhavianas Tom. IV. p.* 583.

noſtrum argumentum explicandum trahere non licebit. Tanto vero magis locum hic habere videntur, quae de differentia cerebri mollis, ſinubus venoſis, et circulis arterioſis maioribus inſtructi, et ab his facile compreſſilis; cerebelli autem ſolidioris, compacti, arteriis venisque minoribus p) *inſtit.* §. 600 praediti, non compreſſilis, habet Illuſtr: *Boerhaavius*. p) Sane multo ſtudio ſua haec facit, dum de lethalitate vulnerum q) *Tom. I. p.* 250 capitis agit Illuſtr. van *Swieten*, q) cruorem nempe effuſum comprimentem cerrebrum parcere debere cerebello affirmat, quia hoc cerebro ſubiacens tutiſſime defenditur, tegiturque, expanſo durae matris velo, et praecipue quia ab ſolidiorem fabricam magis reſiſtit cauſis comprimentibus. Nonne vero et ex his perſpicuum reddi debere videtur, molem ſanguinis ab actione Opii equidem non extravaſati, ſed in vaſis encephali adhuc contenti, rarefacti interim, vaſaque eapropter valide diducentis, non aeque cerebellum compreſſuram fore quam cerebrum. Quanquam vero cerebellum ſua hac in re proerogativa gaudere, ſtatui debeat, prae cerebro, non tamen impoſſibile habendum, tandem quoque ab hoc ad illud vsque compreſſionem increſcentem ſeſe fore extenſuram. Tunc vero motum cordis et pulſum arteriarum qui antea celerior erat, debilitari debere, et retardari, Clari Viri omnino concedunt et concedere coguntur. Ipſe *VVilli-* r) *l. c.* *ſius* r) ſi virus opiaticum longius diffuſum cerebelli quoque globum ſubeat, modum cordis labefactari aſſerit, ſed rectius rem exponunt alii. Si augeatur vbique vis compreſſionis s) §. 13. inquit *Pitcarnius* s) aucta molle aſſumti Opii etiam nervi ad cor tendentes conprimentur nimium, pulſusque fiet parvus t) *diſſ. p.* 22. *et* 35. et rarus, tandemque nullus. Pariter *Bergerus* t) ſi compreſſio ait cerebri ſit tanta, vt influxum ſucci nervoſi pene omnem prohibeat, contractiones muſculorum pectoris debilius ſuccedent, cordisque etiam contractio imminuetur, et pulſus arteriarum erit languidus. Eadem vero *Freindius* habet, ſanguine ita attenuato ſcribens, vt arteriae cerebri latius quam par

eſt

eſt diſtendantur, nervorumque qui iis interſeruntur valida fiat compreſſio, neceſſe eſt compreſſione aut minuatur, aut intercipiatur penitus ſecretio ſpirituum, hinc imminuuntur vires, hisque deficientibus langueſcit pulſus. Facile autem clarum eſt omnes has explicationes niti ſyſtemate *VVilliſii*, diu ab Eruditis multo plauſu excepto, qui cerebrum ſaltem motubus animalibus et naturalibus, cerebellum vitalibus dicari docuerat, quare etiam Illuſtr. van *Swieten* qui auctas et pergentes compreſſionis cerebri cauſas tandem cerebellum premere et propterea motum cordis impedire aſſerit, inde conſtare concludit, cerebellum per nervos dare ſpiritus requiſitos ad motum muſcularem cordis. Verum enim vero, de origine nervorum cordis et de cerebelli abſoluta potentia in vitae motores, paulo aliter ſentiri coeptum eſt, ex quo Illuſtris *Hallerus* u) Elegans Syſtema diſtinctarum animalitatis et vitalitatis provinciarum, quod *Freindius* x) iam ex ipſorum nervorum contemplatione funditus everti poſſe docuerat, a tota anatome refutari oſtendit. Nervus cilicet quintus evidenter a eerebello proveniens ad partes aut a voluntate motas aut ſenſui famulantes excurrit; Vulneraque et ſcirrhos aliquando poſſum eſt cerebellum, quin plane ablatum eſt, ſuperſtite nihilominus vita. y) Videndum igitur an cum recentibus his Perſpicaciſſimi Viri obſervationibus ſtare queant, de ſanguinis per Opium rarefacti compreſſione in cerebrum et cerebellum redundante, indeque reſultante cordis motu, aut minus inhibito, aut tandem praepedito, hactenus a me propoſita. Sed ſalvis omnibus Hallerianis, nil detrimenti patitur Aetiologia, *Pitcarnii*, *Bergeri*, *Freindii* a compreſſione nervorum deſumta, modo non nimium tribuatur compreſſione cerebelli. Nimirum comprimi cerebrum debere, ſimulac pleniores redditae ſunt arteriae venaeque encephali, certum eſt. Certum quoque eſt nervos ab hac cauſa qualescunque compreſſos intercipere influxum ſubtiliſſimi fluidi, et ita inhibere functiones illarum partium, ad

u) *Primae Lin. Phyſiolog.* § 371. 379. 399

x) *Hiſtoria Med. pag. mihi* 311.

y) *vide Praelect. Boerhaav. Tom IV. p.* 592. *et elegantem diſſ. Gottingeſem quae habet Experimenta circa Corpus calloſum cerebellum et duram matrem inſtituta, habitam Praeſide Hallero, p.* 28. *ſeq.*

ad quas nervi compreſſi exporriguntur. Quare ſi motus cordis, aliis functionibus corporis eapropter inhibitis, ſupereſt debet ratio ſubeſſe, cur nervi cordis non aeque comprimantur, ac alii, quomodocunque demum ſeſe habeat eorum Origo: nam his compreſſis certiſſime actum eſſet de vita. Docet autem et vrget praecipue *Hallerus* z) maximos et plurimos cordis et Organorum reſpirationi inſervientium nervos provenire non a cerebello ſed a medulla ſpinali. Si nunc cum his grandioribus ex eadem oriundis, comparentur rami pauciores et exiliores nervi intercoſtalis, et paris vagi, ad partes vitales quoque excurrentes, certo conſtabit non adeo magnam copiam fluidi nervoſi ad cor tendentis, fluere ex cerebello, vel cerebro, ſed maximam eius copiam deberi ſpinali medullae. Igitur non multum oberit cerebelli quaedam compreſſio a ſanguine rarefacto ad encephalon delato, cordis motui, ſi vel aequa vi in illud ageret quam in cerebrum, ſed clarum erit poſſe nihilominus a vi ſtimulante Opii proritatum ſubſiſtere pulſum celerem, et magnum, ac perdurare, ſi tot diverſae plagae a quibus oriuntur nervi abeuntes ad cor haud graventur omnes, per cauſas fortiſſimas. Neque toto etiam cerebello compreſſo, pulſus reddi debet debilis, dummodo ſalva ſit a compreſſione medulla ſpinalis; qua compreſſa demum praecipuus liquidi nervoſi cardiaci fons obturatus eſt, cuius regione etiam per iniurias externas contuſa, et alio modo laeſa, abſoluta lethalitas extemplo excluditur. Anne ergo credibile eſt huc vsque non cito adeo pertingere Opii vim mediante ſanguine rarefacto et vaſorum expanſione ſeſe exerentem? An forte ſiſtitur demum motus cordis ab Opio, nervoſo liquido omni per immediatam actionem huius remedii, in motu vel craſi ita mutato, vt quies vniverſalis inde imminere ac evenire debeat, modo nobis incognito. An Organorum perpetuo operantium, ad motum paratiſſimorum, valde irritabilium, et perpetuo irritatorum, in quibus momentis praecipuas rationes motus cordis

z) *Prim. lin. Phyſiol.* §. 94. 379. *et Prael. Boerh. Tom. IV. p.* 593.

cordis ponit *Hallerus*, a) is eſt ad motum ſuum habitus, ea promptitudo, ea neceſſitas mechanica, vt ſuperent diu omnem vim eorum, quae aliis natura languidioribus difficilius irritabilibus partibus, inque motu ſubinde feriari viſis, confeſtim quietem conciliant. Certe Cl. *Tiſſot* b) cordis irritabilitati ſoli deberi contendit quod Opio non ſuſpendatur eius motus, cum irritabilitas haec neque a ſenſu neque ab vllo motu alio pendeat. Atque ſi ſolus influxus ſanguinis venoſi calidi in cordis ventriculos irritando valde irritabiles villos, eius contractionem perpetuo provocat, quod laudatus *Hallerus* docet; quod *Albinus* c) exploſa Boerhaaviana compreſſione nervorum et ſanguinis influxu in arterias coronarias aſſeverat; quod pulcherrime explicat *Robertus Whytt;* d) quodque olim ipſe tenuis valde ſcriptor, aſſerere auſus ſum; e) tanto magis ſtimulum validum fibris in ſui contractionem perpetuo nitentibus inferet ſanguis influens rarefactus, et expanſus irritantibusque Opii atomis impraegnatus. Neque ad quietem antea verget. Hoc in animalibus primum vivens, et vltimum moriens, niſi omnium fibrarum nervearum et motricum aliarum vis deleta ſit penitus.

a) *Vide lin. primas Phyſiol.* §. 400. *et Comment. Societatis Reg. Scient. Goetting. Tom I.p.* 263. *neque minus Zimmermannum diſſ. de Irritabilitate p.*72.

b) *diſcours ſur la diſſ. de Mr. Haller des parties irritables et ſenſibles p.* 24. 33.

c) *Academicarum Annotationum lib. II. p.* 61.

d) *Eſſay on vital aud other involuntary motions of animals Sect. III. IIII.*

e) *diſſ. mea inauguràli vitas animalis conſiderationem exhibente.*

§. II.

EXPERIENTIA II.

Opium Calorem Corporis auget.

Exhibui antecedente §ho cauſas aucti circuitus ſanguinis, a deglutito Opio, ſed his viſis facile etiam intelliguntur cauſae aucti caloris. Conſtitit nempe ex modo dictis, Cor in ſe ſpectatum pollere irritabilitate ſumma, miraque ad motum perennem promptitudine inſtructum eſſe. Iam vero Opium exhibitum excluſa rarefactione ſanguinis, favet vberiori ſecretioni et copioſiori influxui ſpirituum in Cor, atque ſimul acri ſtimulo irritat eius et arteriarum fibras, hinc vis cordis dato Opio ſtatim inſurgit fortius, atque ſimul agit frequen-

tius. Inſuper Opium volumen ſanguinis auget et arterias pleniores ſolito praeſtat, moles autem haec maſſae ſanguineae auctior difficilius traiicienda per alveos vaſorum, aliquam reſiſtentiam parit in capillaribus. Accedente igitur his obſtaculis ſuperiore valida cordis contractione, arteriisque fortiter diſtentis, et aequa vi renitentibus ſeſeque contrahere iterum conantibus, non poteſt non oriri globulorum ſanguinis inter ſe, globulorumque et parietum vaſorum fortior attritus, qui in vicino pulmone cui primus cordis impetus imprimitur, fit fortiſſimus; ex hoc vero maiore attritu, maior collectio ignis, et eminentior calor. Docent vero Phyſici tum maxime naſci calorem, eumque ſatis intenſum, ſi corpora inter ſe attrita fuerint elaſtica, atque ſi fluida elaſtica vrgeantur per canales anguſtos, eosque elaſticos. Sed ſcitur arterias convergere ſeu ex lato ſenſim reddi anguſtiores, et earum fibras ac ſanguinis globulos inſito ſuo gaudere elatere, quare tanto evidentius geneſis caloris conſpicitur. Videtur mihi haec mea aetiologia Naturae corporis, motuumque in eo obviorum valde conformis, ſed torquere ſe cogitur Cl. *Geoffroy*. f) Calorem praeter naturalem ab Opio per totum corpus, quem admittit, explicaturus, dum pulſum ab Opio celeriorem reddi non agnoſcit. Aſſerit igitur, calorem hunc ex eo eſſe quod imminuto ſanguinis motu circulari, ſeu progreſſivo, et aucta fluiditate, motus eius inteſtinus ſeu fermentatitius augeatur, a quo calor pendet. Verum demonſtravit *Boerhaavius* g) ſanguinis motum inteſtinum, ſine ſuppoſito progreſſivo eſſe nullum, non poteſt ergo concedi maior motus inteſtinus, minori reddito progreſſivo, in corpore vivo. Praeterea ſat certum eſt Opium motum progreſſivum intendere, caloremque ſaltem augeri eo gradu, quo motus progreſſivus augetur. Mirum interim dictu eſt, ſed verum tamen, quo magis Opium ſanguinem rarefacit, motumque circularem adauget, eo propius corpus adduci ad ſtatum calori contrarium, nempe frigus, quod vero tum non niſi

f) *Mat. Med. Tom. II p.* 699.

g) *in Chemia Tom. II p.* 303

niſi immoderati aeſtus eſt ſoboles. Non dicam id explicaturus, de ſudore, magna praebia, quin et mediocria Opiatorum certiſſime inſequente, humores multos laudabiles profundente, venoſumque ſanguinem effoetum ad cor remittente, qui dein proiectus verſus caput orbus eſt materie, ex qua ſecernantur ſpiritus ſat apti, ſatque copioſi pro inſtruendo cordis motu, a quo calor omnis pendet. Neque multa proferam de debilitate motus circulatorii, ab exſpirante Opii actione reſidua, qualis ſemper remanet, quoties vltra naturalem impetum liquida noſtra in orbem acta fuerunt. Loquar potiſſimum rarefactionem ſanguinis eousque abſcendentem, vt vaſa nervis motoribus cordis vicina illo nimis impleta hos comprimant; vel fluidum nervoſum ita ab Opio tandem immutatum, vt deſit vegetus influxus in nervos cardiacos; paucis cor ab immediata actione Opii in ſanguinem et fluidum nerveum, primo quidem fortius, nunc autem debilius contractum. Eadem igitur neceſſitate, qua poſita fortiore ſyſtole, motus circulatorius erat fortior, indeque oriebatur attritus et calor fortior, non minus poſita debiliore ſyſtole debilior evadet omnis circulus, languidior attritus, et pro gradu languoris, ſentietur maiori minorive gradu, in corpore decrementum caloris, donec perveniatur ad ipſam ſenſationem frigoris: quia pari paſſu cum motu cordis et circuitu humorum accelerato vel retardato, ambulant calor, et frigus. Eo magis vero pededentim increſcet ſemel natum frigus, quo magis ipſe motus ſanguinis per vaſa ſenſim minuetur. Minus quippe valida exiſtente cordis arteriarumque vi, non propelletur vt decet cruor per capillaria, hinc ibi haerens maiores cordi reſiſtentias pariet; quae viribus eiusdem non increſcentibus, ſed languidis manentibus efficient ſenſim, vt eius evacuatio non rite queat ſuccedere. Cumulabuntur itaque liquida circa Viſcera vitalia, neque reſpirationis actus eorum progreſſum inſtaurabit, nam illi famulantes muſculi per easdem cauſas, quae cordi influxum liquidi

 nervoſi

nervoſi denegant, etiam ſuas functiones rite peragere prohibebuntur. Ita autem ab Opii actione eousque extenſa, vt frigus poſt calorem produxerit, facilis eſt ad ipſam gelidam mortem via. Etenim non iuſta vi moto corde, neque decenter elevato pectore, ſicque deficiente ſpatio, pro explicando pulmone, parca copia ingrediens et labore muſculorum in reſpirationis negotio voluntati ſervientium in ſubſidium vocato, per dilatatas narium pinnas immiſſus aer, minus ſufficiet promovendis per pulmonica vaſa humoribus. Summa igitur naſcetur anxietas, cohibitoque itu redituque ſanguinis per pulmonem, et cordis ventriculos, trituque eius in his locis deficiente, ſpiritus ore reddetur frigidus, frigidusque ſudor prorumpet, atque ita quae debiliſſima micabat cordis ſyſtole, vixque tactu dignoſcendam arteriarum diaſtolen proritabat, ad plenariam accedet quietem, vitaque exſpirata deſinet. Nunc vero ſatis claras eſſe puto conditiones, quibus poſitis demum refrigerat, et refrigerare poteſt Opium, ſimulque luculenter perſpici credo, non bene in diſſertatione ſub Cl. *Richteri* Praeſidio defenſa, dum de ſummis refrigerantibus agitur, ſibi invicem iungi VSem et Opium. En differentias in agendo valde notabiles! VS. detrahendo quantitatem aliquam ſanguinis, molem movendorum minuit; Opium relinquens corpori quantitatem priſtinam, molem movendorum rarefactione auget. VS. larga liberiorem praeſtat circulum; Opium largius datum eum tandem reddit difficilem, et ſuffocatum. VS. etiam repetita compreſſionem cerebri a ſanguine cavet; Opium ſemper metum compreſſionis iniicit, eo maiorem, quo magis vſus repetitur. VS. calorem praeternaturalem minuendo et ad naturalem perducendo refrigerat; Opium calorem naturalem augendo et ad aeſtum praeternaturalem intendendo, perducit ad frigus.

§. III.

§. III.

EXPERIENTIA III.

Opium Sanguini Rarefactionem inducit.

Huius obſervationis aetiologia cum principium demonſtrationis praecipuum conſtituat, omnium phoenomenorum ab Opio evenientium, et cauſarum a quibus pendent, iam debuit exhiberi, et exhibita eſt, anteced. Capite §. 2. quare hic ceſſat.

§. IIII.

EXPERIENTIA IIII.

Opium Reſpirationem citatiorem et difficiliorem reddit.

Vſus Opii vim cordis intendit, ſanguinemque attenuat, per praecedentia, ſi ergo exhibeatur doſis mediocris, cordis vi exiſtente naturali, vel et eadem paulo infra naturalem conſtituta, vegetiori aliquantisper impulſu aget in tenuiorem redditum ſanguinem, aptioremque eapropter, qui per vaſa exilia corporis expedite moveatur, facile propellet per canalium pulmonicorum anguſtias. Non ergo turbabitur negotium reſpirationis, ſed potius his conditionibus poſitis, id eveniet, quod ab Opio ſine diſcrimine praeceps nimis fieri aſſerit *Ettmüllerus*, reſpiratio vere erit facilior. Verum aliter ſe res omnis habebit, ſi rarefactio ſanguinis magis increſcat atque vis cordis inſurrexerit fortius ac pulſus iuſto celerius vibrare inceperit. Nempe quemadmodum reſpiratio a cauſis quibuscunque imo vero et per voluntatis noſtrae arbitrium mutata, ſtatim mutare obſervatur ictus pulſuum, ob perpetuum illum mutuum concentum, qui his conſtanter intercedit cum numero inſpirationum et exſpirationum, ita quoque pulſuum mutationes ſtatim manifeſte aliam eſſe faciunt reſpirationem omnem, ac fuerat antea. Videlicet vt in ſtatu ſuo naturali haec permaneat, definita requiritur ſan-

guinis arteriam pulmonalem huiusque ramificationes ingeſſuri quantitas nec non celeritas eius determinata, qua in illam arteriam ex dextro corde propellitur. Iam ſi ponamus vim cordis et celeritatem ſanguinis nimis auctam, huncque praeter naturam calidum, rarum, maiusque eapropter ſpatium ſibi depoſcentem, moles movenda grandior per ſpatium idem manens breviore tempore transmittenda, non poterit non efficere, vt pulmo obruatur copioſo ſanguine. Hinc pro eius quantitate et celeritate celerius et laborioſius ſeſe invicem excipere debebunt inſpiratio et exſpiratio, atque ita ſanguine intra datum tempus non rite propulſo per venam pulmonalem, verſus cor ſiniſtrum, orietur reſpirationis difficultas, atque aliquis ſenſus anxietatis. Vt perſpicue omnia haec intelligantur, anatomico oculo conſiderandum venit rete malpighianum, efformatum ab arteriolis vltimis pulmonicis, cum venulis minutulis anaſtomoſi iunctis, quod omnem cellularum ſuperficiem vndique cingit. Deinde ſciendum nobis eſt, egreſſo aere ex pulmonibus, et finita exſpiratione collabi, ſibique invicem incumbere in planitiem ſubſidentes bronchiales cellulas, vaſculaque omnia retis eapropter coarctari multum, infra naturalem ſuum diametrum. Tandem perpendi debet, dilatato thorace, ab ingrediente per arteriam aſperam inſpirato aere, inflatas ſenſim ex ſua planitie aſſurgere, ac increſcere veſiculas; dumque nunc exacte ſphaericae redditae, non niſi in vno puncto ſemet invicem tangunt, naſci inter eas ſpatia intermedia, vaſculaque retis ibi locatu dilatationem maiorem, maiorem ſanguinis influxum et transfluxum permittere, eoque momento temporis circulum ſanguinis per pulmones eſſe liberrimum, cum e contra ſub exſpiratione ob cauſam dictam iter ex arteriis in venas penitus ſit intercluſum. Patet igitur ex his omnibus, mutuam habitudinem aeris, et ſanguinis, pulmones ingredientis, perpetuo ſupponendam eſſe, vt facilis ſuccedat reſpiratio. Quodſi nunc ponatur, vaſcula retis nimis eſſe turgida rarefacto ſanguine,

guine, corde copioſius et celerius expulſo, neque reſpondere depletionem arteriolarum, tranſitumque ipſum ſanguinis in venulas, earumque ramos maiores, ad venam pulmonicam tendentes, affluxui perenni, vaſcula retis oppleta nimis et diducta vltra modum, reſiſtent explicationi illarum veſicularum quos coronant, atque aerem inſpirandum non decenter admittent, neque ſeſe vndique diſtendi in ſphaericam figuram faciles patientur. Igitur ſenſim omnis ſanguinis circuitus per pulmones reddetur difficilior, qui vt nihilominus vtcunque promoveatur, labor maior imponetur muſculis, reſpirationi inſervientibus, et ex ſolo mechaniſmo, et ex voluntatis imperio accedente agentibus. Conſtat vero per Experientiam IX. Opium motus animales labefactare, omnes ergo potentiae animales, quae cum vitalibus reſpirationem cui hae ſolae non ſufficiunt, abſolvere ſolent, iam erunt debilitatae, quare tanto difficilior eadem reddetur. Sed longe eminentior excludetur in ſpirando difficultas et anxietas, ſi Opio fortius agente diducta a rarefacto ſanguine vaſa vicinos vitales nervos comprimant, vel alia ratione quacunque imminuatur cordis motus, et neceſſario reſpirationi ſervientes muſculi langueſcant, hisque ſimul ac ipſi cordi debilitas ſumma, ad paralyſin vergens inducatur. Atque tum aderit illa reſpiratio parva et frigida, quam apud bibentes Opium cum convulſione iam notavit *Aetius* h) haec eſt illa diſponea, quam memorat *Freindius*, i) quamque deducit ab Opio nimis libere exhibito, atque a ſanguine ita attenuato, vt arteriae cerebri latius quam par eſt diſtendantur, atque nervi ii vbique interſerti, valide comprimantur, hacque ratione ſpiritus minima copia ſecernantur, aut intercipiantur penitus. Haec vero diſpnoea ſi ſemel adſit, multum periculi ſubeſt ne homo brevi ſpirare deſinat, neque protrahendae vitae coniunctum omnium muſculorum reſpirationi dicatorum, iam mire labefactatorum officium proderit, neque in ſubſidium vocatae Serratorum, Scalenorum, Rhomboidei,

h) *Tetrab. IV. Serm. I. p.* 69.

i) *Emmenol. cap. XIV. p.* 139. 140.

dei, Trapezii, Cucullaris, laborioſae actiones ſufficient, ſed thorace aegerrime dilatabili, exſpirata a ſuo corpore ſecedet, anxia et agone perfuncta anima.

§. V.

EXPERIENTIA V.

Opium ſanguinem rarefactum copioſius determinat ad Caput.

Valida cordis ſyſtole expreſſus in canales ipſius ventriculis annexos ſanguis, non poteſt non ſtatim magna vi pelli verſus caput, cum corotides arteriae illum eo deferentes, primi ſatisque notabiles rami, ex arteriae aortae trunco emergant. Neque negari poteſt, ipſum hunc ſanguinem propter tantam cordis viciniam, in omnem cerebri ditionem fortiori adhuc nixu incurſurum fuiſſe, niſi in arcum deflexa magna arteria praecipuum impetum eius aliquantiſper retunderet, antequam rectiſſimo decurſu exporrectis carotidibus, ad caput ablegandus tradatur. Nemini itineris harum arteriarum, ac multiplicium ramificationum, quas internae carotides per meninges diſpergunt, bene gnaro, dubium eſſe poteſt eximiam cruoris quantitatem quolibet pulſu ad encephalon adſcendere, licet eam exacte definire, paulo difficilior labor haberi debeat. Si totius maſſae dimidia pars verſus illud non proiiciatur, minimum tertiam eo compelli *Malpigius* k) aſſeveravit illam vero ſaltem pro ſexta et vltra habendam eſſe *Hallerus* l) cenſet. Mea iam copiam accuratius inquirere, et determinare nil intereſt, ſufficiet mihi annotaſſe, quod peritorum neminem fugere poteſt, affluentem largiſſimam hanc copiam ſanguinis etiam morari in omni encephalo diutius, cum progreſſus eius per illud, non tantum ſit dificilior et tardior, ſed et regreſſus per iugulares venas, lento ſatis gradu procedat, vt ita lenteſcente vbique circuitu, interiora capitis ſemper ſanguinis commeatu pleniſſima offendantur, quod ipſum ex ſequentibus adhuc clarius intelligitur. Nimirum

k) *Exercit. epiſtolica de Cerebro ad Fracaſtorium.*

l) *Phyſiologiae* §. 339.

mirum de fabrica arteriarum carotidum id ſingulare notant Anatomici, quod antequam capitis oſſeam capſam ingrediantur, validam ſuam et elaſticam tunicam, vnde alioquin robur omnium arteriarum pendet, confeſtim exuant et deponant. Non me latet Cl. *Ludwig* [m]) eo laborare, vt probet et arteriis cerebrinis omnino eſſe tunicas muſculoſas, contra aliorum opinionem. Interim tamen negari nequit, eas ſi adſint longe tenuiores eſſe et molliores, quam omnibus reliquis in corpore arteriis. Atque diſertis verbis Illuſtr. de *Haller* [n]) omnes carotidum ramos, qui cranio continentur tenui magis fragilique ſubſtantia praeditos inveniri profitetur, quam omnes totius corporis arterias; adeo quidem, vt non errarint, qui encephali arterias fere venas referre aſſeruerunt. Cum igitur virtus contractilis ſingularum arteriarum encephalicarum valde languida ſit, et earum praecipue, quae piae matris texturam conficiunt, mirum eſſe nequit, quando minus expedite liquida per ſuos alveos provolvunt, et tum maxime, vbi iis nimis repletae et diductione vltra conſuetam diametrum extenſa, quaſi atonicae redditae fuerint. Quia vero refluxus ſanguinis venoſi ex capite, invalidae arteriarum ſyſtoli reſpondet, venularumque vis illi adhuc longe inferior eſt, ac omnes ſinus pulſu deſtituuntur, non poteſt non ipſe etiam refluxus valde impeditus eſſe, atque ita Vniverſalis humorum circuitus per caput difficilior reddi. [o]) Accedunt quae multum ad eius difficultatem faciunt, arteriolarum ſoporalium, vtrinque inter ſe, harumque et vertebralium mutuae anaſtomoſes, atque mirae earum in orbes, et gyros, anfractusve varios, et ſerpentinos ductus, deflexae diſtributiones, et divaricationes, quibus fit, vt liquida appulſa in canalibus nullibi rectis lineis, ſed per perpetuas incurvationes incedentibus, multiplices frictiones patiantur, adeoque in ſuo progreſſu multum retardentur, atque hinc inde temporarias ſtagnationes experiantur. Quantum vero ad retardandum fluidorum in canalibus motum faciat horum

m) *diſſ. de Arteriarum tunicis.*

n) *Phyſiol.* §. 337.

o) *Conf. Celeb. Waltheri Programma de Pulſu in durae matris Sinu. Diſſertationi Platnerianae de calculo ad veſicam adhaereſcente annexum.*

p) *Traité de Mouvemens des eaux.*

incurvatio, et frictio illorum inde reſultans, ex *Mariotti* p) demonſtrationibus elegantiſſimis pulchre intelligitur. Fuere equidem, qui cum *Pacchionio* et *Baglivo* aliisque, hanc hypotheſin adoptantibus, tarditatem circuli ſub cranio iuvari nonnihil motu durae matris ſyſtaltico et diaſtaltico exiſtimarunt. Sed repugnant talibus aſſertis, moles cerebri, cum ſuis membranis arctiſſime oſſeo ſuo domicilio coercita, atque durae matris tot in locis cum eminentiis et foveis cranii, cum oſſibus temporum, ſyncipitis, occipitis, pertinaciſſima innumerabilium vaſculorum interventu ſubſiſtens cohaeſio, ita vt non niſi vi, et reſiduis vbique punctulis rubris ſeparatio ſit poſſibilis. Quare omnis alius motus meningis, quam qui ab arteriis eſt, merito imaginarius haberi debet, mirumque omnino, vnquam Viros Clariſſimos oculo haec talia vſurpantes duram matrem cor cerebri ſalutare, alternantemque illi motum affingere potuiſſe. Nihil itaque pro iuvamine difficilis circuitus humorum in interno capite meningis motum in ſubſidium vocaviſſe expedit. Atque ita quidem natura comparatum eſt, cum flumine horum per encephalon. Loquitur autem nunquam fallax obſervatio ſtatim vbi inſueta celeritate ſeſe inſequuntur pulſuum ictus, ex cauſa quacunque, caput prae aliis partibus corporis ſanguine coacervato repletiſſimum reddi. Id phoenomena tum ſolemnia, vultus tumeſcentis rubedo, oculi protuberantes, gravitas capitis, arteriarum temporalium pulſatio, ſudor faciei largiſſimus, cruor e naribus prorumpens, evidenter docet. Deinde quoque certum eſſe videtur, cum ſanguine corde expreſſo, per ramos ad caput tendentes determinari ſimul eius moleculas ſubtiliores, et leviores, cum inertes magis et graviores potius per truncum aortae deſcendentem ſuo pondere inferiora corporis petant. Diſcimus eapropter experiundo, generoſiora et in exiguos atomos ſimul diviſibilia remedia, ſanguinem ingreſſa, fere circa caput maxime ſuas vires, notis fallere neſciis, teſtari apud eos praecipue, qui

debili-

debilitate eius nativa, vel adſcititia, vaſorum puta teneritudine et laxitate, contractilitatis defectu peccante, laborant. Inde eſt, quod omnia illa, quae fortem odorem ſpirant, quaeque acri aromatico ſpirituoſo ſtimulo inſtruuntur, aut volatili valde ingenio pollent, caput ſubito petere, eidemque opletionis ſenſum inferre ſoleant. Deſtillavit *Boerhaavius* q) vrinam hominum generoſiſſima cerevisia, vino meraco, ſpiritibus ſtillatiis crebro multumque vtentium, nilque ſpirituoſi in aqua prolecta detegere potuit. Concludit igitur, ſpiritus fermentatitios vegetabiles ingeſtos, non ire ad vrinae vias, ſed petere ſuperiora, turbare cerebrum, ſenſorium commune, originem nervorum, potiusque per cutis circumferentiam tandem exhalare de corpore quam cum vrina exire. Anne ergo certum reddi videtur, Opium quod auget circuitum ſanguinis; acri ſuo et aromatico ingenio, quod volumen eius rarefacit, atque vaſa omnia eapropter diſtendit, cruorem maxime rarefactum maximaque ſubtilis volatilis rarefacientis elementi ſui parte turgidum determinare ſurſum primo, deinde etiam in vaſa omnium minime reſiſtentia? Si autem totum corpus adſpiciamus, omnia vaſa aut reſiſtunt, quantum poſſunt expanſioni, ſeſeque reſtituunt iterum, aut ita locata ſunt vt commode cedant eidem. Solum caput eiusque interiora aliter ſe habent, horum enim vaſa, et reſiſtere et cedere neſciunt. Vetant reſiſtentiam molliſſimae et inertes arteriarum cerebrinarum tunicae, vix ſyſtolizantes ſi reliquas contuearis, atque vt extrorſum cedere apte queant, vetat arcte omnia cingens et coercens oſſeum involucrum. Maximus igitur decubitus ſanguinis commoti et rarefacti ab Opio, redundat in vaſa encephali, quibus et reſiſtere et cedere neſciis, ſed affluxum iugem permittere coactis, atque propterea maximopere diductis, cedere debet, quae comprimi facile poteſt, ſubiecta pulpoſa et molliſſima cerebri medulla. Atque ab huius compreſſione maiori minorive praecipua phoenomena Opium inſequentia deinde proveniunt.

q) *Chemiae Part. II. Proceſſu* 93.

 §. VI.

§. VI.

EXPERIENTIA VI.

Opium Animum pacat, atque hilarem et alacrem reddit.

Equidem inquiſitione digniſſimum eſt, arduum autem et valde difficile explicatu, quomodo pharmacum, cuius vires in corpore ſubſiſtunt aliquamdiu, et in eodem tandem diſperduntur, et pereunt, aut per eius corticem difflantur, ſimul tamen ſimplicem illam et immaterialem ſubſtantiam, fidam omnino corporis ſociam, ſed nil cum ipſo ſimile habentem, aeque adficere queat. Dum hanc ſenſubus a quibus omnis noſtra cognitio pendet, vſurpare prohibemur, atque vinculum quod menti et corpori intercedit prorſus ignoramus, quomodocunque etiam has difficultates levare anniſi ſint acutiſſimi omnis aevi Philoſophi, acquieſcere debemus in eo, quod certas mutationes corporeas, certas quoque affectiones Animae inſequi, ac vtrasque exacte ſibi invicem reſpondere, conſtante ac nunquam fallente experientia convincamur. Certiſſimum deprehendunt Medici attenti, et in praxi praecipue numeroſa verſantes, definitum ſolidorum ad fluida habitum, qui individualem horum itum reditumque in orbem abſolvit, diverſos adeo homini mores ingenerare, mutatos toties apparentes, et in diverſis ſubiectis a ſe invicem diverſos, quoties illius habitus differentiae adeſſe obſervantur. Nil vero magis in Corpore, nil propius immutare, perturbare, emendare poſſe inclinationes mentis, eandemque ad pacatae tranquillitatis delicias deguſtandas adducere, vel affectuum turbulentorum tumultui ſubiicere videtur, quam circuitus ſanguinis per cerebri membranarumque id cingentium vaſa, ſive hac ſive alia ratione ſuccedens. Eam ob cauſam iam olim licet circulationem ignoraret, ſolarum obſervationum fide ductus *Hippocrates* magni referre edixit, quali in Corpore locati ſint Animi. Atque ſi per Venerabilis noſtri Parentis effatum, multa in corpore exiſtunt, quae acuant mentem multa quae obtundant, ſique circulus ſanguinis

guinis per encephalon, ſive acumini favere, ſive ad hebetudinem eam deducere potens eſt, quidni Pharmaca darentur, quae circulum hunc diverſimode modificando, et mentem acutiſſimam hebetare, et hebetem ac deiectam erigere, ac acuere apta haberentur. Atque non fallor, vbi inter ea eminentem hercle locum occupare Opium nunc edixero, cuius actionem primariam cui adeo mens ipſa ſubiacet, in ſanguinis rarefactione, indeque excluſa mutatione circuitus per cerebri maeandros conſiſtere, ex antecedentibus abunde conſtitit. Hos ſi ſummamus omnes apertos, fluminique alluenti et cedentes et renitentes vt decet, ſique ſimul ponamus decentem fluidorum, decenti craſi gaudentium copiam, ea vi cordis in ipſos impelli, quam leges ſanitatis poſtulant, aderit iuſtiſſimum moderamen circuli, nec in exceſſu, nec in defectu vllibi peccaturi, atque eodem tempore niſi cauſae morales obſtiterint, aderit mentis ſanitas, quae moderamine affectuum abſolvitur, atque in pacata tranquilitate, et ſerena hilaritate vnice fundatur. Pone autem nunc per cauſas phyſicas mentem ex hoc beatiſſimo ſtatu deſciviſſe, quia nempe circulus ſanguinis per encephalum a ſanitatis legibus receſſit, atque tartus et impeditus eſt redditus, nonne tum ea quae canales pervios praeſtant, quae fluida mobilia reddunt, et vegetiori pauliſper impulſu vt proiiciantur, efficiunt, quaeque hac ratione ſecretionis et motus nervoſi liquidi rectitudinem inſtaurant, nonne inquam ea omnia, illas conditiones excludent, quas mens nullis externis turbis expoſita, vt corporeo clauſtro etiam non gravetur, in eodem ad ſummi ſui boni fruitionem, neceſſario praeſentes ſupponit. Atque talibus dotibus pollet Opium, moderata doſi captum, id nempe vires cordis augens, ſanguinemque attenuans, circuitum humorum per caput, qui antea aut tardior iuſto aut naturali haud celerior fuerat, aliquantiſper iuvat, atque facili ſecretioni, impulſuique ſpirituum in omnem ſyntaxin nervoſam apprimere favet. Optime haec con-

r) *Emmenol. Cap. XIV. p. 139.*

s) *Comp. Med. Pract. cap. XIX. §. XI.*

t) *Mead de venenis p. 125.*

u) *de legibus II. p. 796.*

conſiderans Cl. *Freindius* r) Supponatur inquit, actionem Opii primariam in ſanguine attenuando conſiſtere, attenuato ſanguine neceſſario ſequitur vt vberior ſpirituum copia ſecerni debeat, hinc animus alacer, vegetus, pacatus, vigil, vires corporis inſtauratae, quod praecipue experiuntur ii, qui Opium interdiu parciore doſi aſſumunt. Sive vero hunc audiverimus, a ſpiritibus copioſioribus, deinde etiam cordis motum auctum deducentem, ſive ſtatim cum *Heiſtero* s) hilaritatem ab Opio evenientem ab auctiori circulo deduxerimus, perinde nihil a vero abhorrens in medium proferemus. Forte etiam ipſos ſpiritus mediocri doſi datum ita mutat Opium, modo nobis incognito, vt motui ſuo quomodocunque aptiores reddantur. Nollem autem cum *VVilliſio* eos ſtupefactos et attonitos redditos mihi fingere vt ſenſibilium et terribilium occurſus immoti perferant. Non vero diſputo contra eos, t) quin in ipſo ventriculo incipere gratam ſenſationem nervis illatam arbitrantur, quamvis in eo talem voluptatis ſenſum haud ponam, vt Claris quibusdam Viris placet, qui ad animi ſufficientiam per Opium enatam ſufficiat, cerebrum ab eo affectum, et circulum humorum per illud mutatum, ad eam requiri perſuaſus. Quae vero de generoſo hoc Pharmaco adſtruxi hactenus, melius adhuc concipiuntur, ſi in memoriam revocaverimus magnam illam Opii et Vini inter ſe intuitu effectuum, quos edunt analogiam, gentiumque quibus religio vinum interdicit, vniverſalem, vt meticuloſitatem et triſtitiam parumper abarceant, ad Opium recurſum. Anne autem ſi vires Opii iis finibus ſervientes apud noſtrates non in vulgus notae fuerint, ignotum alicui eſſe poſſet, quantum valeat vini generoſi hauſtus, ad mentis languores ſuperandos, ad puſillanimitatem allevandam, ac fugandam, luſusque et iocos auſteris adeo et meditabundis Catonibus movendos. A Noachi temporibus nemini de hac re dubitatum eſt, atque inter antiquiſſimos Philoſophos *Plato* u) qui vini vſum ante 18. aetatis annum iu-

venibus

venibus haud conceſſit, et quadragenariis demum Viris liberalius in conviviis indulſit, ſenibus illud multis commendat, tanquam remedium contra ſenectutis duritiem, quo reiuveneſcere videamur, et moeſtitiae nos oblivio capiat, ipſaque affectio animi ſicut ferrum in igne ex duritie in mollitiem deducta, flexibilior fiat. Pulchra habentur ligati ſermonis veterum amatoribus quae Poëtae elegantioris aevi de Vino elogia cecinerunt. Apud *Horatium* Turnus uda Lyaeo tempora populea vinctus corona

Sic triſtes affatur Amicos,
O fortes peioraque paſſi
Mecum ſaepe Viri! nunc vino pellite curas,
Cras ingens iterabimus aequor. x)

x) *Carm. lib. I. Ode VII.*

Horatius vero ipſe ita Thaliarcho ſuo ſuadet tranquillitatis et hilaritatis ſtudium, ſaeviente frigore.

Diſſolve frigus ligna ſuper foco
Large reponens: atque benignius
Depone quadrimum ſabina
O Thaliarche! merum diota;
Permitte Divis coetera. y)

y) *Ode IX.*

Atque Quinctilio Varo hilarem animum conciliaturus candide conſulit.

Nullum Vare ſacra vite prius ſeveris arborem,
Circa mite ſolum Tiburis, et moenia Catili,
Siccis omnia nam dura Deus propoſuit, neque
Mordaces aliter diffugiunt ſollicitudines,
Quis poſt vina gravem militiam aut pauperiem
crepat? z)

z) *Ode XVIII*

Vix autem alibi dotes eximias vini elegantius canit quam Ode illa qua piam teſtam ſecum natam alloquitur.

Quocunque lectum nomine Maſſicum
Servas, moveri digna bono die

Deſcende

Deſcende Corvino iubente,
Promere languidiora vina.
Non ille quanquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus,
Narratur et priſca Catonis
Saepe mero caluiſſe Virtus.
Tu ſpem reducis mentibus anxiis,
Viresque, et addis cornua pauperi, a)

Cur vero Gentilium Bachanalia viventium, atque perſaepe feliciorem venam et feſtiva gaudia ad foedae voluptatis vino accendendae illecebras extendentium commendatione, nobiliſſimi huius potus, diutius detineor? Magis placere debet Chriſtianis, in ipſis ſacris paginis collaudari vinum, Regiumque Vatem qui quod falſo de ſe iactat Ovidius, vere Deum in ſe eſſe perſenſit, quo agitante incaluit, quippe eius gratiam et beneficia canere aggreſſus, hymnorum ſuorum elegantia et ſublimitate omnem profanorum Poetarum turbam longiſſime poſt ſe reliquit, de vino non minus pronunciare, *quod Cor hominis laetificet.* b) Ipſam deinde benigniſſimam Creatoris voluntatem, optime miſerorum mortalium aerumnis cupientem, pulchre exprimunt verba Filii Salomonis. c) *Date potum inebriantem perituro et vinum amaris animo. Bibat vt obliviscatur paupertatis ſuae, et moleſtiae ſuae non ſit memor amplius.* Atque certe in vino ſolo incredibile haud expertis, ſe vere ſummum acerrimarum curarum reconditur allevamentum, ita vt apud Homerum, Helena Craterem cum vino porrigens Telemacho Vlyſſis, et Piſiſtrato Neſtoris filio, omnium dolorum lenimen omnium aerumnarum oblivionem pollicita, non opus habuiſſet adiectione Nepenthes, de quo quid fuerit multum Viri docti diſputant, aliis helenium, aliis ſolanum, aliis crocum, aliis Opium, aliis ſaltem gratas narratiunculas, pro eo habentibus. Miras interim huius Nepenthes vires recenſet *Plinius* d) atque ipſe *Homerus* e) de eo laudat, quod is qui id deglu-

a) *lib. III. Ode XXI.*

b) *Pſalm. CIV, v. 15.*

c) *Proverb. Cap. XXXI, v. 6. 7.*

d) *lib. XXV. c. 2.*

e) *Odyſſ. lib. IV. v. 220. 225*

deglutierit malorum penitus oblivifcatur, neque tota die flere poſſit, etiamſi Pater eius et Mater moriatur, vel filius et frater coram trucidaretur. Nolo fuſius hoc argumentum pertractare, id ſaltem certum eſt, et Vinum et Opium pollere illis viribus quas Homericum Nepenthes poſſidere dicitur. Vini virtus laetificans et luctum vt verum Nepenthes fugans non latere poteſt illos medentum, qui difficillimam animi morborum curationem ſuſcipere quandoque debuerunt. Non autem aliter agit in Corpus vinum, quam rarefaciendo ſanguinem, circuli virtutem intendendo, expeditius humores omnes per capitis interiora transmittendo ſecretioni quae in cerebro perficitur amicas ſuppetias ferendo, nervosque grate afficiendo. Idem vero omne Opium praeſtare toties iam commonſtratum dedi. Erit ergo ambobus et effectus idem, et argendi ratio eadem, neque mirum *Thomſonum* f) vtraque iunxiſſe, et diſſertatione peculiari morbos animi curantos expendentem Opium aeque ac vini generoſioris cyathum, Amici blandiore confabulatione conditum, pro primario pharmaco moeſtum animum adiuturo, declaraviſſe. Magnam quoque ſimilitudinem intuitu virtutis laetificantis cum Opio habet *Crocus*, tanto honore ab antiquitate eapropter affectus, vt eum aroma Philoſophorum et Medicinam triſtitiae ſalutaret. Adeo vero ipſum viribus laetificis inſtrui dicit *Boerhaavius*, g) vt in riſum fere perpetuum eius nimius vſus adigat, moderatus autem vere exhilaret. Non vero aliunde melius ille deducuntur, quam a ſanguinis quam ciet expanſione, quae ſi nimia fuerit, temulentiam, ſoporem, et amentiam, producere poteſt.

f) *p.* 136.

g) *in Chym. Tom. II. p.* 212

§. VII.

EXPERIENTIA VII.

Opium Temulentiam, Torporem, et Ebrietatem, inducit.

Vt a Vino modice epoto mens hilaris et ſerena praeſtatur; vt ab Alcohole animadvertente *Boerhaavio* h) ſpiritus animales

h) *Chem Tom. II Proceſſu* 48. *p.* 174.

males, naturales, vitales, nervi, cerebrum mirifice excitantur, et grate afficiuntur; atque vt ab vtroque impigris hauſtubus ingurgitato, mente ſui obliviſcente, et quaſi nubibus obvoluta, per gradus tandem temulentiae et ebrietati via ſternitur, ita prorſus idem illud a refractis, et maioribus doſibus Opii evenire, obſervatur. Proprium hoc eſt multis artis et naturae productis, quae principio ſubtili, volatili, vaporoſo inſtruuntur, quod vel ſolo odore, multo magis autem intus aſſumta caput valde tentent, eique gravitatem quandam, et temulentiae ſenſum inducant. Memoratu dignum eſt quod de Scythis refert *Herodotus* i) hos nimirum dum omnem vitam ſine vino tranſigebant, eam voluptatem quam alii in eius potu inveniunt, in fumo fructuum et herbarum, grato odore pollentium, et in ignem coniectarum poſuiſſe. Pyram ex his conſtructam circumſedentes, fumum inde aſſurgentem haurire conſueverunt, donec inebriati canere, ſaltare, et tripudiare, inciperent temulento tantem ſopore oppreſſi. Talis quoque energiae maxime in non adſuetis, et adhuc huius artis, in naturam noſtro tempore fere vbique abire iuſſae, tyrocinia deponentibus, ſuctus per fiſtulam fumus foliorum peti eſſe obſervatur, a quo gravitate et temulentia toties caput obruitur. Quis neſcit capiti infeſtum carbonum fumum, a quo vt periculoſiora pathemata, ita et tranſeuntem iterum qualem vinolenti experiuntur, illius obnubilationem, obſervare rarum non eſt. In vulgus etiam notum eſt, aquas minerales omnes propter ſpirituoſum et volatile elementum quod in ſe recondunt ad ſcaturiginem ſaltem appropinquantibus, et potare eas incipientibus nondumque vſui adſuetis caput valde turbare, levemque quandam ebrietatem inferre, cuius alioquin aqua ſimplex magnum eſt antidotum. Hoc phoenominon toties notavit Beatus Praeceptor *Hoffmannus* aliique ſoteriorum fontium deſcriptores, quod a pyrmontanis et ſpadanis ad ſcatebram hauſtis praecipue evenire ſolet. Multo autem magis Cere-

i) *lib. I. c.* 202

viſia,

viſia, Vinum, Alcohol, omniaque potulentorum genera fermentatione producta, tenuiſſimo ſuo ſpirituoſo principio, quo turgida ſunt, tantoque fortius, quo illo ditiora ſunt, cerebrum offendunt, atque temulentiam cauſantur. De fermentante cereviſia vel muſto exhalans venenoſae activitatis ſpiritus, qui loco vndiquaque clauſo coercitus, ſi naribus hauriatur ab incauto, ſubitaneam mortem inferre aptus eſt, apertis etiam cellarum feneſtris, aere eas libere perflante, e longinquo ſaltem inſpiratus, temulentam capiti gravitatem inducendo ſapientes et periculi gnaros arcet. Quin et recens vinum, ex vno Cado in aliud transfuſum manus operae admoventes effluviis inde aſſurgentibus aeque reddit torpidos, et ebrios, ac ſi illius largos hauſtus eduxiſſent.[k]) Solus dein alcoholis vapor, diu magnaque copia nares ferens notante *Boerhaavio* temulentiam ſummam inducit. Sane Operarii qui peracta deſtillatione, evaſis vinacea fumantia educunt, ac vaſa ſpiritu Vini plena in doliis reponunt, omnes fere temulenti fiunt,[m]) quin et gallinae et reliquae aves cortales, ſues, aliaque animalia, quae in hiſce locis degunt, et calentibus vinaceis e cadis extractis paſcuntur, temulenta redduntur. Tanta vero eſt huius ſpiritus ſubtilitas, omne encephalon pervadens, vt in inciſo Ebrii cadavere, odor eius manifeſtus, ex cerebri ventriculis exierit animadvertente *Schradero*.[n]) Tale autem individuale ingenium, talesque vires, tribuendae non minus videntur Spiritui Rectori corpus Opii inhabitanti, licet eadem hic ac ibi ſubſit explicationis difficultas, qua ratione is vel naribus hauſtus, vel per interiores vias corporis ad cerebrum delatus, hoc cum nervis ex eodem prodeuntibus, ad ſtuporem tenuiſſima ſua materie adficiat, effectusque adeo ſenſibiles edat. Vix interim dubitationi locus eſt, activum et inebrians principium aquarum mineralium, cereviſiae, vini, alcoholis, Opii, quanquam diverſum ſit inter ſe, quanquam vnumquodvis ſuis propriis, et ab aliis differentibus poteſtatibus gaudeat, in

k) *Rammazzini de Morb. Artivicum Cap. XX.*

l) *Chem. Tom. II. Proc. XLII p. 175.*

m) *Rammazzini l. c.*

n) *Dec. II. obſ. 7.*

in eo tamen ſibi eſſe ſimile, quod ſi elaſticum, quodque praeter vim ſpecificam, qua inexplicabili ratione in nervos eorumque originem agit, ſanguinis reliquorumque humorum particulas a ſe invicem dimoveat, omneque illorum volumen rarius et turgidius reddat. Inde enim fit vt cedere iuſſi vaſorum parietes ſibi adiectas ſubiectasque partes tendant, gravent, premant, vibrent, atque ita functiones naturales earundem immutent. Hoc ſi accidere ponamus vaſis capitis internis, cerebrique corticalibus ſubiacentique ipſis pulpae medulloſae, quorſum alcoholis et Opii ſubtiliſſimae particulae, ob levitatem ſuam veloces adſcendunt, aliquantiſper mente concipere poterimus Temulentiae aetiologiam, quam abſolute perſpicuam exhibere, vix vnquam licebit. Scilicet repletis nimis ab intumeſcente ſanguinea maſſa, canalibus omnibus interioris capitis, novoque eiusmodi per citatiores cordis ictus commeatu iugiter advoluto, magis implebitur cum meningibus cortex, et expandetur quam medulla reſiſtere haud ſatis neſcia, ſine ſui officii impedimento fert. Igitur non amplius moderato et placido flumine, decurrent per ſuos alveos humores in cerebro, ſed ſemper inaequali vi arietantes invaſorum parietes, hic impetuoſius appellentes, illic ſibi ipſis remoram obiicientes, hic ſufficiente renixu excepti, transpreſſique fortius, vel retropulſi, illic renitentem potentiam eludentes, coacervatique, et ſtaſin temporariam experti, valde inordinato circuitui anſam ſuppeditabunt. Eapropter propinqua vaſis ita praeter nuturalem ordinem nimis extrorſum diductis, fila nervoſa, ſive libere adhuc in medulla excurrentia, ſive iam in faſciculos adunata, duraque et pia meninge involuta, mox vibrationibus reciprocis vexabuntur, mox comprimentur, ſuique etiam inquilini liquidi immutationem in craſi et motu patientur. Sic autem male affectis nervis efficietur facile, vt commotis et trementibus fibris retinae viſibilia obiecta fixa licet, loco moveri, et in gyrum agi videantur, relinquarumque ſenſationum omnium nego-

negotium multis modis immutetur, et inhibeatur, ac ex idearum ſiniſtra perceptione, laeſaque earum iuſta coordinatione, clararumque alias obſcuratione, miſcella, tumultuque Phantaſia depravetur omnis, rationisque exercitium peſſundetur. Hinc tandem huius imperio everſo, quo magis a temperie ſua cerebrinus circulus recedit, eo magis effraena morum a naturali conſuetudine abludentium licentia, hinc hilaritas ad ſtultitiam effuſa, hinc iocorum male ſalitorum abundantia, hinc rixarum ſine illata iniuria motarum turbines, hinc iniurioſa et nemini parcens audacia, hinc verboſa loquacitas, hinc hirciens petulantia, turpisque impudicitia et quae ſuperſunt foeda invaleſcentis ebrietatis comites. Atque integrum hoc ſodalitium Temulentiae ab Opio productae, quae a vino proficiſcenti eſt ſimillima, deſcriptum legere licet, apud *Alpinum* et *Kaempfferum* et *Bellonium*, locis in ſuperioribus iam allegatis. Neque antea ad priſtinos mores redit, ſibique redditur homo, vel vino vel Opio ebrius, quam donec facta per cutis poros exſpiratione ſpirituoſorum et vaporoſorum elementorum, per omnem ſanguinem oberrantium, reſtitutum fuerit circulo ſanguinis per encephalon iuſtum moderamen, humoribusque acribus redditis blanda ſua redierit temperies, atque intra naturales terminos reducta iterum fuerit eorundem turgeſcentia. Ab hac quippe omnia pendere Ebrietatis phoenomena, vel inde luculenter conſpicitur, quod ea quae celeriter deprimere ac compeſcere valent dictum ſanguinis turgorem, illam protinus diſparere faciant. Inde nimirum eſt, cur ebrietati adeo ſit adverſum acetum, eiusque ſpiritus, vt eam cito domet, ac ſomno vinoque ſepultos ingeſtum excitet. o) Inde porro eſt quod Ebrio adminiſtratam venae ſectionem ſubitaneam ſobrietatem reſtituiſſe memorent *Acta Haffnienſia*: p) Nil enim citius minuendo quantitatem rarefacti cruoris, reſtituere poterat molis per vaſa movendae, et ſpatii per quod volvenda erat, deperditam proportionem. Sed et haec duo

o) *Boerh. Chym. Tom II. p.* 185.

p) *Vol. V. obſ.* 72.

 reme-

remedia quadrant optime, quando a maiore doſi Opii orti ſunt effectus nimii, quos vt iam dictum fuit, in antecedentibus, non alios eſſe aſſeruit *Mead*, q) quam ſummam ebrietatem.

q) *de Venenis* p. 130.

§. VIII.

EXPERIENTIA VIII.

Opium acumen Senſus obtundit, et natos dolores ſedat.

In vulgus notus eſt elegans hic, et ſaepe adeo exoptatus Opii effectus, rationem autem eius variis modis ſibi concipiunt clariſſimi in arte noſtra Viri. Sunt qui quaſi Stahlianorum dogmatum ſectatores metaphyſici quid et moralis, in ſedativa Opii virtute quaerere videntur. Inter eos ipſe *Freindius* r) animo Opio refecto ſenſim obrepere doloris oblivionem contendit, atque non aliter *Iones* et *Mead* s) magnam partem operationis ponunt in grata et voluptuoſa ſenſatione, cuius occupatione mens ab omnibus ingratis avertatur, easque non cogitet amplius, et ita ad requiem et pacem diſponatur. Licet vero negari nequeat, id quod etiam iam ſeorſim tanquam rem per Experientiam VI. evictam elocutus ſum, Opium opportune exhibitum, tranquillam quandam ſufficientiam, et ſerenitatem animo elargiri, vt epotum vinum, tamen phyſicam quandam mutationem hominem in corpore pati, quando dolore vexatur, et hanc phyſicam mutationem mutari iterum, et ad illam conditionem reduci, quae per ſanitatis leges obtinet, quando dolor remedio tollitur, facile clarum eſſe exiſtimo. Primam quippe operationem omnia remedia in corpus, minime vero in animam edunt, quod fere Stahlio et aſſeclis viſum eſt, dum eius hypotheſis animae intentiones mutatas ponit, et ex his demum effectum mutatorum motuum in corpore. Nullus quoque hactenus inventus fuit in natura rerum modus, qui licet aliter ad recreandos et exhilarandos mortalium animos aptiſſimus

r) *Emmenol. Cap. XIV. p.* 139.

s) *de Venenis pag.* 128. 129.

mus habeatur, ita illos dum corpora dolorum furiis torquentur, avocare queat a perceptione moleſtiſſim ſenſus, vt eo haud afficiantur. Avarum finge, auri ſacra fame laborantem, tenuibus etiam vſuris, quas iuſto tempore perſolvit egenus debitor, ſumma hilaritate perfuſum, nunc diriſſima podagra affectum, ſentiet ſane atrociſſimum malum, ſi vel multa aureorum millia corradenti occaſio ipſi naſcatur. Paucis dicam, vix bene pronunciari poteſt mitescente ab Opio dolore, quod mens hilaris reddita illum nec curet, nec ſentiat, ſed potius certum eſt, ſi dolor adfuerit eius ceſſationem demum exhilarare mentem, quae poſitis definitis corporis conditionibus phyſicis, ingratis triſtibusque ideis afficitur, non antea facile eliminandis niſi mutatis his conditionibus corporeis. Neque etiam diffitentur *Freindius* et *Mead* Opii virtutem agentem in corpus, vt in antecedentibus apparuit, ſaltem ſi rigoroſius examinetur eorundem aetiologia, ſublati doloris quam tradidi, eam pro minus accurata et vera habendam eſſe conſpicitur.

Vt autem quae de ſenſu per Opium obtuſo reddito, et de ſopito per Opium dolore ediſſerenda ſunt, melius intelligantur, petendae ſunt ex ſenſus et doloris Theoria propoſitiones ſequentes, quas tanquam certas aſſumere licebit.

1. Fluida noſtra nulli ſenſui, nulli dolori ſunt obnoxia, ſed ſolida ſaltem, et inter ea nervi eorumque filamenta.

2. Nervi vero ſaltem ſentiunt et dolent, tanquam canaliculi fluidum ſuum vehentes, nam nervi concreti et mere fibroſi nil ſentiunt, exemplo pilorum et vnguium, qui ex concreſcentibus et induratis nervulis oriuntur.

3. Senſus naturalis ſemper ponit determinatam actionem corpoream in partem vere ſenſibilem, nervorumque huius cum ſenſorio communi nullibi interceptum Commercium.

4. Filamentorum nerveorum cavorum, ſive canaliculorum vltimorum, in Corpore humano, ea conditio, quae perdu-

perdurans et aucta ſemper minuit puncta contactus, et ita pergendo inferret metum ſolutionis continuitatis elementorum nervum conſtituentium, ſeu quod idem periculum rupturae, a cauſa quacunque enata, creat dolorem.

5. At ipſa perceptio doloris, vel idea eius ex deſcripta conditione nervi menti naſcitura, ponit integram libertatem commercii inter cerebrum et nervum affectum, ſeu actionem mutuam vtriusque in ſe, minus impeditam.

6. Libertas huius commercii actionisve mutuae abſolvitur libertate fluxus perennis liquidi tenuiſſimi, a cerebro ad nervum, a nervo ad cerebrum.

7. Sublata hac fluxus libertate et perennitate per nervum et cerebrum, diſſectione, vſtione, compreſſione, ligatura nervi inter cerebrum et ſedem cauſae dolorificae, aut compreſſione cerebri eiusque medullae, quae conſtituit ſenſorium commune, ceſſat perceptio doloris, licet cauſa pergat agere, imo vero ſi vel egerit fortius ac antea.

8. Cauſae ſenſus praeternaturalis, ſeu dolorum, ſunt omnia, quae applicata nervis premendo, trahendo, diſtendendo, vulnerando, rodendo, ſolutionem continuitatis eorum intentant.

9 Preſſio, tractio, diſtenſio, vulneratio, roſio, agit in villos nervoſos, actione ſolenni ſtimuli, et huius vi, lege corpori inſita, invitat maiorem liquidi nervoſi affluxum, hinc villorum partis contractilitate naturali aucta, ſequitur criſpatio, ſtrictura, ſpaſmus, aliquando totum corpus adficiens.

Redeo his exhibitis, ad indagandam virtutem Opii, in ſedantis doloribus, modo deſcriptio naſcentibus. Circumſpicienti occurunt Viri docti, qui cum *VVedelio*, t) quem nominaſſe ſuffecerit, hoc remedium, dum ſomnum inducit, id

t) *Opiol.p.*81.

id ſimul efficere aſſerunt, vt quemadmodum aliorum malorum moralium, ita et dolorum, inter phyſica facile primorum, homo obliviſcatur. Hanc ſententiam etiam omnino ſuam facit Cl. *Young* a ſomno artificiali ad vnum omnes Opii effectus deducens. Sed tutius inverſo hoc ordine aſſeri poterat, Opium dum dolores ſi adfuerint ſopit, Pervigilium tollere, et ſomnum inducere, aut ſaltem vna operatione ſimul praeſtare vtrumque, ſi ſimul ſuperentur dolores et vigiliae. Etenim ſi verum foret, ſomnum inductum eſſe cauſam indolentiae, antea, Opio exhibito, non ceſſarent dolores, niſi impetrato ſomno, verum experiundo aliter rem ſe habere diſcimus. Habet inter alios *Ridlinus* [u]) Pharmacum Opiatum, dolorem ſedans ſine ſomni inductione. Gravida ſcilicet odontalgiam aliis fruſtra oppugnatam theriacae coeleſtis gr. IV. omnino levatam ſenſit, tota vero nocte vigilavit. Atque ſimiles hiſtorias adduxi dum Experientiam VI. tradebam. Ipſe etiam modo laudatus *VVedelius* [x]) alibi non negat, Opium interdum dolorem magis ſedare, quam ſomnum facere, hocque praeſtare extemplo, ceu ad imperium quoddam, vt adeo non per ſolum ſomnum, ſed et absque eo propria virtute illos fuget. Eadem ratione absque ſomno vel priusquam acceſſerit, vel poſt eum finitum dolorem ſedari ab Opio optime notavit *VVillis.* [y]) Eleganter quoque rerum vſu edoctus van *Swieten.* [z]) Saepe accidit inquit, minori doſi data Opiata dolorem compeſcere nullo tamen inducto ſomno, dum pacatiſſima menti et corpori naſcitur quies. Perperam igitur a ſomno, quem ciet, deducitur virtus Opii anodyna. Alia autem ratione, doloris conſopitionem, et maxime ſi ille pendeat ab acri materie, nervo infixa, per Opium explicat *Lindeſtolpius.* [a]) Quamdiu cor valide agit in ſpiculum dolorem perennare dicit, ſed cum cordis impetus ſiſtatur aliquantum flacceſcere per ſomnum totum corpus, et decidere loco ſuo ſpiculum affirmat, non aliter ac culter manu dormientis ſuapte ſponte flacceſcente excidit.

u) *lin. med. Ao.* 1696. *Menſ. Mai. obſ.* 14.

x) *Opiol. p.* 87.

y) *Pharm. Rat. Part. I. p.* 182.

z) *Comment. Tom. I.* 325.

a) *de Venenis cap. X. theſ.* 73.

Negari nequit, efficere poſſe Opium, vt fibra liberetur ab actione inhaerentis et pungentis ſpiculi, at vero hunc effectum deberi circulo mitiori, et tardiori, per Opium reddito, id falſum omnino, quia Opium circulum potius accelerat. Sed acrimoniam humorum cauſam dolorum contuitus laudatus *VVedelius*, b) Opio tribuit vim liquidorum ichorumque acrimoniam et mordacitatem temperandi; a qua ſubinde filamentis nervoſis exeſionis et rupturae periculum immineat. Conſtat autem Opium nihil blandi, nil demulcentis, et incraſſantis in ſe fovere, ſed potius propria ſua acrimonia fero omni morſicantem acrimoniam inducere, neque experientia evictum eſt, hanc acrimoniam Opii, acrimoniae cuidam alii ſpecificae humorum ſuperandae aptam eſſe, quemadmodum acidam acrimoniam alcalinae, et vice verſa: Nil ergo veri et huic aetiologiae ineſt. Certius *VVedelio Freindius* c) dum aliam doloris cauſam praeter acrimoniam conſiderat, obſtructionem nempe canalis, fibras huius nerveas diſtendentem, et vim vitae auctiorem invitantem, qua illae tanto fortius diſtendantur, Opium illam obſtructionem tollere poſſe, et ita ſimul tollere dolorem edixit. *Cum Opium* inquit *ſanguinis particulas attenuet*, facit, vt ſi quid in arteriolis haeſerit, iam in venas traiici queat, vnde remota omni obſtructione ceſſat ille, qui ab humoribus ſtagnantibus frequentes oritur dolor. Eleganter ſane! neque ego negaverim ſi hoc obſtaculum ab Opio fuerit attenuandum, et mobile reddendum, feliciter cauſa ſublata, ceſſaturum, effectum, dolorem. At vero nil praerogative prae aliis quibuscunque indicatis attenuantibus hic quidem poſſideret Opium; permanentibusque obſtaculis eiusmodi, et perfracte permanentibus cauſis aliis, tamen congrua doſis Opii ad tempus ſaltem ſuſpendit dolorem, quare haec explicatio non exhaurit aetiologiam virtutis anodinae, qua pollet Opium genuinamque rationem effectus adeo vniverſalis nondum ſuppeditat. Ad hunc curatius attendens *Thomſon* d) et in genere conſideratam

b) *Opiol.* p. 81.

c) *Emmenol. cap. XIV.* p. 139.

d) *Diſſertationum* p. 122. 123.

tam

tam doloris indolem ante oculos habens, melius huic negotio ſatisfecit. Scilicet dum compreſſio nervi valet efficere, vt cauſae dolorificae infra compreſſam plagam conſitae, effectus non ſentiatur; fluxus liquidi nervoſi commercio inter cerebrum et locum affectum per compreſſionem illius nunc intercepto; a rarefacto ſanguine, compreſſionem hanc efficiente, atque ab hac ceſſationem doloris apte deduci poſſe, ratus eſt. Igitur arterias cruore rareſcente dilatatas liquidi nervoſi influxum praepedire in partem affectam ſcripſit, eaque propter etiam magis et minus dolores ſedare Opiata aſſeruit, quo magis aut minus nervis affectis arteriae ſunt propinquae, a quibus illi comprimi queant. Ex hoc etiam principio Odontalgiam et dolores colicos prae reliquis tollere dicit Opium, illam quoniam ramus caroditis externae ramum quinti nervorum paris per dentium ratices comitetur; hos quoniam nervea ventriculi et inteſtinorum ſubſtantia tota operiatur, copia arteriarum coelicarum, et meſaricarum. Interea dolores arthridicos, quod nullis conſpicuis arteriis perioſtia in articulationibus inſtructa ſint, ni forte ſudor conferat, vix levari ab Opio contendit. Dein ego haec omnia *Thomſono*, neque contra eum diſputem, de arteriis rubris ligamentorum et membranarum, iuncturis Oſſium ſervientium. At vero licet evictum ſit, compreſſum nervum inhabilem ad ſenſum reddi, atque eapropter haec eius ſententia a compreſſione deducta habeat omnino, vnde ſe tueatur, aliasque aliorum valore ſuperet, tamen ego crediderim neminem Practicorum ſingulare aliquod diſcrimen animadverſurum eſſe in doloris lenimine prompto, et certo, ſive granulum Opii Podagrico, ſive colica laboranti, iuſto tempore exhibuerit, ſi gradus doloris ac cauſarum vires pares fuerint. Novit certe *Boerhaavius*[e]) qui ob podagram Opium aſſumſerunt, quique iurarunt ſe ſtatus illius perpetuitatem omni re quae ſibi pretioſiſſima eſſet, libenter redemturos, ſi liceret manere talibus, quales fuerant poſt Opii praebium. Quando igitur Podagricus Opio non minus ſibi parare pot-

e) *Praelect. Tom. VI. p.* 146

eſt dolorum inducias, ac colicis et cardialgicis cruciatubus affectus, debet ſubeſſe ſi hypotheſis *Thomſoni* conſideretur, alia ratio leniminis, quam nervorum partis affectae ab arteriis incumbentibus preſſio. Quodſi autem vbicunque locorum hoſpitentur in corpore dolorum furiae, Opii pacans imperium perinde agnoſcant, quod ſi verum ſit compreſſionem nervi parere eius indolentiam, cur non ſtatim in explicanda vniverſali dolorum ab hoc pharmaco medela compreſſionem ponimus in origine nervorum, ſenſorioque communi, a quo liquidum per omnes corporis nervos conſtanter amandatur; ad quod ab omnibus nervis refluum iterum redit, cuiusque adeo compreſſio paulo vniverſalior, omnem in corpore ſenſum, omnem dolorem ſuſpendit. Maluerunt ab hac compreſſione Encephali, quam a compreſſione nervi alicuius pulpam cerebri eiusque continuationem egreſſi, et longius ab ea remoti, derivare vim Opii anodynam *Bergerus* et *Hoffmannus*. Prior f) a moderata compreſſione cerebri ſenſuum dolorumque ſilentium, a graviore ipſam paralyſin, ſenſumque adeo prorſus abolitum deducit. Poſterior g) a ſanguine tardius voluto pauciores ſpiritus ſecerni, hincque debitam tenſionem nervorum quae fit a ſpirituum influ, quaeque neceſſaria eſt ad ſenſationem in partibus, perire, indeque indolentiam evenire profitetur. Prorſus eadem ratione *Hambergerus* h) a coacervato in capite et ſtagnante ſanguine, tubulos nerveos comprimi ſpiritusque fluxuros ad partes impediri atque ita dolores ſedari ſcribit. Pulchre quoque dixit Cl. *Geoffroy* i) Sublevantur ab Opio dolores aut ſedantur, non quod doloris cauſa tollatur, ſed quod compreſſio, nervoſi ſucci in nervos influxum inhibendo, impediat, quo minus irritationis ſentatio a parte laeſa ad nervorum principium, ſeu animam vsque perveniat. Sive vero tantum nervus ille qui ramificationes ſuas ſpargit ad partem affectam, in ſuo decurſu, ſive eius origo in medulla cerebri comprimatur, fibrae partis antea vellicatae, irritatae, criſpa-

f) §. XI.

g) *diſſ. de Operatione Opii* §. 18.

h) *diſſ. de Opio* §. 47.

i) *Mat. Med. Tom. II. p.* 700

tae,

tae, et contractae, per actionem cauſae dolorificae, iam deficiente ob compreſſionem influxu nervei roris, relaxabuntur, ceſſabitque motus qui in dolentibus fibris obtinet, atque irrita erit omnis vis acris ſtimuli, quin hic excidet forte laxatis illis. Non igitur vana eſt eorum explicatio, qui Opium per compreſſionem cerebri relaxando ſpaſmo dolorifico conſtrictas fibras, actionem ſuam anodynam exequi affirmant. Verum enim vero, et haec compreſſio vix videtur ſufficiens aetiologiae, quam explanare laboro, licet legibus motuum in noſtro corpore apprime reſpondeat. Teſtatur nempe Illuſtris van *Swieten* k) Opium adeo adhuc exiſtens in ventriculo, iam tollere doloris ſenſum, mira quadam neque facile explicabili virtute. Non equidem negari poteſt Opii vis ſanguinem rarefaciens, neque a rarefaciente vi emergens nervorum compreſſio, neque a compreſſione eveniens eorum indolentia. Sane huius rei veritatem clariſſime oſtendunt ebrii, et apoplectici, quorum hi praecipue a ſola cerebri compreſſione ſopiti omnem irritationem dolorificam, et actuali et potentiali igne intentatam, nihil vel parum perſentiunt. Nonne autem de Opio aſſerere licet quod temporariam leviorem, vel et graviorem creet Apoplexiam? Ego quidem minime repugno, at Apoplecticus non ſentiens ſimul profunde dormit, ſine ſomno vero etiam quandoque, id eſt ſine cerebri onere notabili dolorem minuit et tollit Opium, neque etiam omnia rarefacientia ſanguinem aeque ſunt anodyna certa, ac Opium gaudet ergo omnino praeter rarefacientem mira quandam alia virtute, eaque certe difficulter indaganda et explicanda. Vrgent hanc et admittunt Clariſſimi in arte Viri. Et in primo ſenſus inſtrumento quod contingit, et in ſenſorio communi, Opium dolorem fugans agere in ſpiritus, forte non male iudicat *Williſius*, l) quod vero liget eos, vt ipſi placet, quod figat, demulceat, obtundat, condenſet, et coagulet, vt *Wedelio* m) videtur, id merito inter fabellas medicinales reponendum. Sine harum

k) *Comment. Tom. I. p.* 370. 371.

l) *Pharmac. Rat. Part. I. p.* 182.

m) *Opiol. p.* 81

otioſa additione, Opium dum levat dolorem, per gradus in Spiritus agere, atque non operari comprimendo aſſerit Illuſtr. *Boerhaavius*. n) Atque doctiſſimus van *Swieten* o) Pharmacum hoc ſolo attactu, nervis ventriculi inducere mutationem, quae valeat obtundere et extinguere vim cerebri ſentientem affirmat. Clarius alii determinant mutationem hanc, ponuntque eam in nervoſarum et muſculoſarum fibrarum relaxatione, contractionem et ſpaſticam ſtricturam quam dolor involvit, ſuperante. Licet Opii vim dolores levantem a grata titillatione ventriculi, ipſi menti ſentienti gratas ideas inducente, deducat Cl. *Meat*, p) tamen cum omnem dolorem comitetur partis contractio, relaxationem fibrarum, quae hoc in ſtatu conciliatur, enervare et eludere vim ſtimuli, ſimul condendit. Toties quoque *Hoffmannus* membranis nervoſis inductam ab Opio relaxationem et atoniam habet. Senſibilitatemque et irritabilitatem partium praeeunte Illuſtri *Hallero*, conſiderans *Tiſſot*, q) totus in eo eſt vt probet vtramque Opio minui. Quin omnia Experimenta quae cum Opio inſtituit in animalibus Cl. *Sproegelius* in eo collineant, vt ſenſibilitatem et irritabilitatem fibrarum Opio inhibitam demonſtrent. Quid vero aliud haec involvit, quam fibras relaxatas et in paralyſin vergentes? Tandem accuratius determinat *Alſtonus* r) quod Opium primo et praecipue operetur in nervos, quos immediate tangit, dein in eos qui cum his communicant, poſtea in illos qui ſenſubus et motubus voluntariis famulantur, denique per conſenſum in omues nervos totius corporis, et in ſenſorium commune. Simul vero quod huc maxime facit, praecipuum et obſervabilem effectum mechanicae impreſſionis Opii in nervos, fibrarum relaxationem eſſe dicit. Non interim reſpondere audet quaeſito, an haec relaxatio ſit phyſicus effectus Opii agentis in nervos ipſos, vel effectus illius impreſſionis, quam in cerebrum id exercet, atque an in fibras nerveas immediate, vel mediate agat. Satis bene eandem ſubeſſe expli-

n) *Praelect. in inſtit. Tom. VI p. 246.*

o) *loco citato.*

p) *de Venenis p. 129.*

q) *Diſcours preliminaire p. 23. 24.*

r) *Actorum Edinb. Tom. V. Part. I. Artic. XII. Sect. III. p. 199. 205 206.*

explicationis difficultatem affirmat, quomodo narcotica in nervis relaxationem paralytiam producant, et quomodo imaguncula in Retina producat ſenſum viſus. Inque omnibus rerum phyſicarum inquiſitionibus dari aliquod *non plus vltra.* Dum nullus nervus ſentit, niſi quatenus eſt propago medullae oblongatae, et ſpinalis, cerebro et cerebello continuae; dum ſenſus omnis ceſſat in nervo, ſi impedimentum adfuerit in memorato ſenſorio communi, etiamſi nullum haereat in nervo; dum dolor nervi tandem afficit et perturbat cerebrum, videtur et anodynum non levare dolorem partis, conditionemque ſolius nervi laborantis mutare, ſine mutato cerebro. Adeoque videtur Opium agere in nervum et in cerebrum ſimul, forte motum nervoſi liquidi affluentis ad partem et ab ea refluentis ad cerebrum alium praeſtare, forte et aequa vi compreſſione huius ſecretionem et influxum liquidi imminuere. Tanta quippe ſubtilitate et mobilitate pollent vapores Opiati, vt omnem humorum Oceanum perque omnium generum vaſa a rubris maioribus ad minima nervoſa, ſtupenda celeritate penetrare queant.

§. VIIII.

EXPERIENTIA VIIII.

Opium motus animales debilitat.

Dum rationem huius Phoenomeni tradere aggredior, opportune mihi occurrunt inter aegros meos ſolito plures, qui ſeſe equidem multum levatos heſternorum pulverum, qui Opium habuerant, vſu, profitentur; at toto corpore indicibilem ſe perſentiſcere languorem conqueruntur, ſimul ſeſe placide dormiviſſe enarrantes, donec madidum effuſis ſudoribus lectum reliquerint. Vel obiter omnia haec phoenomena ſimul ſeſe ſiſtentia expendens, facile induci poteram, vt non anxie circumſpiciendum eſſe crederem, quaenam laſſitudini cauſa ſtatuenda ſit; namque eam omnes paulo largiores

res liquidorum noſtrorum excretiones inſequi ſolere certum eſt. Cumque in Praxi ſat frequentes occurrant languores et debilitates ab inanitione vaſorum, hanc laſſitudinem quam loquor, rectiſſime a deperdito per cutis cribrum ſeroſo latice derivari poſſe, valde credibile evadit. Multum ad hoc ipſum momentum prae aliis Auctoribus reſpexit *Bergerus* s) *Si eousque proceſſerit vis rarefactionis in ſanguine* inquiens, *vt motu praecipiti et aſſultim perſpiratio fiat, magna quoque copia ſuccoſi et nutritii, eiusque quod ad motionum operationes vtile et neceſſarium eſt, effluit, iacturaque earum particularum fit, quae virium ſunt Opifices, vt adeo neceſſario torpor et imbecillitas ſuccedat.* Atque ita hoc reſpectu nihil periculiaris patrat Opium, ſed id commune habet cum omnibus remediis evacuantibus, quod vires emungat, et inter ea, cum omnibus et praecipue potentioribus ſudoriferis. Verum dubitari nequit, ſi vel plane non moverit ſudorem Opium, imo vero ſi prorſus hac virtute deſtitueretur, tamen ad debilitandos et inhibendos motus animalitatis aptum fore permanſurum. Vix ergo ſufficere videtur, ad explicationem huius phoenomeni quantumvis largiſſime moti, ſudoris allegatio. Licebit igitur meliori iure recurrere vt toties iam facere debui, ad ſanguinis rarefactionem canaliumque encephalicorum expanſo ſanguine fartorum vim et gravitationem, in adiacentes nervoſas fibras, quibus in muſculoſas totius corporis omnes vnicum motuum inſtrumentum exiſtentes, magnum vtique ius eſt. Sane quantum poſſit ſanguinis vna rarefactio ad debilitandas vires animales, febres acutae ſaepius nos docent, in quibus ſubinde mox ſub initium nulla facta humorum evacuatione, pulſu fortiſſimo vibrante, et viribus vitalibus multum auctis, artuum tamen inſignis languor et ad motum voluntarium impotentia obſervatur. Non potuit hanc cauſam debilitatis a ſumto Opio facile praetervidere laudatus modo Cl. *Bergerus*, t) qui facilius ſudori ab eodem moto ſuccedere debilitatem edixit, quo citius

s) §. X.

t) *l. c.*

citius ab eadem cauſa quae ſudorem ciet, preſſae cerebri et nervorum fibrae ſuccum nervoſum minore copia et vigore transmittunt, eaque propter tum muſculos qui fundamenta ſunt noſtrarum virium, difficilius moveri, laxitatemque membrorum qualis defatigatis eſt, ſupervenire.

Conſtat ſcilicet ex phyſiologicis, eſſe equidem fibris muſculoſis ex terreis elementis et glutine intermedio coalitis, ſuum, qui ſtructurae phyſicae elementorumque appoſitioni debetur, tonum, et elaterem etiam in cadavere ſuperſtitem, villorum vero ſingulorum elaterem contractilitatem, oſcillationem, nixum et renixum vitalem, praecipue deberi ſecreto iuſta copia in cerebro, et iugiter promoto per omnes nervorum ramulos, tenuiſſimo latici. Quare omnia ſine exceptione quae ſecretionem ipſius ſuſpendunt, influxumque eius perennem in fibras inhibent, debilitatem, flaccitatem, atoniam, paralyſin fibrarum, poſt ſe trahunt, adeoque vires earum motrices penitus peſſundant, licet ſtructura phyſica cum omnibus ſuis dotibus immutata ſuperſit. Certiſſime autem id omne patrat cerrebri compreſſio, per ſanguinem Opii vapore turgeſcentem, ipſi inducta, vnde non aliter *Freindius* u) et *Hambergerus* *) debilitatem ab Opio oriundam exponunt. Atque hos, meque ipſum cum iis facientem, minime hac in re falli exinde conſtare poteſt, quod vere detur et non raro obſervetur debilitas, ſine omni iactura bonorum liquidorum, a ſola compreſſione cerebri pendens. Notat hanc ſpeciatim *Boerhaavius*, x) atque ſigna eius conſtituit functiones cerebri laeſas, deliria, ſoporem, tinnitum, vertiginem, tremorem. Scitur autem haec mala pendere a compreſſione cerebri, ſcitur quoque ea eſſe familiaria Opii aſſumti conſectaria, quare tremorem, et debilitatem, non niſi gradu a ſe invicem differentem, poſt Opium aſſumtum emergentem, rectiſſime a compreſſione cerebri ab eo inducta poterimus deducere. Igitur animo contuentes medullam cerebri energia Opiati remedii compreſſam, pendentem a com-

u) *Emmenol. Cap XIV. p.* 140

*) *diſſ. §.* 47.

x) *de cognoſcendis et cur. morbis aph.* 665.

compreſſione debilitatem motuum animalium conſiderare poterimus, tanquam leviorem aliquam, et temporariam paralyſin vniverſalem, ſive apoplexiam, exſpirante actione remedii feliciter iterum tranſituram, ſicque comprimentia vaſa ſanguifera, longe minus expanſa et dilatata nobis vt ſiſtamus opus erit, ac in apoplexia vera, nempe eousque ſaltem, vt inſita virtute reſilire iterum valeant, cum apoplectica expanſio vel plane rupturam poſt ſe trahat, vel atoniam ſummam relinquat, et tum vniverſalem inſtrumentorum motubus voluntariis dicatorum paralyſin, eamque graviorem, perennantem, et plane non ſolubilem, involvat.

Accedit praeter encephalicos canalium omnium reliquorum ſanguinem rarefactum continentium diſtenſio, qua fibrae eorum laxantur et debilitantur; accedit ipſis vicinorum tenuioresque humores vehentium compreſſio. Sique *Thomſono* praeeunte, cum ſanguine humoribusque reliquis et fluidum nervoſum ab Opio rareſcere ſtatuamus, etiam ſine compreſſione nervorum externa premens et nitens intus extrorſum hoc fluidum turgidulum redditum, flaccidum reddere id quod in nervo ſolidum eſt, ſtatuere debebimus. At vero ſalvis his omnibus, quae hactenus fuere expoſita, ea quae antecedenti §ho de ſenſibilitate nervorum ab immediata actione Opii, in eos imminuta, etiam ſine compreſſu cerebri et rarefactione ſanguinis, adiutus auctoritatibus magnorum Virorum in medium protuli ad irritabilitatem et contractilitatem fibrarum muſculoſarum imminutam extendi debent, non minus etiam ſine cerebri compreſſione admittendam. Suadent varia, flacciditatem muſculoſis fibris iam induci dum in ventriculum agit Opium contactuque nervorum eius, quos intrant vaporoſa effluvia, totum ſyſtema ſentiens, et ex voluntatis nutu movens afficit. Habet *VVepfferus* y) miras hiſtorias, quae ſummam debilitatem a venenis certis enatam probant dum haec adhuc in ventriculo morabantur, vomituque moto ſtatim eam ceſſaſſe refert. Idem praeſtant

y) *de Cicuta aquatica.*

humo-

humores inquilini, diu circa praecordia ſtagnantes, quibus emetico eiectis debilitas abit. Cur non eundem effectum edere poſſet Opium, maxime cum nervis ventriculi ſit inimicum ſua natura? An vero liquidi eorum impetum ſiſtat, an id rarefaciat, an eius craſin permutet, an id extinguat prorſus, et abſumat, penitus ignoratur. Saltem rerum vſus demonſtrat, per Opium animalem motum debilitari, qui ſuccedens ſine impedimento a ſufficiente copia et flumine libero eiusdem liquidi pendet. Tuto igitur videtur aſſeri poſſe, etiam nondum ſalutato cerebro energeticum elementum Opii inſtar vaporis, vt *Hoffmannus* [z]) loqui amat, ſeſe inſinuare altius membranarum et nervorum poris, atque ita tonum et motum ſolidis ſuffurari. Deſtructione interim liquidi nervoſi, quam inculpat, vtpote demonſtrari neſcia, ſuo Autori relicta.

z) *Med. Syſt. Tom. II. p.* 271

§. X.

EXPERIENTIA X.

Opium Somnum invitat interdum in altum ſoporem extenſum, qui ſi iniugraveſcat, accedente vera apoplexia vel convulſionibus necat.

Somni aetiologia.

Cito ſatisfecit, et prompte, aetiologiae huius Experientiae *Helmontius*, [a]) Opio virtutem ſeminalem dormitivam adſcribens. Sed ex merito falſe eiusmodi explicationem, in Ludo ſcenico Aegrum ex imaginatione ſiſtente perſtrinxit et riſit Celebris Comoedus *Molierius*. Nempe in eodem habetur Baccalaureus Medicinae, quem Doctor primus Facultatis ad examen admiſſum interrogat, *Quare Opium facit dormire?* Cui ille, *Quia in eo eſt virtus dormitiva, cuius eſt natura ſenſus aſſoupire*, applaudente toto ordine. Sine dubio facetam talem et ludicram correctionem promerentur multae aliae rationes, quas de ſomno ab Opio excluſo non infimi ſubſellii Medici paſſim ſubminiſtrant. Omnia incaſſum aguntur deficiente iuſta notione ſomni naturalis, quam non

a) *Tr. Natura contrariorum neſcia* §. 37.

b) *in Praefatione Tractatus germanici, qui inſcribitur* Joh. Gottl. Krügers Träume.

abs re Cl. *Krügerus*[b]) ſuppeditatu arduam et difficilem habet; quam tamen vt quantum poſſibile eſt aſſequamur, omnino allaborare debemus. Placuerat Creatori hominum duas illis elargiri vnitas ſubſtantias, alteram corpoream, vel materialem; ſpiritualem, et immaterialem alteram. Prior machinam exhibet ineffabili artificio conſtructam, neceſſario agentem, et dimidia quaſi ſua parte ſibi ſoli relictam reliqua dimidia autem poſterioris, quam animam vocamus, cui volendi et inteligendi facultas credita eſt, libero arbitrio, et imperio ſubiacentem. Ambae ſubſtantiae quando iugiter peragunt ſua officia, vigilare dicitur homo, quoties vero nobilior earum anima, organis corporeis ſanis, nec ab obiectis externis ideas recipit, nec nectit, neque cogitat, neque intelligit; neque vult vel non vult, paucis quoties quaſi in ſe redux, veriarique viſa et otiari, agere deſinit, dormire cominem dicimus. Non moror hic nexum confuſum et tumultuarium idearum in inſomniis, ſomnus quippe eſſe poteſt, et naturalis ac tranquillus eſt, ſine inſomniis. Sed dum agere deſinit anima, quieſcit etiam haec machinae pars, cui illa imperat, quaeque eius iuſſa capeſſit; cum igitur nullas tunc ideas recipiat, quieſcunt quoque Organa ſenſuum, cumque non cogitans voluntatis etiam arbitrium haud exerceat in muſculos ipſi famulantes, quieſcunt Organa motuum, in quae volens operatur, animalium vulgo medicis appellatorum. Perdurat interim motus alterius partis machinae, in quam nil poteſt anima, et perdurare debent, cum his in quietem vergentibus, actum eſſet de vita, quae vero iis perdurantibus omnino ſupereſt, at mere mechanica. Bene igitur ſomnus dicitur quies temporaria ſenſationis et motionis voluntariae in homine, non quieſcente interim vita. Mire ſe torſerunt ab omni tempore Phyſiologi, vt illam ſomni vigiliarumque viciſſitudinem, omnibus hominibus ſolemnem, rite explicarent, cauſasque euis veras indicarent; dolendum ſaltem illos tot nugis commentisque et ſibi, et aliis impoſuiſſe.

ſuiſſe. Horum autem recenſione tempus haud perditurus, ſed rei veritati potius intentus ſuppono: Quosque ab allato ad cerebrum ſanguine ſecernitur, et in nervorum orientium canaliculos decenti copia influit ſubtiliſſimum liquidum, ſenſui et motui dicatum, atque per hos in faſciculos adunatos amandatur, ad organa ſenſoria, et ad muſculos, eousque perdurare debere potentiam exercendi ſenſus et motus voluntarios, adeoque adeſſe ſtatum ſomno contrarium. Infero igitur exinde, ſine dubio cauſam proximam ſomni collocari debere, in abrupta et imminuta continuitate perenni influentis liquidi nervoſi in Organa ſenſoria, et muſculos voluntarios, atque in conniventia et collapſu fibrarum tenuiſſimarum, canaliculos nervoſos effingentium ab imminuto influxu pendente. Illa vere deficiens continuitas influxus poteſt oriri 1. a penuria nobiliſſimorum et mobiliſſimorum ſpirituum, nunc exhauſtorum, deficiente eorum materie in fluidis corporis, per cauſas quascunque. 2. a debilitate cordis arteriarumque, materiem organo ſecretorio cerebro haud adferentis, quae tamen penuriam ſpirituum praeſupponit. 3. ab obſtaculo in cerebro puod praeſenti in ſanguine materiei ſpirituum remoram iniicit, vt hi ſecerni et influere nequeant. His conditionibus praeſentibus ſemper aderit ſomnolentia aut ſomnus, ſive naturalis ſive praeternaturalis, et ad has, omnes cauſae ſomnum inferentes facile reducantur. Quando nunc his merito annumeramus Opium, idque ponamus homini ſaniſſimo, atque interdiu adeo exhibitum ſomnum induxiſſe, facile perſpicitur, nec defectum ſpirituum peccare poſſe, nam hos in ſaniſſimo homine ſumimus ſufficiente quantitate praeſentes, nec languorem cordis et arteriarum allegari debere, nam Opium pulſum cordis et arteriarum auget. Supereſt ergo ſaltem obſtaculum, quod nervis ſpiritus recipientibus iniici neceſſario debet ab ipſo Opio. Vix vero aliunde rectius id poterit derivari, quam a memorata iam aliquoties rarefactione, quam ſanguini inducit,

ducit, ab eo copioſius moto verſus cerebrum, et a compreſſione cerebri, nerveorumque tubulorum inde emergentium. Atque ex hoc principio ſolo, vt alia phoenomena ab vſu Opii obſervabilia, ita et ſoporem explicari debere contendunt illi Praeſtantiſſimi Viri, qui rarefactionem prae aliis vrgent. Sic *Bergerus* c) cauſam ſomni ab Opio evenientis ab aucta rarefactione ſanguinis arteriis ſolito magis dilatatis, tumoreque ſuo fibras cerebri et nervorum comprimentibus deducendam, fuſius eloquitur. Eadem ratione *Pitcarnius* d) Si ea moles aſſumatur Opii, inquit, quae poſſit eousque ſanguinem in cerebro rarefacere, vt arteriolae nervis interiectae eos plus ſolito coarctent, liquidoque nerveo tranſitum inficientur, dormire cenſebitur animal. Quin liquores quosque quamvis minus aptos rareſcere, modo ſatis magna mole aſſumantur, quae dilatationem iuſtam arteriis conciliet, ipſamque adeo aquam ſimplicem, ſic ſomnolentiam producere poſſe vrget Vir Clariſſimus. Quid ergo mirum ſi Opio ea vis inſit. Non aliter *Thomſon* e) Sanguine ait, Opio mediante expanſo, ſeu rarefactione dilatato, diſtenduntur arteriae, et arteriis dilatatis nervi imprimis cerebri in laterum contactus comprimuntur, vnde liquidi quod in nervis eſt, praepeditur fluxus et ſomnus fit, plus minus profundus, quo magis a maioribus Opii viribus arteriae nervos ſeu nervorum principia functioni animali dicata comprimunt. Deinde quoque *Freindius* f) compreſſionem validam intercipere penitus aut ſaltem minuere copiam ſecretorum ſpirituum, hinc pro ratione momenti illius, quo nervos premunt arteriae, ſuccedere ſtuporem, ſomnolentiam, et ſomnum memorat. Conſideratione vero dignum eſt, quod hiſce cogitatis Clariſſimorum Virorum ſibi ſimilibus, addit *Thomſon* g) nempe homines quo magis ab Opio ſudant, eo profundius dormire. Quo copioſior enim ſeri ſeu lymphae per habitum corporis evacuatio eſt, eo minori copia per cerebrum in nervos illam ſecerni, vnde nervorum liquidum prae debilitate magis

c) §. 8.

d) *diſſ. cit.* §. 13 14.

e) *diſſ.* 109. 122.

f) *Emmenol. cap. XIV. p.* 140.

g) *p.* 126.

magis quietum eſſe, quare et faciliorem ab arteriis incumbentibus compreſſionem, et ex compreſſione proximiore profundiorem reddi ſomnum condendit. Redit interim res iterum ad compreſſionem.

§. XI.

Scilicet elementum volatile et vaporoſum Opii, ſanguinem mirifice expandens, efficit, vt hic turgidus factus maius ſibi ſpatium depoſcat; hinc dilatat quaquaverſum ſuum vas vltra naturalem, ad violentam vsque diametrum, cedentibus vltro debiliſſimis eius tunicis. Ita mollis cerebri pulpa, cum nervorum molliuſculis tubulis, parum vel nihil reſiſtere aptis, comprimetur neceſſario, hique ſub onere incumbente habebunt naturalem ſuam cavitatem coarctatam, vel dum ſibi invicem magis appropinquant, plane pro tempore abolitam. Igitur et flumen liquidi nervoſi ad partes, et reditus ipſius a partibus, erit interceptus, et praepeditus, ſenſuumque et voluntariorum motuum ſilentio inde conſequente, aderit homini ille ſtatus, quem vocamus ſomnum. Sponte vero exinde pateſcit pro compreſſionis memoratae gradu et duratione, plagarumque compreſſarum numero, et diverſitate, ſomnum vel leviorem vel profundiorem futurum, atque artificiali hoc molimine obtentum, modo ad naturalem modo ad morboſum, et ad funeſtum propius acceſſurum, atque ita irritamenta excitare alias ſolita agniturum, vel eluſurum. Nempe conſiderare hic oportet accuratius, cerebrum omnium in corpore partium maxime delicatam atque mollem, faciliimo onere gravari, comprimique poſſe, neque ſaltem compreſſioni locum eſſe, in externa eius ſuperficie globoſa, quae per omnes ſuos ſulcos, et anfractus et intortos gyros, vaſis rubris in rete quoddam admirabile adunatis et contextis arctiſſime cingitur, ſed non minus vaſa per interiores eius concamerationes et ventriculos excurrentia, glomeresque et plexus, veluti choroideum effingentia, ſanguine

vlterius deducta.

guine raro tumeſcere ac tum in medulloſam pulpam quam immediate contingunt, durius pauliſper impingere. Inſuper cum ex hac pulpa emergentes nervi oſſeum ſuum habitaculum egreſſuri omnes cingantur tunicis vaſis rubris vt aliis omnis generis inſtructis, ruyſchianaque cera diu ob oculos poſitis, et in ea penetrare ſpumeſcentem ſanguinem nullum dubium eſt. Atque ex hac ratione, tunicas turgentiores factas et denſiores, pulpoſorum canaliculorum faſciculos quos circumvolvunt, conſtringere et comprimere nervique ipſius functionem praepedire liquido conſtat. Tandem quia evictum eſt, nervum conſtare nervulis multiplicibus, ſuisque iterum propriis membranulis involutis; atque quia iniectionibus in iuniorum maxime cadaveribus arte ſat callida inſtitutis, clarum redditum fuit, et has membranulas ſuis arteriolis venulisque rubris gaudere, quas *Loewenhoeckius* h) ſuo armato oculo conſpexit, et deſcripſit; paucis quia dubitari nequit, vaſcula talia per totam nervi ipſius ſubſtantiam reptatu perpetuo diſtribui, etiam aſſerere licet, ea omnia turgentibus humoribus ſi nimis diſtenta fuerint, ſtrangulandis quaſi quos ambiunt, tubulis nervoſis, ſuffectura fore. Atque ita quam profunde in intimiora corporis penetrare poſſit ſanguis per Opium rarefactus, quidve exiliſſimis arterioſi ſyſtematis propaginibus, vna cum vaſculis fibrillulisque in vicinia illorum locatis eveniat, clariſſime conſpicitur. Eſt vero ipſi ſomno naturali adeo propria fluidorum noſtrorum rareſcentia, vt placidiſſimum perpetuo comitari ſoleat. Dum in vtramvis aurem dormienti adſtamus, ipſius vultum turgidulum et inflatum ac rubicundiorem ſolito conſpicimus; ſique forte haud depoſito amictu, ſomno meridiano indulgeamus, ſubito quaſi obeſiores redditi veſtes, collare, calceamenta, tibialium ligacula, arctius nos ſtringere experimur, adeo vt ſolis moleſtiis eapropter natis quandoque excitemur, nulla quidem alia de cauſa, quam ex ſanguinis turgore naſcentibus, cui et prurigo et tentigo genitalium

h) *Tom. III, Epiſt. 36. p. 350 et alibi paſſim.*

ſub

ſub ipſo ſomno ſolennis adſcribi debet. Quotusquisque igitur non intelligit, tanto magis, vt alia omnia vaporoſa et rarefacientia ſanguinem, crocum, camphoram, et quae ſunt reliqua, ſine diſcrimine, et inter ea liquores fermentatos, ita praecipue Opium encephali vaſa turgito ſanguine nimis implendo, cerebrumque comprimendo, ſomnum invitare. Cereviſia, et maxime valde lupulata, vinum, Alcohol, atque ex eo concinnatae aquae vitae, noſtrique ſeculi deliciae liquores ſpirituoſi, additis ſuaveolentibus aromaticis inde parati, quotidie nobis altiſſimo ſomno merſos ſuos amatores ſiſtunt. Rectiſſime igitur vt alibi, ita et hic Opium et Vinum iungens *Freindius*, i) eodem modo ab Opio oriri ſomnolentiam et ſoporem edixit, ac a Vino liberaliter epoto inſequi ſolet. Somnum autem ab vno et altero natum praecedit temulentia et Ebrietas, cuius vltimum gradum ſomnum eſſe *Boerhaavius* cenſet. k) Soporem vero ab Opio idem eſſe dicit *Hecquetus* l) ac ſummam ebrietatem a Vino. Atque eadem omnia dicenda erunt de Alcohole ipſisque adeo ſalibus volatilibus Corn. Cervi, ſalis ammoniaci, et ſimilibus, quae non ſecus ac Opium ſomnifera eſſe ratione et vſu comprobante notat *Bergerus*. m) Conſiderent haec omnia attentius, qui caliditatem Opii non capiunt et ab eadem ſomnum apte deduci non poſſe exiſtimant. Pulchre iam *Sylvius* veritatem rei perſpexit. *Vis narcotia* inquiens n) *non poteſt ſeparari ab amarore Opii, ſed amaror calefacit, vnde calefaciens et ſopiens vis ſibi iunctae ſunt.* Cunctis his rite perpenſis, iam facile corruunt vetuſtae illae de ſpiritibus animalibus fabulae, et precariae hypotheſes, quibus quaſi per luſum et iocum ſomni Opio inducti geneſin Clari quidam Viri edocere ſtuduerunt. Spiritus animales efferos et irrequietos in extima cerebri ora conſtitutos et in prima acie excubantes, aut perimere Opium, aut ſaltem conſternare, vt intropulſi ſiſtantur, et intus recedentes otioſi decumbant, tumque vigiliis excuſſis ſomnum cieri, lepide ſane enarravit

i) *Emmenol. Cap. XIV. p.* 140.

k) *Praelect. in inſt. Tom IV. p.* 562.

l) *p.* 82.

m) *in Coroll. diſſ.*

n) *Prax. Med. lib. II. cap. XXVI. §.* 20.21.

o) *Pharmac. Rat. Part. I. Sect. VII. c. I.*

p) *Opiol. p. 41. 44. 87.*

q) *Anno* 1731. *p.* 161.

Williſius, o) quaſi Ludimagiſtri iraſcentis vices ſubiret Opium, ſpiritusque laſcivientes tanquam petulantes Pueros, duris exprobrationibus, minisque, ac verberibus, coercere. Vix melius *VVedelius* p) modum agendi in ἀνθυμίασει conſiſtere putans, ſulphur opiatum in corpore ſolutum, a ſale volatili ſanguinis, particulis ſuis oleoſis, viſcidis, balſamicis, oleoſis, porulos cerebri a vigiliis nimis apertos et dilatatos obſtruere, ſpirituumque animalium effraenem influxum impedire, iisque quaſi coagulatis et addenſatis quietem conciliari perhibet, vt miſſis exterioribus, quibus vigiliarum tempore occupabantur, ſecum habitent, et incubant in id, quod ad ſalutem Oeconomiae pertinet. Dolendum certe eiusmodi luſibus, figmentis, et crepundiis vnquam deturpatam fuiſſe medicinam, quam certiorem reddere boni illi Viri ſibi videbantur. Mitto lubens *Borrichii* et *Freitagii* opinionem, vim Opii ſoporiferam et refrigerantem vnam eandemque eſſe, declarantium. Miror valde *VVepferum*, qui ſerum ab Opio fuſum agnoſcit, id halitibus ſuis obſtruere nervorum tubulos, ſpiritubus tranſitum impedire, et ita ſomnum excludere, ratum fuiſſe. Neque bene capio quomodo recentiori tempore in *Commentarius Academiae Bononienſis* q) Cl. *Stancarius* cui tot pulchri, a ſeculi initio per triginta annos editi, de Opio Commentarii viſi eſſe poterant, oleoſis ſulphureis Opii partibus, ſerum ſanguinis ad concreſcendum diſponentibus, omnem operationem deberi, hincque effici ſtatuere potuerit, vt poſt illud aſſumtum, fibrae medullares cerebri, in quas ſubtiliſſima ſeri portio influit, non vt par eſt intendi, neque vitinarum arteriarum pulſibus reſiſtere ſatis valeant, indeque ſomnum ſequi, ſemper alias oboriri ſolitum, quando fibrae medullares ſuo liquido vivido ſatis et copioſo non ſufficienter turgitae et intentae, pulſibus arteriarum non prompte et expedite ſatis reſiſtant. Bene equidem ſeſe habet ex parte haec ſomni idea, ſed vere tenuiſſimus ab Opio redditus arteriarum cruor, gravans et premens, medullam

dullam illas cauſatur fibrarum medullae conditiones, quas ſero viſcido et concreto *Stancarius* falſo adſcribit.

§. XII.

Aetiologia ſoporis, Paralyſeos, et apoplexiae.

De hac vero arteriarum encephalicarum ſanguine expanſo turgentium nixu, in mollem cerebri nervorumque contextum, certiores redditi, ſimulque virtutis, quam cerebrum cum medulla oblongata et ſpinali per ſenſum et motum in partes omnes corporis exerit, probe gnari, facile rationem ſuppeditabimus, qui fiat, vt non ſaltem ſaepe ſomnum, ſed et ſoporem valde profundum, paralyſes, apoplexias, et ipſam mortem quandoque Opii vſus poſt ſe trahat. Multum nempe refert quem ſuae diſtenſionis gradum patiantur ab hoc remedio vaſa cerebrina, numque ſi non expanſa fuerint vltra modum ab hoc remedio, ceſſante eius energia, ſeſe iterum reſtituere in naturalem diametrum, inhibitumque ad tempus et turbatum circuitum humorum, ſuperſtite ſuo tono, denuo iterum redintegrare valeant. Id ſi bene ſucceſſerit, ſublata omni compreſſione ceſſabit iterum qui inde pendebat ſomnus, gravitateque aliquali capitis forte ſaltem reſidua, ſenſim feliciter tranſitura, reddetur cerebro ſua libertas, nullaque actio corporis aliquod detrimentum patietur. Longe vero aliter res ſeſe habebunt, ſi graviore facta rarefactione et turgeſcentia ſanguinis, diutiusque eadem perſeverante, vaſa extrorſum violenter diducta, et deperdito omni ſuo elatere reſilire neſcia, ſanguineque accumulato turgentiſſima, vehementius gravarint corticem cerebri, et ſubiectam medullam. Per aeternam etenim legem noſtris machinis praeſcriptam, vt irritata medulla cerebri, et ſpinae convulſiones extemplo oriuntur, ita compreſſa eadem paulo fortius, ſenſus et motus aboletur protinus, ſive omnis, ſi vniverſalis fuerit compreſſio, ſive in certa parte, ſi particularis ea extiterit, neque omnia haec mala ceſſant vnquam, niſi ceſſet ipſa compreſſio. In antecedentibus iam paucis de

Hh 2 dura

duratione breviori longiorique compreſſionis, locorumque compreſſorum varietate, et ambitu maiori, minorive, locutus ſum; ſupereſt nunc vt ſpecialius pauliſper haec momenta expendam. Nimirum poſt ſomnum, vel ſoporem graviorem, ab Opio tantem aut ſponte ceſſantem, aut excitantibus diſcuſſum, deterior aliquis compreſſionis effectus ſeſe manifeſtare poteſt, per natam, partialem huius vel plurium muſculorum paralyſin. Haec vero oborietur ob perſeverantem preſſionem medullae in illo puncto, ex quo praeciſe nervi egrediuntur, qui ad muſculos nunc reſolutos exporriguntur; aut medulla a vitio immuni, ſi ſanguis Opio rarefactus potiſſimum haeſerit in arteriolis rubris tunicarum, nervum hunc vel illum involventium, aut impetu vitae et errore loci tranſierit in ſeroſa vel lymphatica tunicae vaſcula. Ita enim tunica omnis intumeſcet, et pulpam medulloſam nervi quam ambit, arctius conſtringet, fluxumque nervoſi liquidi intercipiet; hinc eadem neceſſitate muſculi illius aderit paralyſis, ad quem nervus ita affectus excurrit, atque eodem prorſus modo, ac ſi nervus fuiſſet ligatus. Sic ſe habente nervo optico amauroſis, acuſtico, difficultas auditus aderit; pluriumque ad partes varias excurrentium nervorum tunicis eadem conditio ſi acciderit, ſimul plures paralyſes harum partium emergent. At magis vniverſalis morbus paralyticus, Hemiplegia tunc excludetur, ſi alterutrum hemiſphaerium cerebri, vnave vel altera medullae ſpinalis pars, ab arteriis vicinis in ampliorem molem intumeſcentibus gravata fuerit; aut ſi a tardius moto ſanguine, et in illis ſtagnante ſerum ſeceſſerit, et in gyris cerebri haeſerit vel in cerebri ventriculos illapſum, ibidem commoratum fuerit; eritque malum inſanabile, niſi incumpens pondus queat levari. Sed et poſt Paraplegiam, qua praeſente in vtroque latere medulla ſpinalis comprimitur, ipſam apoplexiam totalem nempe paralyſin, inducere poteſt ſolum Opium, quando omnem ambitum vtriusque hemiſphaerii

cerebri coacervatus in vaſis, et in ſummum turgorem adactus cruor comprimit, ita vt omnibus organis ſenſoriis, muſculisque ad vnum omnibus voluntatis arbitrio motis, negetur liquidi nervoſi influxus, tumque ſi vitam excipias ſtipitis inſtar immobilis et ſine ſenſu homo iacebit. Valde adhuc truculentior erit miſerabilis apoplectici huius mali facies, certiusque citam adferet mortem, ſi calidus aeſtuansque ſanguis vi maiore aggeſtus in capite interno, non ſaltem durae et praecipue piae matris arterias multum adimpleat et expandat, corticemque et medullam ſua mole deprimat, ſed et in corticis ipſius tubulos, licet nunquam aliter verum ſanguinem admittentes, per errorem loci, quemadmodum cera ruyſchiana nunc penetret, eosque inflammet; quale quid apoplectica ſomnolentia per acutos morbos inducta extinctorum ſectiones teſte *Boneto* r) oſtenderunt. Tumque dum ex febre delirans, ſomnolentus redditur, ante mortem iam adnata intenſe rubra tragicum cerebri ſtatum, haud fallente imagine, accurate depingit. Neque tamen ſaltem medullae oneri eſſe poteſt ſanguis rarior ſuis vaſis contentus, ſed vt iam dictum, dimittere e ſuo ſinu poteſt ſerum quod ex lateralibus tubulis elabens, hinc inde ſtagnat, cerebrumque inundatione gravat; et tum talis ſanguis nimis aliquando tunicas extrorſum tendit, hae natura ſua adeo debiles et delicatulae, coercere illius turgorem haud valentes, et cedere amplius impotentes, disrumpuntur plane, ſicque is ex alveis ſuis exſtillans ſenſim coacervatur, pulpamque molliſſimam deprimit. Atque ſi in tenerrimo reti vaſculoſo plexus chorodei, talis continuitatis ſolutio contingat, ventriculorum ſtatim cavum cruore extravaſato onerabitur, ſenſuumque et motuum exercitium propter latentem hanc haemorrhagiam primo deſinet, donec tandem increſcente cruoris copia et pondere vitalium quoque nervorum originibus incumbente, ipſa cordis ſyſtole repente ſiſtatur. Omnia vero haec mala hactenus recenſita, non ſecus ac Opium, patrare, ipſamque

r) *Sepulcher. I. Sect. III Obſ. 16. 19. 20. 36. et alibi.*

mortem excludere poſſunt; et ſolent, Vinum atque alcohol, quorum agendi modum eundem concipere debemus, cum ſuo iure ſanguinem rarefacientibus annumerentur, atque tali mutatione illi inducta, praegreſſa temulentia profundum ſomnum apoplexiae ſimillimum, cum ſtertore gravi, ipſamque apoplexiam, immoderatiori vel ſaepe repetito vſu, haud raro poſt ſe trahant. Neque opus eſt vt ſtatuamus cum *Wepfero* s) Vini et Opii particulas motas cum ſanguine penetrare in ipſas vias ſpirituum, hisque ibidem labem affricare, ſola quippe rarefacti ſanguinis moles nervos gravans ſufficit. Quin vt vinum, atque omnes liquores vi caloris et per alias cauſas ſubito multumque rareſcere promptos, ita et ſalia volatilia ad ſoporoſos affectus excludendos admodum eſſe idonea, haecque ſenſum omnem tollere nervos comprimendo, ac iter eorum incolis intercipiendo Opii ritu, praeclare notat *Pitcarnius*. t)

s) *Hiſtor. apopl. Exerc. de loco affecto. p. 235. ſeq.*

t) *diſſ. cit.* §. 14. *et* 19.

Hucusque quae de ſomno et naturali ſimili, et funeſto, ab Opio excluſo, fuere expoſita, ex ſolo rarefacti ſanguinis principio et compreſſione cerebri potuerunt deduci liquido, et ſine ratiocinorum tortura, non igitur videtur opus eſſe, vt aliunde aetiologia ſufficiens petatur. Lentam compreſſionem medullae cerebri facere ſopores, ſubitaneam vero producere apoplexiam; ſive compreſſio a ſanguine, ſive a ſero pendeat, ſive ab aliis cauſis, numeroſis obſervationibus ex optimis auctoribus collectis probavit Illuſtris de *Haller* u) Dederatque illis colligendis occaſionem *Boerhaavius* de actione nervorum ob compreſſionem medullae abolita verba faciens, ſimulque hominem Pariſiis viventem recenſens, qui ablata calvaria cerebrum ſaltem calloſa dura matre tectum circumgerebat, quique ex mechanica compreſſione eius digito cuiusvis per gradus facta, ſcintillas ante oculos habebat, caligine eorum laborabat, in ſomnum prolabebatur, et ſtertere incipiebat; apoplectico ſimillimus diſparente digito remoto ſtertore, ſomno, caligine, ſcintillis, et ſenſuum poteſtate

u) *Praelect. in inſt. Boerh. Tom. IV ad* §. 284. *nota c.*

teſtate in totum redeunte. A pluribus opus, eſt vt vim compreſſionis cerebri in ſenſus et motus animales admittamus, et ſanguini rarefacto ab Opio eam afferamus? Non videtur! Nollem tamen interea negare Opium dum ſopit ſimul poſſe agere immediate in ventriculum, in tubulos nervoſos ipſos, et fluidum quod vehunt, modo nobis incognito, quamvis id concedere nolit Cl. *Geoffroy*, x) qui blandam titillationem ſtomachi a ſalino-oleoſis particulis quidem admittit, ſed ſomnum non invadere niſi poſt ſemihoram aut horam dicit, tempore nempe requiſito, vt ſulphureae particulae ad maſſam vsque ſanguineam deferantur. Nullum dubium eſt alcohol caput petere, expandere ſanguinem, et comprimere nervos, hincque ſoporem inducere, attamen norunt Chirurgi, non minus alcohol nervis applicatum immediato contactu ſenſum inhibere, ſtuporemque ipſis inferre, notatque de eo *Boerhaavius*, y) quod nervorum extrema quae valet attingere, vno memento arefaciat, contrahat, omnique motu et ſenſu privet; atque alcohol praeſtare hoc ipſum elemento ſuo tenuiſſimo, volatili, dubitari nequit. Nonne ergo foret credibile, calefactum in ventriculo alcohol, halitu ſuo ſubtiliſſimo, quaqua verſum diſperſo, ingredi, ipſos nervos, atque mutationem craſeos, vel motus, inferre eorum liquido, hacque ratione ſomnolentiam invitare. Non repugnat *Boerhaavius* z) *a maxime volatilibus medicamentis*, inquit *evenit ſomnus, a copioſiori potu ſpiritus vini continuo ſomnus ſuccedit, alcohol ſolo contactu nervos noſtros ſtupefacit, per experimenta chirurgica. Nihil intercedit, quin idem faciat per os aſſumtum.* Atque ita in ventriculo incipit ſomnolentiae cauſa, ab alcohole aſſumto, anne idem de volatile elemento, quo Opium inſtruitur, ſtatuere licebit? Sane remedium Opiatum, ſimul ac fuerit aſſumtum, atque adhuc in ventriculo haeret, mox inclinationem ad ſomnum inferre, affirmat *Hoffmannus*. a) An aſſurgere haec conſideratio nos iubet ſententiae, quam profitetur *Iones*

x) *Mat. Med. Tom. II. p. 702.*

y) *Chem. Tom. II. p. 174. edit. Lipſ.*

z) *Prael. in inſtit. Tom. IV. p.* 563.

a) *Med. Syſt. Tom. II. Part. II. c. 7 §. 6. in ſchol.*

circa

circa ventriculum ab Opio gratam ſenſationem excitari, vt ſpiritus quieti in ſuavem abripiantur ſomnum, profeſſus? *Mead* b) certe ſomnolentiam illam, quae ſtomachi a cibo vel potu repletionem inſequitur, ad amuſſim cum Opiatorum effectubus coincidere dicit, id quod fuſius explicare laborat. *Boerhaavius* c) etiam aliquando, veluti in tranſitu, ſomnum prorſus a ſtomacho pendere aſſeruit.

b) *de Venenis pag.* 124. 125.

c) *in Conſilio de dyſenteria Conſultat. Med. Vol II. Caſu VI.*

§. XIII.

Qualis ſub ſomno pulſus, et praecipue dormienti ab Opio.

Sed miſſa vlteriori inquiſitione, quomodo id ſuccedat, cum verum actionis Opii modum in nervos nemo vnquam facile determinaturus ſit, alii potius quae ſupereſt conſiderationi, ſilentio neutiquam praetereunde, locum concedam. Monſtravi ſcilicet per *Experientiam* I, pulſum fortiorem et celeriorem reddi ab Opio, nullo tum reſpectu habito, vel ad vigilias, vel ad ſomnum; iam vero dormienti ſive naturalem, ſive artificialem ſomnum, aliis motibus ſuſpenſis, pulſus ſupereſt; quomodo igitur pulſus dormientis ab Opio ſeſe habeat, curatius indagandum venit. Vexatiſſima ſemper inter Medicos fuit quaeſtio, qui fiat, vt ſomno durante ceſſantibus cum ſenſu motubus animalibus, cordis interim motus et reſpiratio perennet, omnibusque difficilis ſolutio fuit viſa, qui in Principio quodam vitali, provido conſilio certo tempore, vt corpori neceſſaria quies praeſtaretur, a ſuis operationibus recedente, aquieſcere noluerunt. Ingenioſe ex ipſa cerebri, cerebelli, et cordis fabrica rationes huius phoenomeni ſuppeditavit *Boerhaavius*. d) Maxime vrget cerebri, cerebellique diverſitatem: illud molle, hoc compactius; illud cavitatibus inſtructum, hoc iis deſtitutum; illud ſinibus venoſis magnis cinctum, et preſſum, hoc nullis inſtructum; illud expanſile et compreſſile, hoc nec expanſile nec compreſſile; illud circulis maioribus arterioſis coronatum, hoc arteriis veniſque vt alibi ſaltem praeditum, contueri iubet: atque exinde permanentem functionem cerebelli

d) *inſtitut.* §. 600.

rebelli, adeoque permanentem motum cordis, quieſcente cerebro, deducere laborat. Verum vt cerebellum neutiquam pro ſolo cordis motore habet, cui et cerebrum licet paucioribus, et medullam ſpinalem, eamque plurimis nervis proſpicere; commonſtrat Ill. *Hallerus*; e) ita omnibus aliis momentis a Praeceptore magno ſtudio prolatis, non multum tribuendum docet. Sufficit ipſi ad explicationem, ſimplex irritabilitas fibrarum cordis, cauſarumque irritantium perennis praeſentia; inde eius motum nonniſi in ſumma inopia ſpirituum ceſſare poſſe, contendit. Quicquid ſit, perdurante per cauſas quaſcunque pulſu cordis et arteriarum, ſub ſomno, iam ſaltem quaeritur, an pulſus hic ſimilis maneat illi, qui praegreſſo vigiliarum tempore obſervabatur, an illo ſit debilior, vel fortior, an celerior, vel tardior. Multum vero in hac re a ſe invicem abhorrent, et e diametro ſibi contrariantur, doctorum Virorum ſententiae. Non vacat conquirere omnium ſuffragia, Principum in arte diſſenſum indicaſſe ſufficiet. Sub ſomno ſanguinis curſum per caput, et vniverſum corpus languidiorem eſſe, pulſumque imbecilliorem aſſeveravit *Hoffmannus*. f) Rariorem et minorem pulſum durante ſomno deprehendi, atque ſanguinis motu aucto plane non dormiri pronunciavit de *Gorter*. g) Cum Gortero ſe vires vitae et circulationem ſanguinis in ſomno naturali lentiores exiſtimare profeſſus eſt *Haller*. h) Tempore ſomni pulſum tardiorem et pleniorem reddi aſſerit *VVhytt*. i) Ex parte eadem dixiſſe videri poterat *Boerhaavius*, k) qui lentiorem in ſomno pulſum quoque admittit, ſed fortiorem ſimul eſſe dicit idque per gradus pro- vt augetur ſomnus; idemque paſſim alibi repetit. l) Neque ex alia re magis clarum reddi hoc augmentum circuli affirmat, quam a calore maiore omnibus dormientibus ſolemni. m) Verum licet pulſui forti lentum antea iunxerat, tamen etiam certis locis de celeri loquitur, addit quippe: *ſed calorem conſtat nunquam augeri, niſi corde velocius contracto, cum ſemper*

e) *in notis ad* §. 600. *et in Phyſiol.* §. 576

f) *Med. Syſt. Tom. I. Lib. I. ſect IIII. Cap. VI.* §. 7.

g) *Exercit. II. de ſomno et vigilia p.* 16. 28. 30.

h) *Prael. in inſtit Boerh. Tom. IV. p.* 505. *in notis.*

i) *Nova Act. Edinb. Tom. I. Art.* 19. *p.* 512. *edit. Germ.*

k) *Inſtit.* §. 590 *no.* 5. *et Praelect. Tom. IV. p.* 505.

l) *Inſtit* §. 597

m) *Praelect. in inſtit. Tom VI.* §. 597. *p.* 546. 549.

ſemper ſit actionis cordis et arteriarum validioris effectus. n) Ob rarefactionem ſanguinis et calorem maiorem pulſum in ſomno ſupra modum attoli et accelerari etiam ſcripſerat *Thomſon.* o) Vt ad *Boerhaavium* redeam, ex hoc capite debiliorem motum humorum, et tardiorem, maxime protractiore ſomno, nec admittere poteſt, nec admittit, niſi in vaſis lateralibus, ſeroſis, lymphaticis, nervoſis, in quibus quidem fere quieſcere liquida ipſe affirmat; in arteriarum vero et venarum rubrarum ſyſtemate, circulationem omnem celeriorem reddi, et impetum increſcere perpetuo vrget, p) adeo quidem, vt in profundiſſimo ſomno, tanquam in perfecta apoplexia, fortiſſimus pulſus adſit, totum corpus caleat, rubeat, ſudet, visque vitae eapropter multum aucta clariſſime ſe prodat. Difficulter itaque admitti poſſe languidiorem ſanguinis circuitum ſub ſomno, hinc apparet aut ſaltem, quod conſilium eſt Cl. *Thebeſii*, r) ſi conciliare aliquis voluerit diſcrepantes quas indicavi Praeceptoris *Boerhaavii*, et diſcipuli *Gorteri*, aliorumque ſententias, tempora ſomni bene diſtinguere iuvat. Mihi quidem interdum ad talia attendo dormiturientibus lentiorem pulſum eſſe obſervatum eſt, quam dormientibus, quibus brevi inſurgit, eam tamen celeritatem haud inveni in obdormiſcentibus et dormientibus quam in iis, qui alto ſomno merſi iacuerunt, quibus fere febrilis eſt pulſus, celeritatem tandem qualemcunque eo gradu ſenſim miteſcentem me animadvertiſſe credidi, quo magis ſomnus ex profundo levior reddi incipit, quoque magis vergit in vigilias. Neque abludunt ab his, quae habet laudatus *Thebeſius* in naturalis ſomni initio motus vitales augeri, ſub finem vero imminui ſcribens. Ipſeque adeo Ill. *Hallerus* s) quanquam vt dictum cum *Gortero* faciat; tamen alio loco de ſomno agens, cor a pulſu frequentiori pene febrili, ſenſim ad lentiorem illum matutinum redire aſſerit. Haec omnia interim ſaltem valent de ſomno naturali, ſub quo vbi profundior eſt, certiſſime cordis et arteriarum ſyſtole

fortior

n) *loco citato.*

o) *diſſ. de Opio Propoſ. I.*

p) *Inſtit.* §. 590. *no.* 7. *et in Praelect. Tom IV. p.* 510. 511 549

q) *Praelect. Tom. IV p.* 506 507.

r) *diſſ. de ſomno vt ſigno Lipſiae ſub praeſidio Celeb. Platneri habita p.* 9.

s) *Phyſiol.* §. 277.

fortior et celerior redditur, de artificiali et praeternaturali cuius reſpectu potiſſimum hactenus expoſita in medium protuli, nunc ſpecialius diſpiciendum. Hunc pro diverſitate cauſae qua ſexcluſus eſt, modo lentam modo acceleratam circulationem ſociam habere Auctor eſt *Hallerus*, t) ſiquidem ſi ſomnus ſit a refrigerantibus, et evacuationibus praegreſſis lentum omnino eſſe ſanguinis eo durante circuitum, celeriorem vero ſibi ab aſſumtis calidis ipſe ſomnus fuerit obortus, affirmat; priorem naturali ſimilem, poſteriorem eidem valde eſſe diſſimilem, contendit. His poſitis, ſi iam conſideretur, ſomnum profundum, licet ſit naturalis, acceleratum habere iter ſanguinis, facile conſtabit, calidius remedium Opium ſi induxerit ſomnum, non effecturum vt circulus lentior deprehendatur, ſed tanto magis, quo ſopor inde excluſus profundior et apoplectico eſt ſimilis, id aucturum eſſe vitales vires. Sique naturali ſomno obrutum corpus calore, rubore, ſudore, teſtatur rarefactionem ſanguinis, et ea excluſum frequentiorem ſyſtolen; remedium ſua vi cum ſomno ſimul calorem, ruborem, ſudorem, inferens, non poterit non magis adhuc intendere circulum, ac futurus erat ſub naturali ſomno. Certum itaque eſt vt ſine ſomno inducto, ita et cum eodem, et ſub eodem, velocius volvere vitales vndas exhibitum Opium. Verum his quae mihi extra omnem controverſiam locari poſſe videntur, aperte tamen contradicit Cl. *Whytt* u) *in diſquiſitione de differentia reſpirationis, et motus cordis, in dormientibus et vigilantibus.* In illius nempe fine aſſerit, durante ſomno naturali, ſenſibilitatem cordis adeo parum minui, vt eius motus vix magis mutetur ac mutaretur a ſitu horizontali quieteque corporis ac animi. In profundiore ſomno effectu depauperationis virium notabiliter cordis motum mutari; in profundiſſimo qui per Opium vel per ſtatum aegrum cerebri productus eſt, in quo inſenſibilitas per totum corpus dominatur, pulſum notabiliter fore tardum et plenum. Facile concedo Cl. *Whytt* quod in antecedentibus

t) *Praelect. Boerh. Tom. IV. p* 504. 505

u) *Nov. Act. Edinb. Tom. I. Art.* 19.

 tecedentibus

tecedentibus dixerat, Opium ſomnum inducens et ſenſum tactus per totum corpus minuens, magna doſi datum, pulſum efficere valde lentum, et plenum per ea quae *Experientiam I.* exponens ediſſerui. In ſe vero Opium ſemper vt ſine reſpectu ad ſomnum, ita et ſub ipſo ſomno, pulſum fortiorem et celeriorem reddere, probo facile, ex iis adeo, quae ſub initium diſquiſitionis ipſe aſſeruerat Vir Clariſſimus. Nempe quando concedit, et vltro ponit, pulſum hominis qui cubitum iturus multum biberit et ederit, ob molem ſanguinis auctam, fore non tardum, ſed celerem et plenum aut ſi in atmoſphaera calida dormiverit eundem talem futurum; hominem qui cubitum iturus aſſumſit calefaciens humores, eorumque molem rarefaciens et augens Opium non minus pulſum plenum et celerem exhibiturum, largiri neceſſario tenebitur.

Aetiologia Convulſionum. Antequam hanc de ſomno et ſopore aetiologiam deſeram, ratio mihi adhuc brevibus redenda eſt convulſionum per Opium orientium. Eam ita ſuppeditat *Thomſon* x) *Supponatur* inquit, *moles ſanguinis ſubito augeri, truduntur ita per glandulas cerebri vltra naturae modum hiantes, ob toni debilitatem moleculae nimia quantitate, et liquido nervoſo heterogeneae. Vnde ſublato liquidi nervoſi aequilibrio pars quaevis huiusmodi liquido magis irrigata in motus diſtrahitur naturae contrarios, id eſt convellitur.* Elegantius *Berger* y) ab arteriis cerebri impari modo extenſis et diſtractis, fibrisque cerebri impari modo preſſis, expreſſam in muſculos modo maiorem, modo minorem, modo nullo motus ordine, copiam ſucci nervoſi, contractiones eorum varias et convulſiones deducit; et recte. Sane Convulſiones ab Opio omnino pertinent ad Convulſiones a repletione, neque aliunde poſſunt oriri quam ab aequali fluxu liquidi nervoſi in omnes muſculos nunc ſublato. Ponantur a rarefacto ſanguine artheriae encephali ita impletae, vt in diverſis gradus expanſionis a naturali diametro ad violentam, valde inter

x) *diſſ. de Opio Prop. II.*

y) §. *XI.*

ter ſe differant. Erit ergo compreſſio ſubiacentis pulpae cerebrinae, in plagis nonnullis gravior, in aliis levior, in aliis leviſſima, aut ſi quaedam arteriae ſaltem expanſionem naturalem experiantur paſſim, in his omnino nulla. Igitur influxu nervoſi liquidi in plagis compreſſis aegre ſuccedente aut plane intercepte, in leviter compreſſis, aut non compreſſis, vtcunque fiente, aut prorſus libero, inaequalis erit fluidi nervoſi diſtributio in muſculos. Eapropter illi qui nimis parco aut nullo eius commeatu inſtruuntur, flaccidi non reſiſtent, vt decet ſuis Antagoniſtis, hi autem fortius contrahentur, inde autem oborientur varii generis convulſiones. Nil ergo obſtat harum geneſi, Opium inſtrui vi induendi fibris muſculoſis flacciditatem, atoniam, et paralyſin, ſtatumque adeo convulſionibus contrarium, nam illae ſaltem reddentur atonicae quarum nervi oriuntur a plagis compreſſis. Multum vero refert, quae loca pulpae cerebrine comprimantur, quovsque ſeſe extendat eorum compreſſio, quae plane ab ea immunia ſuperſint. Quin aliquando influxu liquidi in nervos non gravatos, ob ipſam aliorum compreſſionem naturali maiore, vnum latus corporis fortiſſime poteſt convelli altero exiſtente paralytico. An aliquid ad convulſiones faciat immediata actio Opii in fluidum nervoſum, an eius motum vel craſin mutet, et quomodo, an eapropter convulſiones poſſibiles, etiamſi nulla mutatio ſanguini encephalico accideret, obſcurum omnino et minus explicabile.

§. XIIII.

EXPERIENTIA XI.

Opium dormientibus inſomnia, vigilantibus phantasmata et deliria parit; chronicamque adeo interdum amentiam et fatuitatem inducit.

Si curatius paulo attendamus, obſervabimus haud difficulter, inſomnia maxime evenire ſolere, quando homo

haeret in ſtatu ancipiti, et medio quaſi, inter ſomnum et vigilias. Profundo enim, plando, quieto, ſomno detenti vix ſomniant, quare mane in vigilias vergentibus inſomnia frequentiora. Feſſi eapropter duroque fracti membra labore, dum dormiunt, vix vexantur ſomniorum illuſionibus. Somnioſi vero ordinarie ſunt qui otio indulgent, et vltra neceſſitatem recuperandarum virium, adulto iam die dormitant. Somnians autem qualiscunque, vere nec prorſus vigilat, nec dormit, quare omne inſomnium involvet ſtatum compoſitum, ex vigilia et ſomno. Sed vigilia ponit fluxum nervoſi liquidi liberum per omnes canaliculos medullae cerebrine, ſomnus autem hos collapſos et fluxum imminutum, ac interceptum, quare ſub inſomnio per quosdam is debet permanſiſſe vt in vigilia, dum in aliis ceſſat per naturam ſomni. Patet hine clarius quam belle *Boerhaavius* [z]) pronunciaverit, cauſam inſomniorum videri naſci, quando pars quaedam medullae cerebri equidem inanis collabitur, alia autem pars libera perfluitur ſpiritibus. Ideas ſomniis noctu fere praeben-antea longiori breviorique temporis intervallo praegreſſat ideae diurnae, aut quae paulo ante ſomnum mentem occupabant, ſed praecipue ſaepius et vividius ipſi repraeſentatae, nunc ſine ordine iuſto ſibi invicem nexae. Ergo ſomniis occaſionem dant motus quidam in ſenſorio communi fortiores, ſaepe repetiti, et habituales facti, facileque eapropter repetendi, creandisque illis repraeſentationibus pares, quae crearentur ab obiectis externis per eosdem motus, in Senſorio. Hi igitur motus reliquis ceſſantibus, per ſomni cauſas, non aeque facile ſuſpendi et obliterari poſſe videntur, quin perdurent et reiterentur. Conclave calidum, ſtragulorum copia, decubitus capite valde reclinato, compotatio veſpertina, coena vltra diaetae leges largior, alvus ſtricta, flatulentia hypochrondriaca, pulſus febrilis, paucis ſine exceptione omnia, quae ſanguinem ad caput congerunt, inſomnia cauſantur. Nonne vero haec inter iure ſuo refertur Opium? Sane hoc aeque

z) *Praelect. in inſtit. Tom. IV p. 564. idem Haller Phyſiol.* §. 575.

aeque ac illa omnia recenſita, efficit, vt vaſis encephali nimis repletis, affluxus et refluxus ſanguinis immutetur prorſus, atque medulla inaequali eius tranſitu, hic maximam partem nimis prematur, inde ſomnus; illic fortius agitetur vibretur, irritetur, inde inſomnium. Ponantur iam iidem motus, qui ab obiectorum externorum actione in organa ſenſoria, et vsque ad ſenſorium commune propagati in fibris eius medulloſis proritabantur, a variata arteriarum cerebrum contingentium, et perreptantium actione, et agitatione in plagas quasdam medullae, in huius filamentis oboriri; nonne reproducentur eadem ideae ab hac cauſa interna, quae producebantur ab illa externa? nonne exſurgent in mente eaedem ſibique vtrinque exacte reſpondentes cogitationes? Quin et derelicta diu, et quae mens nulla amplius meditatione proſecuta fuerat, ſimulacra, reviviſcere ex hac ratione poterunt denuo; atque ex ideis extrinſecus olim perceptis, ſimilique diſpoſitione ab intrinſeca cauſa medullae inducta, renovatis, iam autem aliter nexis, nova prorſus, et mira, et ſubinde minus naturae rerum affinia, et male cohaerentia phantasmata enaſcentur. Imo vero diverſimode affectis ſentientibus fibrillis, nunc iucundae et ridiculae, nunc horridae et terrorem ac anxietatem incutere aptae imagines orientur, prout nempe ſanguinis, et ab eo ſecreti in cerebro humoris iter, per vias, quae ipſi decurrendae ſunt a ſe invicem differt.

Sed et eadem ratione vigilantibus creari poterunt ſomnia, quae vno nomine deliria appellantur. Namque ſi rerum icones vividae, nulla praeſente cauſa externa ortae, neque conſilio et imperio mentis vi imaginationis et memoriae reproductae, taleſque quales dormientibus familiares ſunt, a ſola interna diſpoſitione cerebri producantur, et pro ſua indole, male ſana ratiocinia concitent, affectus inordinatos moveant, et motus corporis determinent, haecque aliena iudicentur illis omnibus, qui legitima cerebri temperie gaudent, externisque obiectis minus reſpondeant, delirare hominem dicimus.

Coinci-

Coincidunt ergo ſomnia et deliria in eo, quod cauſa externa omnis abſit, et ſola affectione fibrarum medullae a cauſis internis producta vtraque excludantur. Saltem in ſomniis cauſae ſunt naturales, cerebrumque eſt ſanum, in deliriis autem praeternaturales, et cerebrum morboſum. Mira vero adeo et in deliriis phoenomena, vt in inſomniis, ſoli motui mutato liquidorum in encephalo debentur. Scripſit *Hippocrates*: a) *Nihil inter omnia quae in Corpore ſunt, ad Prudentiam neque confert, quam ſanguis; imprimis cum in conſtante habitu perſiſtit.* Sed hunc ſtatim mutat congeſtio ſanguinis nimia in vaſa; vnde non tantum in meningibus, et cerebri cortice, ſed quod maximum, in medulla ipſa, itus reditusque humorum turbatur. Atque potiſſimum ab illa congeſtione, quam patrat Opium, deliria deduci debent, quae eius vſum ſequi ſolent; ſolus quippe celerior appulſus ab eodem pendens, atque a celeriori traiectu per vaſa enaſcens frictio fortior, et calor idearum geneſi pervertendae par habetur, qui ſi in aeſtum vehementem a rapidiore reddito motu aſſurgat, plane in furorem hominem coniicit, donec quandoque altiſſimo ſopore oppreſſus iaceat. Dum vero vt alia narcotica vehementiora, ita etiam Opium, interdum adhuc in ventriculo conſtitutum, ſubito operationes mentis perturbat, et Vomitu mature expulſum redire ſtatim illibatas permittit, citius quam immediato cum cerebri cruore contractu, agere hoc pharmacum in illud videtur, ſuamque vim in nervos ventriculi, horumque tenuiſſimum liquidum valde perſpicuam reddit, ac conſenſu eorundem in ſenſorium commune iam e longinquo ſe agere probat, modo nobis incognito.

a) *de flatibus.*

Haec de inſomniis et deliriis tranſitoriis, ac acutis! quod iam deliramenta illa chronica ab Opio nata, cum memoriae laeſione, ac cum ſtupiditate quadam perſeverante, fatuitatemque per annos perſeverantem attinet, haec mala vix aliter niſi ab vſu chronico Opii, aut exceſſu doſium

emergunt. Atque ea non ſaltem motum fluidorum a naturali abludentem, aut craſin ipſorum mutatam, et acrimoniam inductam, cauſam agnoſcunt, ſed in ſolidis ipſis inſigne vitium ſupponunt, licet illud ſaepe in cadaveribus demortuorum indagatum ſubtile nimis, ſenſus inquirentium prorſus effugiat. Etenim quando nimis diu durat vaſorum durae piae que matris corticaliumque diſtentio, aut ſaepius repetitur, omnis eorum elater, atque omnis actio naturalis ſyſtaltica perit, ſimulque alvei eorum praeter naturam ampliantur. Inde admiſſi liberalius humores haerent in ſuis viis, neque decenti vi propelluntur ac ſimul errore loci tenuiora vaſa intrant, ſemper itaque dum in itinere moras nectunt, et temporarias ſtaſes patiuntur, medulla hinc inde plus iuſto comprimitur, atque in huius canaliculis atonicis redditis, tenuiſſimi liquidi circuitus nunquam ſecundum naturam ſeſe habet, ſed vbique impeditur. Quare mens turbato motu ſenſorii communis, quo pro ſuis functionibus obeundis indiget, nec percipit ideas, nec nectit, nec iudicat, nec vult, vt decet, ſed perenni aegritudine metaphyſica et morali, a phyſica corporis aegritudine laborat.

§. XV.

EXPERIENTIA XII.

Opium ſtimulos venereos infert.

Sunt equidem omnino, qui admodum adoleſcentuli, praematuro igne iam in ſexum amabilem feruntur, atque inter ſenes decrepitos habentur haud pauci, qui cultae diligenter per ſolidorum annorum decurſum Veneri, fractas vires adhuc ſacras cupiunt. Attamen ii praecipue ſe praeſtare viros, atque nec exſpirante brevi languidae voluptatis ſenſu, nec creto ſanitatis diſpendio amoribus vacare ſolent, qui paulo vltra iuvenilem aetatem progreſſi largam vim floridi ſanguinis in venis alunt, quo cibo, potu, conſpectu, colloquiis,

quiis, turgidiore et calidiore reddito, ſtatim intus abdita deſideria fortius accenduntur. Certae huic experientiae adſtipulatur ratio, facile colligens, praeter ea quae ſuccos chyloſos largius ſuppeditant, ſemina iumque inde humorum copiam ingenerare apta ſunt, illa omnia aphrodiſiaca futura, quibus vis ineſt ſanguinem expandendi, commovendi, calefaciendi, aut quorum irritans et ſtimulans leniter pruritumque inferens indoles partes genitales vellicare, et in eas copioſius ſanguinem in orgaſmum actum, invitare, apta obſervatur. Huius cenſus auxilia ſi emeritos viſos, aut tardos ad conflictus venereos haud excitent, fruſtranea erunt omnia, quae ſpecifica virtute praeſtantia vulgo habentur. Neque enim talibus polliceri aliquid ſingulare auſim, a cerebello paſſerum, a teſtibus equi, vel galli gallinacei, aut alius animalis ſalacioris. Nequeo etiam introſpicere praerogativam Menthae, prae aliis herbis nervos grato ſtimulo titillare aptis, licet illam ſecundum excellentiam herbam ſalacem et deſtupratricem vocet *Martialis* b) Non capio quoque, cur eryngii et ſatyrionis radix, aliaque vulgo decantata acria, prae aromatibus ſine exceptione omnibus, et ſalibus volatilibus laudari mereantur; cum haec potentius multo ac illa, et circulum accelerando calorem et orgaſmum ſanguinis cieant, et acrimonia vellicante genitalium ſenſibilibus fibris ſtimulos addant. Verum omnium ſine dubio aphrodiſiacorum primum haberi debet generoſae indolis vinum, namque niſi id inter evchymas epulas, in ſalutem Dominae, formoſo vultu, natantibus in amore oculis, ſuaviſſima confabulatione, et oſculorum ardentium impreſſione, blandientis, hauſtum, calcar elumbi marito addiderit, omnino deerit mutuis ignibus alimentum, atque inter infoecundos et marcidos amplexus, collapſa in thoro iacebit omnis ſpes poſteritatis. Interdicendum interea erit vino omnibus, qui nimis per naturae ſtimulos in venerem proni cavere ab illicitis congreſſubus, et foeda ſpurcitie ſiphylitica, eorum ordinaria

b) *Lib. X. epigr.* 48.

ſequela

ſequela, ſibi optant; quoniam his certe, quod bene dixit Poeta *Nox et amor Vinumque nihil moderabile ſuadent.* Liquet iam ex dictis evidenter, quamobrem inter vera aphrodiſica peri paſſu cum vino hucusque merito collaudato, ambulet Opium atque cur vnum alteri ſurrogari, queat, cum hoc aeque ac illud fortius commoveat ſanguinem, atque eius volumen adaugeat, eosdemque exinde ambo in exſtimulanda venere effectus edant. Neque ſaltem turgorem ſanguini Opium infert, ſed acrimonia evidente quam deguſtantibus ſe fovere monſtrat, quaque ſudore teſte et pruritu in cute proritato, omnem ſeroſam maſſam imbuit, non minus huic negotio inſeruit. Quando nimirum omnem cutem ita morſicat, et irritat, vt tota quanta pruriginem ſentiat, quid impedit quo minus etiam tenerrimi ſenſus nervulos, qui partibus genitalibus intertexti ſunt, aeque vellicet, atque ita laſciviam et oeſtrum, aegre niſi obtento fine ſuperandum inducat.

§. XVI.

EXPERIENTIA XIII.

Opium diaphoreſin valide et vt plurimum cum pruritu movet, et alias ſeroſas excretiones compeſcit

Vt ſerum illud quod ſive halitus et vaporis ſpecie, ſive in guttulas coactum per cutis cribrum excerni ſolet, ſine impedimento exeat, ante omnia minutula oſtiola tubulorum in epidermide hiantium debent eſſe ſatis laxa et patula; deinde debet in ſanguinis maſſa praeſto eſſe, et abundare, ſeroſi laticis copia, ſanctoriano perſpirabili et ſudori praebitura materiem; Tandem vi vitae ad vaſcula cutanea mollia, et patula, aſſiduo debet applicari ſanguinis flumen, et cum eodem illa ſeroſa materies. Haec omnia ſi amice inter ſe conſpirent, affatim largiterque ſuccedet ſolemnis illa per cutem excretio; eaque omnia, quae haec requiſita iu- *Aetiologia motae excretionis cutaneae.*

vare, vel inſtaurare apta habentur, tanquam vera remedia diapnoica et diaphoretica merebuntur conſiderari. Iam qua ratione inter illa Opium eminentem ſuum locum tueatur brevibus videamus. Id adſpicientes paulo curatius, eiusque effectus hactenus enarratos in memoriam revocantes, deprehendemus vltro, ipſum omnes dotes ſimul poſſidere, quas diaphoreſin moturo pharmaco neceſſarias modo deſignavimus, quasque in aliis coniunctas non facile invenimus; eaque propter tanto minus mirabimur, fortius, copioſius, et conſtantius Opium promovere ſudorem, quam alia quaevis eum in finem a Medicis collaudata. Scilicet per antecedentes Experientias conſtitit, Opium augere circuitum; deinde id calefacere, rarefacere et attenuare liquida noſtra; globulosque rubros ſolvere in ſeroſos; tandem quoque relaxare nerveas et muſculoſas organorum ſecretoriorum fibras; tonumque cutis adeo remiſſiorem reddere; liquido ergo apparet, cur potenter adeo cieat profluvium ſudoris. Data opera et ex inſtituto expoſiturus vim Opii diaphoreticam Cl. *Ettmullerus* pulchre intelligebat citatas conditiones corporis, quibus poſitis in genere, nullo ſpeciali reſpectu habito ad remedium, ponitur ſudor. Diſertis etenim verbis recenſet pulſum frequentiorem, calorem ordinario maiorem, habitumque corporis rubentem mollem, et turgidulum. c) Mirum autem eſt ipſum dum Opium tanquam diaphoreticum conſiderat, augmentum pulſus et caloris ab eo enaſcens, praetervidiſſe et neglexiſſe prorſus, neque cognoviſſe vim Opii attenuantem, ſed potius negaſſe plus ſimplici vice Opium alterare ſanguinem, eiusque motum. d) Male igitur, aetiologiam ſudoris ab Opio moti daturus, quem certe directe et proxime movet Opium, per accidens eum ſaltem inde moveri contendit, e) mediante nimirum largiori pororum cutis hiatu, dum in ſpiritus immediate agit Opium, tonum cutis ſuo influxu moderantes, eosque impediendo et refraenando poros ampliores praeſtet, vel ſpaſti-

c) *diſſ. Cap. II.* §. 3.

d) *Cap. II.* §. 15

e) *Cap. II.* §. 1.

ſpaſticas conſtrictiones vaſculorum relaxet. f) Nolim vllo modo hanc virtutem Opio negatam, quam fere eadem ratione ſuam facit *Hoffmannus* g) ſudorem ab vna ſpasmodica cutis ſtrictura excretionem ſuetam cohibende retardari, eadem autem ab Opio ſopita, iterum permitti ratus. Neque obiter habenda velim, quae pro ſententia ſua corroboranda phaenomena adducit *Ettmullerus*, a conſenſu partium nervoſarum, et cutis ſenſibilitate deſumta, modo mihi detur alia adhuc vi eademque vere poſitiva, circulum puta intendendo, ſanguinemque dividendo, effectum illum hoc remedium praeſtare. Id quidem hodie neminem ſatis attentum latere nequit, ipſeque olim iam *Helmontius* h) ſal acre ſudoriferum in Opio poſuit; atque illud ad reſerandam ſanguinis compagem, et ad ſeroſitates copioſe ſecernendas, atque ita ad ſudores movendos efficax eſſe *Williſius* i) pronunciavit. Omnino vero tanto felicius elabi poterunt, ex ſecretoriis et excretoriis vaſculis cutaneis, ab incitata per remedium vi vitae, eo determinata, ſatque tenuia reddita liquida, ſi cutem per naturalem fabricam minime tenſam ſed laxiorem offenderint, ab ipſo remedio dum alia requiſita praeſtat, adhuc magis laxam reddendam. Neque enim praeter rem aſſerit *Hecquetus* k) Populos Orientales ob innumerabiles poros, in cute ipſorum ſemper apertos, et aere calido et levi, nunquam cutem gravante, in hoc ſtatu perpetuo ſervatos abundanter perſpirare ab vſu Opii; huncque eapropter largiorem licet, etiam facilius ferre, remedio cito iterum diſſipato, et ex corpore per tot myriades viarum aufugiente. Interea tamen maximopere attendi meretur incitatus ab Opio circulus, et ſanguinis imminuta cohaeſio, id quod nemo diſtinctius accuratiusque inculcavit Cl. *Freindio et Bergero*. Ille l) *Spiritubus Opio refectis*, inquit *validius ſe contrahit cor, vnde vividior ſanguinis circuitus, ſanguine autem attenuato, et velocius ad cutaneas glandulas delato ſuccedit libra transſpiratio et ſudor, quia tum ob rariorem ſanguinis texturam facilior*

f) §. 15.

g) *diſſ. de Operatione Opii* §. 18. *et in Med. Syſt. multis locis.*

h) *Ius Duumviratus* §. 8.

i) *Pharm. Rat. Part. I. Sect. VII. c. I. p.* 186.

k) *p.* 93. 94.

l) *Emmenol. cap. XIV. p.* 139.

facilior ſit per poros ſecretio, tum ob velocitatem auctam etiam vberior. Non minus appoſite ſcripſit *Bergerus* m) *Ab Opio motio et diviſio atque adeo rarefactio et preſſio minimorum ſanguinis augetur, hinc neceſſe eſt, vt quicquid ſuccorum ſatis ſolutum ac glandularum miliarium cutisque coeteris meatubus accommodatum, ex his vel tacite in auras exiliat, vel magis magisque fuſis humoribus, porisque patefactis denſo agmine prorumpat, atque in aquae guttas et ſudoris rivos condenſetur.* Haec ita trutinantes intelligemus facile, ſi ab illa peculiari Opii virtute, qua cutem laxiorem reddit, quamque ipſi intactam lubentes relinquimus, atque ab eius ſolvente et attenuante potentia abſtrahamus, id non ſecus ac ſalia volatilia inter validiora diaphoretica referri ſolita, vinique generoſioris hauſtus, motum et calorem ſanguinis augendo, ſudores proritare. Hisque omnibus viſis intelligemus, quam multum a vero aberraverit *Iones*, quando dum ſanguinem Opio minus alterari ſtatuebat, atque ad eius vim attenuantem et motum humorum incitantem non attentus erat, nequaquam ex communi ſententia ſudorem, niſi in humidioribus ſubiectis ab eo procreari, reputavit. Porro non niſi miſera nobis iure ſuo habebitur *Borichii* harum rerum dilucidatio, qui coagulatum ab Opio ſanguinem, tenuius liquidum ab eo ſecedens dimittere per cutis et renum poros, quemadmodum lac in caſeum condenſatum, e ſinu ſuo dimittit ſerum, Lectoribus perſuadere nititur. Neque melioris notae nobis iudicabitur aetiologia *VVedelii*, qui curioſe ſatis ſulphur Opii humores figere, id vero quod ſupereſt, ab eius ſale volatili propelli pronunciat, vt per cutim exſpiret. n) Non diſcedere poſſum ab hac tractatione, ſine peculiari attentione ad ſomnum, cuius beneficio Opium quammaxime ſudorem excitare *Pitcarnius* o) exiſtimavit. *Ettmullerus* p) etiam vix emanere ſudorem ſtatuit, niſi ſomnus Opii effectu obrepat, vel ſaltem quies ſequatur, aut laſſitudo. Somnum quoque magis favere excretioni cutaneae per Opium promo-

m) §.7.

n) *Opiol. lib. I. ſect. I. cap. 4. p. 91.*

o) §.20. *in fine*

p) *Diſp. cit. c. II. §. 17.*

promovendae *Wedelius* q) putat, atque *Bergerus* r) ſubminiſtrata aetiologia ſudoris genuina, fluere illum imprimis ac Opio ſub ſomno inducto aſſerit, quoniam tum muſculis et nervis relaxatis pori magis patent. Taceo lubens alios. Videntur autem Clariſſimi hi Viri dum in hac materia enucleanda verſabantur, reſpexiſſe potiſſimum ad medicinam ſtaticam ſanctorianam, cuius Auctor duplo magis perſpirare dormientem, quam vigilantem, aſſeruit; s) quod ipſum qui commentario eleganti eius aphoriſmos illuſtravit Cl. *Nogüez* Medicus Pariſienſis paſſim evincere allaborat. Subſcripſere plerique Phyſiologorum huic ſententiae, ſed prorſus contrarium ſtatuit imminutam perſpirationem ſub ſomno vrgens argumentis et experimentis de *Gorter* t) cum quo recedens a Praeceptore *Boerhaavio* facere non dubitat Illuſtr. de *Haller*. u) Horum ſummorum Virorum aſſerta ſi vera ſupponantur, quae ego quidem impugnata haud ſumo, patet et nihil plane accedere poſſe virtuti Opii diaphoreticae, ex ſomno inducto, vltro perſpicitur. At vero plane haec non indiget ſomno, neque opus eſt vt controverſiam illam ingrediar, ſed ſine eo vis Opii intendens circulum, ſanguinem attenuans, cutem relaxans, vim diaphoreticam ſimul neceſſario involvit, quique de hac non ab omni parte cum laude philoſophatur *Wedelius* x) laudandus ſaltem venit quod vigilantes etiam ab Opio ſudare aſſeruerit, Experientia hoc effatum conſtanter comprobante. Iam mihi adhuc incumberet, vt de exanthematum Geneſi agerem paulo fuſius, quae effectus ſunt circuli fortioris, ſoluti ſanguinis, vaſculorum cutis relaxatorum, molecularumque ſanguinis relaxata haec vaſcula errore loci intrantium, dum illae a tergo ab affluentibus ad exteriora corporis humoribus vrgentur. Sed de hoc argumento alibi naſcetur differendi occaſio. Prurituni qui ſudantibus non rarus eſt, ſeri acrimonia ab Opio inducta nervulos cutaneos vellicans tanto magis ciet.

q) *l. c.*

r) §. 7.

s) *Sect. IV. aph.* 18.

t) *Tr. de inſenſibili perſpiratione Cap. XII. §.* 12.

u) *in Praelect. Vol. IV. p.* 504. 509. 558 559 567.

x) *l. c.*

§. XVII.

§. XVII.

Aetiologia ſuppreſſarum aliarum.

Poſtquam ni fallor clariſſime deduxi, qua ratione Opium excretionem corporis periphericam excitet, ſequitur, vt quomodo viciſſim alias inhibeat, protinus exponam. Sola revulſione humorum ab organis aliis, dum per cutis poros largius hi elabuntur, id ita ſuccedere, cenſent *Thomſon* et *Freind.* Ille quidem[y]) pectoris libertatem pendere ait, a liquido per glandulas tracheae et bronchiorum ad partium humectationem ſecreto, vnde nempe quae in pulmonibus haerent humido allabente madida facilius loco moventur; dum vero per auctam diaphoreſin a pectore ſerum derivatur aliorſum, excretionem per pectus, et quaecunque alia profluvia ſeroſa ſiſti, contendit. Prorſus eadem ratione *Freindius*[z]) humoribus perſpiratione evacuatis, fieri a parte affecta revulſionem, et alias excretiones ſuſpendi perhibet. Adeo autem Cl. *Pitcarnio*[a]) placet ſtabilitum ſuum rarefactionis et compreſſionis vaſorum principium, vt et hoc ſolo ſine difficultate, omne hoc negotium explicari poſſe autumet, atque artificioſe ſatis rem ipſam exequitur. *Arteriae* inquit *dilatatae a rarefacto ſanguine comprimunt ipſis interiecta omnia vaſa ſecernentia. Quare comprimentur ſecernentia fellea et pancreatica, adeoque ſufflaminabitur ſi qua forte per ea exercetur diarrhoea, comprimentur canaliculi renales neque meiere poterit animal. Sola per cutem membranasque perſpiratio vigebit viresque acquiret, cum pori ſudoriferi in extimis vaſis et cute collocati nullis ſint arteriolis vaſis que aliis dilatatis et vi maiori comprimentibus impliciti, visque huius ratiocinii in eo ſita eſt, quod perſpiratio quandumvis aucta non depoſcat vaſa ſecernentia, ſed e vaſorum quorumvis poris etiam non ſecernentium ſeſe eiiciat.* Prorſus talia quamvis Pitcarnium non citet, habet *Geoffroy.*[b]) Alia iterum ratione *Ettmullerus*,[c]) cui Opii actio in nervos et ſpiritus praecipue arridet, ob torpeſcentem tactum et remittentem fibrarum motritium tonum, accidere putat, quod

y) *Diſſertatio* *num. p.* 126.

z) *Emmenol.* *Cap.* XIV. *p.* 139.

a) *diſſ. cit.* §. 13.

b) *Mat. Med.* *Tom. II p.* 700

c) *diſſ. de vi Opii diaphoretica cap* I. §. 13

Opium

Opium quasvis excretiones, ſudore excepto, compeſcere ſoleat, cum impetum ſpirituum ſiſtit, ſicque et ſenſus acumen in parte hebetet, et motum fibrarum eius impediat, atque ita id praeſtet, quod ad ſiſtendas fluxiones requiritur. Dum omnes hactenus recenſitas aetiologias, et ſeorſim, et coniunctim contueor, ante omnia facile convincor, per legem vniverſalem in corpore noſtro, vna excretione aucta, alteram ſtatim imminui. Iubet hoc, flumen humorum per canales ſibi vbique continuos provolutum, vnde impetu eorum ad partem aliquam fortius et largius excurrente, non poſſunt non illi aliis ſegnius et parcius applicari. Moto itaque per cauſas antea memoratas, largius ab Opio ſudore, ceſſant omnino aut ſaltem inhibentur ad tempus aliae excretiones, materie his deficiente. Clarum itaque redditur, nulla eas ob rationes diſputatione opus eſſe, an moveat aut retardet vrinam exhibitum Opium, ſunt enim ſudoris et vrinae ſecretio, et excretio quammaxime alternae, et ſibi vicariae; quare vigente vna ceſſabit altera et contra. At vero viſa quoque ſunt exempla, vbi hae excretiones ſimul viguerunt quam maxime, praecipue ſi materies pro vtraque abundaverit in corpore, atque paulo maior fuit doſis Opii, flumen ſanguinis quaqua verſum impellens, humores multos immeabiles hactenus dividens, reſiſtentiamque vaſorum vltimorum ſuperans. Facit huc conclamatus ille Hydropicus, apud *VVilliſium*, d) qui vt placide moreretur, Opium ſumſit quotidie, ſemper doſin augendo, ad quantitatem vix credibilem vsque, a quo quavis nocte et in ſudores magnos diſſolutus, et vrinam copioſam excernens, prorſum convaluit. Verum caſus hic ad rariores referendus eſt, ſumnisque doſibus Opii, et ſummae humorum plenitudini debebatur vtraque ſimul contingens excretio, dum in corporibus minus ſero coacervato adeo turgentibus, vt hydropici turgent, neceſſario ſudoris rivi, augmentumque perſpirationis, lotii excretionem imminuunt. Veritas haec extra omnem controverſiam

d) *Pharmac. Rat Part. I. Sect. VII. c. I.*

ſiam locari poteſt, conſideratione obſervatorum *Sanctorii*, *Dodarti*, et *Keilii*, quibus conſtat ob aeris externi conſtitutionem diverſam in Anglia multo minus perſpirari quam in Gallia, in Gallia iterum minus quam in Italia. Inde vero etiam neceſſario fit, vt cum in Anglia vrina vnius diei ſeu 24. horarum ſit duarum librarum et vnciarum fere ſex in Italia ob longe largiorem perſpirationem, per Sanctorii computum ſaltem vrina eo temporis intervallo ad vncias ſedecim mingatur; quare et inter imminutae perſpirationis ſigna vrinam copioſiorem et craſſiorem, inter auctae vrinam parcam tenuemque Sanctorius collocavit. Loquitur interea Experientia etiam antequam ſudor ab Opio fluat, atque perſpiratio per ſua ſigna non evidenter aucta ſit, tamen ſiſti excretiones alias, et ſaepe in inſtanti; vnde clarum eſt, Opium non ſaltem tanquam diaphoreticum, eſſe alias excretiones ſiſtens remedium, ſed et ex alio capite poſſidere debere eiusmodi facultatem, eandemque adeo circulantium humorum legibus haud ſubiacentem. Non etiam illa apte ſatis videtur deduci poſſe, a rarefactione et preſſione rarefacti ſanguinis, in ſuis vaſis, verſus vicina lateralia, cui cutis tubuli perſpirationi et ſudori emittendo ſervientes non ſubiecti ſint, vt vult *Pitcarnius*. Sane copioſiſſimis arteriis rubris licet admodum parvis repleta eſt cutis, teſtibus praecipue iniectionibus Ruyſchianis quae *Pitcarnium* anno 1693. Diſſertationem ſuam *de Circulatione in animalibus genitis et non genitis* in qua de Opio tractat, edentem penitus latebant. Theſauri quippe Anatomici Ruyſchiani demum edi coeperunt anno 1701. Interim et in viventibus, et ſecundum naturam etiam vere rubet cutis, in diverſis ſubiectis, et in diverſis corporis, patribus magis minusve; atque in ſudantibus rubentiſſima redditur. Atque vere ramuli ſerum perſpirabile et ſudorem emittentes, harum arteriarum cutanearum rubrarum propagines, ipſis non adiacent ſaltem, ſed vbique interiacent, et intertexti ſunt, ita vt poſita arteriola-

rum

rum rubrarum cutanearum dilatatione, a rarefacto intus ſanguine, non minus ramulorum lateralium ex ipſis emergentium compreſſio aeque concipi poſſit, et debeat, ac in renibus compreſſio tubulorum bellinianorum, ſi renales arteriae rubrae turgeant plus ſolito. A compreſſione autem tali in cute re ipſa interdum retineri perſpirabile, docet cutis ſiccitas ingens, in febribus, a rarefacto ſanguine per omne corpus diffuſo vsque ad capillares arterias cutaneas, inflammatoria diatheſi laborantes, oriunda. Praeter haec omnia, non ſatis intelligo, quid velit Cl. *Pitcarnius*, quando etiam auctam perſpirationem non depoſcere ſibi vaſa peculiaria ſecernentia ait, ſed exire poſſe ſerum ex vaſorum quorumvis poris etiam non ſecernentium affirmat. In inflammatione cutis ſanguis penetrare valet errore loci, in tubulos ſecretorios et excretorios, atque ex his ipſe ſanguis ſincerus fortiter appulſus aut cum ſudore, e) quem ſuo calore tingit remiſtus poteſt exire; ſed a ſanguine antea ſecernendum, et naturaliter ſecretum ſerum perſpirabile, et ſudori materiam elargiens, non poteſt elabi ex arteriis rubris, immediate, ſed antea ingreſſum fuiſſe debet ſua propria vaſa ſecernentia, et excernentia ſeroſa quae ex rubrarum arteriarum apicibus emergunt, eademque ſatis libera et patula debet offendere; horum enim, non arteriolarum rubrarum oſcula hiant ſub epidermide. Sique haec vaſa ſeroſa compreſſa ponantur, vt comprimi poſſunt, nil accipiet eorum oſculum quod exhalet, et effunda. Haec omnia quae ediſſero an ſatis ponderaverit acutiſſimus coeteroquin *Pitcarnius* et ſuo tempore ponderare potuerit, neſcio. Ego crediderim potius, dum Opium certum motum ſanguinis auget, augere etiam omnes illos effectus qui a motu ſanguinis aucto immediate pendent, ideoque aut compreſſione lateralium vaſorum propter extenſa rubra, intercipere aequa vi ſecretiones omnes magis minusque, prout vaſa magis minusve cedunt compreſſioni, aut augere ſecretiones et excretiones a motu circulatorio pen-

e) *vid. Prael. Boerh. in inſt. Tom. III. p.* 541. *et nota c.*

dentes omnes, niſi liquor ſecretus et excernendus haereat in ſuo diverticulo, extra leges circulationis locato. Quodſi igitur vrinam magis retardat Opium, dum interim perſpirabile et ſudorem movet, id non praeſtat compreſſu vaſorum maiore in renibus, nullo in cute, ſed potius ſenſu eorum receptaculorum obtuſo, quae exſtimulata a contento humore, ſeſe liberare ab eodem niterentur, fibrisque eorum motricibus inducto torpore, et pigritiae. Vreteribus quippe minus ſenſibilibus, et torpitis redditis non amandatur ſueta celeritate ad renes vrina atque veſica ſenſu orbata et ſua periſtalſi naturali deſtituta, moras nectit in eadem, vt in ſuperioribus Experimenta Halleriana et Sproegeliana manifeſte demonſtrarunt, aliter ſuo ſale vellicante ipſa ſui excretionem promotura. Idem dicendum dum humore in bronchiales cellulas depoſito, circulationi non amplius ſubiecto, qui per vellicationem earum proritata tuſſi ſui eiectionem induceret, quam vero nervulorum ſenſum obtundens Opium ad tempus refraenare aptum eſt. Neque aliter de alvo ſuſpenſa iudicatum erit, vt brevi ſeorſim, et ex inſtituto videbimus. Atque hac actione ſua in fibrarum ſenſum, etiam quandoque fit, vt contrarium prorſus effectum enarratis cieat Opium; nempe vt ſecretiones et excretiones quasdam hactenus cohibitas iterum reſtituat. Id nimirum accidit, ſi in organo colatorio et excretorio, nervoſo, eousque adſcenderit ſtimuli irritantis morboſi vis, vt ſenſu moleſtiſſimo affectae fibrae, ſeſe contrahant praeter naturam, atque viis ſic occluſis, et ſecretionem et excretionem liquidorum inhibeant. Tunc vero per hoc remedium rigore fibrarum minuto, ſenſationeque earum acutiſſima nonnihil obtuſa, tonus earum et ſenſus naturalis redit, ac vtroque reſtituto functio partis, atque ab eadem pendens ſecretio et excretio legitima, in ordinem redigitur. Annuente igitur vniverſali Experientia practica pronunciare potuit *Hoffmannus*, f) Perſpirationem, vrinaeque et alvi excretionem, ſpasmis prohibitam,

f) *diſſ. de Operatione Opii* §. 18.

hibitam, Opio reſtitui. De vrina ſtricturis ſopitis per Opium mota etiam loquitur *Ettmullerus*. g) Attendi praeterea meretur obſervatio *Geoffroy*, h) qui poſtquam Opium quandoque vrinae profluvium, quandoque ſuppreſſionem inducere edixit, ceſſante eius operatione vtplurimum mictionem frequentem evenire aſſerit. Id ſi ita ſeſe habeant, laxitas villorum renalium remanens a remedio, ſanguinis facta attenuatio, atque forte ſeri pruriens acrimonia allegari debebit. Facile autem nunc conſtat quosque aſſeri liceat de Opio, quod omnes excretiones cohibeat, praeter diaphoreſin.

g) *c. II.* §. 24. *et c. III.*
h) *Mat. Med. lib. II. p.* 696. 697.

§. XVIII.

EXPERIENTIA XIIII.

Opium functioni ventriculi inimicum eſt.

Inter alia varia quae functioni ventriculi rite peragendae ſerviunt, quammaxime attendi meretur menſtruum eius, partim ex humore inquilino, quem cruſta villoſa aſſiduo plorat, partim ex deſcendente ſaliva glandularumque copioſiſſimarum muco progeneratum; atque deinde fibrarum omnium muſculoſarum nervoſarumque ex quibus tunicae effinguntur, irritabilitas et ſenſibilitas. His bene ſe habentibus, et appetitus viget, et aſſumtorum digeſtio ita ſuccedit, vt chylificatio et ſanguificatio ſuis ſubſidiis inſtruatur, totumque corpus nutritione debita inſtauretur, et conſervetur. Iam cum per experientiam conſtet, Opio appetitum deſtrui, alimentorumque naturalem digeſtionem retardari, et aboleri, eousque quandoque, vt plane nauſea ſuccedat, inquirendum omnino eſt, qua ratione maxime illud remedium vim ventriculi appetentem, et digerentem peſſundet. Placuit Cl. *Hambergero* i) Opium conſiderare tanquam corpus ſulphureum, ſalium activitatem minuens, atque dum brevi liquoribus aqueis ſe miſcet, id accuſare, quod menſtruo ventriculi miſtum hoc iners reddat, atque ita maiori maxime copia ſumtum, concoctionem laedat. Sed pace doctiſſimi

i) §. 66.

 Viri,

Viri, vix energia liquoris gaſtrici vere nec acidi, nec alcalini, ſed ſaltem notante *Boerhaavio* k) leniter ſalſi, atque aſſerente *Bohnio* l) et aliis plane inſipidi, a ſalibus praecipue deducenda venit, quorum ſpicula Opii ſulphur hebetet; atque alioquin amara et aromatica omnia, quorum claſſem ſine dubio ingreditur Opium, potius velificantur digeſtioni, menſtruique ventriculi vires vix turbant, tantum abeſt, vt appetitum viresque coctrices labefactare ſoleant. Nulla vero habita ratione menſtrui ventriculi ad vim Opii rarefacientem tantum reſpicit *Freindius* m) atque Opiata ſtomachi aciem retundere aſſerit, quatenus per ea ſanguis ita in ventriculi arteriis rareſcat, vt dilatatis iis nervi admodum comprimantur, quo ipſo fiat, vt ſpiritus in tunicam muſculoſam influere nequeant, atque ita debita inhibeatur fibrarum contractio, eaque impedita, appetitus et digeſtio langueſcat. Nullus nego, ſed aſſero potius ſtrenue, vim Opii rarefacientem, eamque vniverſalem, adeoque et in ſanguinem vaſorum ventriculi aeque agentem; ſed a rarefactione calor, calor vero et ventriculi, et omnium partium adiacentium, in quas non minus agit Opium, magnum eſt digeſtionis alimentorum adminiculum. Sique quod *Experientia I.* docuit, ictus omnium arteriarum intendit Opium, ictus vero arteriarum et aortae eidem ſuppoſitae violentae vibrationes, per demonſtrationes *Boerhaavii* n) multum famulantur alimentorum coetioni, diſputare et ambigere licebit, vtrum rarefactione caloreque ſanguinis et arteriarum pulſu aucto, magis iuvet, vel compreſſione nervorum a rarefactione et dilatatione vaſorum pendente, magis imminuant functiorem ventriculi, exhibitum Opium, an pari paſſu ambulent adiumenta et impedimenta digeſtionis, inde naſcentia, ita vt nec illa his, nec haec illis praepolleant. Ego prolixam huius rei inquiſitionem ſuſcipere nolo, maxime cum in ea verſet ſententia, ab immediata actione Opii in nerveas fibras ventriculi, derivari potiſſimum debere, quod appetitui et digeſtioni illud inimicum

k) *Inſtit.* §. 77. *et Prael. in hunc locum cum notis Halleri.*

l) *Circ. Anat. Progimnaſm.* X.

m) *Emmenol. Cap. VIII.*

n) *inſtit.* §. 86.

cum ſit. Dum hoc phoenomenon Cap. II. recenſebam, ſub *Experientia XIV.* ex obſervatis Cl. *Kaau*, *Halleri*, *Mead*, *Lorry*, *Sproegelii*, monſtravi, Opium ſufflaminare motum periſtalticum ventriculi, tonoque fibrarum eius, et actione earum prorſus abolitis, efficere, vt contractili ſua vi exutus mirum quantum diſtentatur. Enim vero his conditionibus huius viſceris a quibuscunque cauſis poſitis, neceſſario tollitur appetitus, et digeſtio. Quodſi ergo certiſſime convicti ſimus, Opium efficere vt ventriculus nullum ſentiat ſtimulum ad capienta alimenta, atque actione in ingeſta deſtituatur, in pigrum quaſi et inertem vtrem mutatus, aetiologia ſatis manifeſta habetur, neque opus eſt, vt curioſius indagemus, quo agendi modo in nervos eius Opium hoc ipſum praeſtet cum id determinatu pene ſit impoſſibile. Exiſtimat *VVillis*, o) ſpiritus Tunicam ventriculi interiorem incolentes, a particulis opiaticis ſtupefieri, ac perimi, ita vt fibrae iſtae nerveae non amplius corrugentur, proinde famem ceſſare, et alimenta minime appeti, et ſtomacho oblata moleſtias potius quam delicias cauſari, ventriculique omnem vim concoctricem debilitari. Effectus veriſſimus eſt, verum etiam eſt, motum periſtalticum ſuſpendi, neque minus verum, in nervis mutationem factam eſſe, an vero haec mutatio involvat ſpirituum ſtuporem et caedem, an aliam adfectionem, ingenue cum *VVilliſio* ignoramus. Sed eadam difficultas premit aetiologiam actionis remediorum, appetitum excitantium, et coctionem alimentorum iuvantium, quae ſine dubio grato ſtimulo agunt in villos nerveos; ſed tamen experientia ſaltem teſte ſcitur, quod famem concitent, roburque ventriculi intendant. Per eam ſolam novimus acidorum, aromaticorumque omnium amicitiam, qua in nervos ventriculi feruntur. Nemo vero facile explicaturus eſt modum, quo Cinamomi, Corticum aurantiorum, Menthae, Meliſſae, aliorumque elementum oleoſum, ſuo contactu iis placeat, qualemque mutationem ipſi nervo, vel

o) *Pharmac. Rat. Part. I. Sect. VII. c. II. p. 191.*

vel hoſpitanti in eo fluido adferat, ſi a grati ſtimuli, individualisque characteris, quo ſpiritus rector horum vegetabilium inſtruitur, allegatione receſſeris. Vt vero hic in aurantii mali cortice, et mentha amicabilis, ita in Opio adverſus eſſe videtur fibrillulis ſenſibilibus et mobilibus, ex quibus membranae ventriculi contextae ſunt. Sane mea quidem ſententia, ex hoc principio, tetris nempe vaporibus, quos calore ventriculi ſolutum Opium de ſe ſpargit, in porulos membranarum nervearum penetrantibus, appetitum deperditum rectiſſime derivat *Hoffmannus*, p) quos adeo ipſis infeſtos, dicit, vt cum ciporum faſtidio, nauſeam, et quandoque adeo vomitiones cieant. Atque hae potiſſimum oriri ſolent, ſi Opium non ſolvatur in ventriculo, et quando in forma ſolida, et praecipue pillulari exhibetur, aut tritum in parvula pulveris mole. Tum enim adhaereſcens tunicae nervoſae, aut vni plicae totum inſidens, vellicat villos ſua acrimonia, ſique concurrat ventriculi individualis conditio, et ſtabulans in eo ſaburra, facile omnino vomitus movetur. De pilulari forma id obſervavit *Wedelius* q) Gallum citans qui a pilulis opiatis hoc incommodi genus expertus eſt, plus ſimplici vice. Maxime autem vomitus oritur ab extracto ſpirituoſo, et Eſſ. ſpirituoſa Opii, vt bene notat laudatus *Wedelius*. Vtrumque remedii genus intactum fere relinquitur a menſtruo ventriculi; atque omnibus reſinoſis ſolemne eſt, vt ab eodem non ſolvantur, ſique eminente acrimonia polleant, nervis ventriculi infixa ruditer in eos agant. Extractum reſinoſum, quod Opium crudum, et extractum aquoſum neutiquam fecerat, vehementes vomitiones adeo excitavit in cane *Sproegelii*, de quo in ſuperioribus verba feci. Fuere eapropter Medici, qui reſinae omnes malos effectus Opii adſcripſerunt, et qui ab Vſu extracti ſpirituoſi et Eſſentia Opii candide dehortati ſunt.

p) *Med. Syſt. Tom. II. p.* 272

q) *Opiol. lib. II. Sect. I. c.* 5.

§. XVIIII.

§. XVIIII.

EXPERIENTIA XV.

Opium alvi libertatem cohibet.

Cum hac experientia, cuius aetiologiam iam ſubminiſtrare debeo, pugnare videtur alia contraria, quod nempe interdum Opium alvi ſeceſſum promovere nonnullis viſum ſit. Egit in Opiologia ſua *VVedelius* integro capite de vi Opii cathartica, atque ad *Plinium*, *Eraſtum*, *Quercetanum*, *Hellmontium*, provocans, in amaritudine et acrimonia Opii eiusque ſulphure et ſale fixo purgantem virtutem ponit. Largitur vere libere, ordinarie non purgare Opium, atque potius cum *Ettmullero*, qui non minus purgatricis energiae meminit, vltro fatetur, raro ſaltem id alvum turbare, vt adeo hic effectus ſi obſervetur, aut idioſyncraſiae, aut alii ſingulari conditioni corporis tum obtinenti, debeatur. Non incongrue, credo, Opii vis purgativa refertur ad emeticam, de qua modo locutus ſum, cuiusque pariter mentionem iniiciunt *VVedelius*, *Ettmullerus*, imo etiam *Hoffmannus*, r) et *Geoffroy*, s) qui tamen eam inter effectus Opii minus frequentes recte refert. Hanc vero vel ſaltem nauſeoſo ſuo ſapore, vel vt dixi ſi pilulari forma exhibeatur, aut ſi ventriculum quisquiliis onuſtum offendat, exerere ſolet; cum alioquin magnum ſaepe ſit in ſiſtendis enormibus vomitionibus remedium. Conſtitit in ſuperioribus per multas conſentientium in eo ſummorum Medicorum experientias Opium ordinarie alvo pigritiam inducere, nuncque ratio rei ſatis certae indaganda eſt. Non ſane de nihilo ſunt, quae huc facientia habet *Thomſon*, t) alvum omni tempore eatenus laxam exiſtere memorans, quod inteſtina liquido per glandulas ſuas ſecreto lubricentur, tumque et excernenda eodem liquido humidiora fiant, atque ex his inferens, ea quae liquida ab alvo aliorſum derivant, illam neceſſario conſtringere, igitur fluidis per ſudorem ab Opio eliminatis, al-

r) *Med. Syſt. Tom. II. p.* 272.

s) *Mat. Med. lib. II. p.* 696.

t) *diſſ. de Opio Propoſ. VI.*

vum cohiberi. Nil videtur opponi poſſe huic aetiologiae, rectiſſime quippe iam pronunciavit *Hippocrates*, u) *cutis raritas alvi denſitas;* militantque pro eadem, diarrhoeae illae omnes, a perſpiratione ſuppreſſa, aut nimio decubitu humorum ad inteſtina, ortae, atque determinata materie ad cutem, vel per alia ſudorifera, vel per ipſum Opium curabiles. Licet vero vere alvi receſſus perſpiratione aucta minuatur ſemper, illisque adeo hominibus in quibus haec excretio ſine remora peragitur, ſiccior communiter eſſe ſoleat, tamen alia adhuc ratione alvum ſiſti per Opium, certum eſt, quam humectantia parietes inteſtinales fluida aliorſum determinando. Imo vero negari nequit, Opium ſi vel nulla dote ſudorem movendi inſtrueretur tamen alvum cohibiturum fore. Magis nimirum in explicatione huius phoenomeni, vis ſolidorum ſcybala alvina promovens ſenſim, et devolvens ad guttur inferius, ab hoc remedio mutationem paſſa, quam viae ſiccitas reſpici debet, quamvis haec omnino ſymbolam ſuam contribuat. Non opus eſt vt fuſe hic repetam obſervata Clariſſimorum Virorum, *Cap. II.* ſub *Experientia XIV.* in medium prolata, quibus conſtitit, cum periſtaltico motu ventriculi, eundem et per omnem inteſtinorum tractum, Opio aſſumto aboleri, ſenſumque adeo ad irritationem ſcalpelli et ſpiritum nitri nullum ſuperfuiſſe. Nonne huic phoenomeno apprime reſpondet aetiologia *Hoffmanni* x) a vaporoſo et graveolente principio Opii calore interno exſoluto et in nervoſas inteſtinorum membranas agente, ſenſationem, et motionem quoque inteſtinorum periſtalticam languidiorem fieri. Facile patet, inde omnino valde retardari et cohiberi alvinam excretionem. Quodſi nempe ſenſum ſtimuli morboſi acerrimi, et motum periſtalticum convulſivum, eodem manente ſtimulo, in dyſenteriis peſſimis, cholericisque paſſionibus, ita inhibere valet Opium, vt deiectiones frequentiſſimae remittant et ſileant, quidni et efficiet, vt ſenſus a mole faecum, bilisque naturali ſtimulo pendens,

u) *Epid. VI.*

x) *Med. Syſt. Tom. II Part. II. c. VII. §. 6. et in ſchol.*

dens, obtundatur ad tempus, fibrarumque motricium irritabilitas inhibeatur, atque ita actio omnis inteſtinorum elangueſcat, huiusque effectus alvi exoneratio ſuſpendatur. His omnibus expoſitis non repugnat aſſertum *Hambergeri*, y) aliorumque, nonnunquam ceſſante Opii Operatione alvi ſolutionem ſubſequi, id enim ſi contingat, peculiari laxitati fibrarum inteſtinalium tum reſiduae adſcribendum eſſe vltro perſpicitur. Neque alvum cohibens vis Opii detrimentum patitur, per ea phoenomena, quibus conſtat, in morbis quibusdam, inteſtinorum ſtricturis ingentibus, et doloribus ſtipatis, alvum ſubinde pertinaciter obſtructam dato Opio aperiri. Namque tum obſtinata retentio praeter naturam adeſt, a criſpatura fibrarum, ſpasmoque violento morboſo pendens, quem dum villos conſtrictos laxando inhibet Opium periſtalticum motum naturalem iterum reſtituit, viam omnem per alimentorum canalem patulam efficit, atque ſic omnino ſtercoribus antea coercitis et retendis, per accidens exitum concedit. Extra hos caſus ſi detur hoc remedium excretionem alvinam ſua inſita virtute ſemper remoratur.

y) §. 15.

Atque ita aetiologiam effectuum, ab Vſu Opii emergentium, quantum potui ſubminiſtravi, in qua ſi deſiderari paſſim aut aliquid, aut multum Lectoribus videatur noto ſaltem, vix licere progreſſum vlteriorem in explicatione, atque defectus in ea, quod maximum eſt, nil nocere veritati effectuum ipſorum, vtpote quos communis Medicorum omnium, diverſarum aetatum, diverſarumque regionum experientia, et attentio ratos habuit, et habere cogitur. Nil ergo impedit, quo minus in eo tramite, quem ingreſſus ſum, pergam alacriter.

CAPVT VI.

Corporis humani diverſus ad Opium habitus.

§. I.

Introitus. Verum poſtquam res meas hucusque deduxi, facile nunc praevideo, fore haud paucos, qui illos effectus enarratos, aut tardius, aut citius, aut magis, aut minus obſervabiles, evenire debere affirmaturi ſunt, pro diverſitate ſubiecti individualis, in quod agit Opium; pro diverſitate doſeos maioris, minorisque; pro repetitionis frequentia et infrequentia; pro indole remedii opiati ipſius, aut compoſitionis pharmaceuticae, quam Opium ingreditur. Neque falluntur, qui ita cogitant, ſed rectiſſime talia vrgent, igitur vt de his omnibus agam ſeorſim, ordo tractationis exigit. Obſervandum autem hic in genere moneo, paucioribus hominibus exceptis, in quibus per idioſyncraſiam, per fabricam corporum individualem, per conſuetudinem remedii ſaepe et largius vſurpati, non ſtatim notabilis vnus vel alter effectus ex enarratis ſeſe manifeſtat, in omnibus reliquis, centiesque et millies pluribus, effectus omnes ſaltem vnum prae altero evidentius animadverti, exhibita repetitaque maiore minorive doſi Opii, vel cuiuscunque remedii opiati, pro vnius prae altero indole, ac maiori minorive agendi intrinſeca ob admiſtum Opium potentia. Hoc ipſum autem ad vnum omnibus remediis ſolemne eſt, cum omnia nulla abſoluta vi agendi polleant, ſed corporum in quae agunt viribus diverſimode ad ſuos effectus determinentur, quos doſi in ſingulis hominibus diverſa, diverſimode edere obſervantur. Vt hoc maximi momenti argumentum circa operationem Opii, clarius reddatur, agam primo de cor-

corporis humani ad Opium habitu, deinde de remediis opiatis variis, tantem de doſi Opii et Opiatorum.

§. II.

Dum habitum Corporis primo conſidero, non praeterire ſilentio debeo illos homines, qui propter idioſyncraſiam, Opium etiam in minima doſi, et correctum, habitum, plane ferre non poſſunt, quin ſtatim gravia ſymptomata oriantur. Notat *Hoffmannus* z) nonnulla individua prorſus contrariari et adverſari medicamentis ex Opio, in ſtatu ſano et aegro, moxque gravativos ventriculi dolores, diaphragmatis compreſſiones, animi defectiones, debilitates, torporem inde experiri. Atque eiusmodi antipathiam quae Opio et viro alicui interceſſit, commemorat *Bohnius*. a) Is quippe quoties eo vtebatur, propter ſymptomata, quibus communiter opiata praeſentaneum praeſtant auxilium, ad ſomnolentiam equidem et levia deliria, nunquam vero ad ſomnum diſpoſitus fuit, nec illorum vllum levamen perſenſit. Recenſet quoque de Foemina quadam laudatus auctor, quod theriacae theriacaliumque odorem valde nauſearit, et ab aſſumtione talium graviter exagitata fuerit. Nemo dubitaverit, inter numero plura ſubiecta, hinc inde vnum vel alterum poſſe exiſtere, Opio ferendo penitus impar, vt inter millenos viros, tabaci fumum licet prima vice magno incommodo, deinde tamen per ſolidos dies noctesve magna voluptate ſugentes, ipſe ego, non obſtantibus omnibus olim Amicorum Studioſorum praeceptis et monitis, ad hanc diem ad tantas delicias deguſtandas inhabilis, indeque vertiginoſus, titubans, nauſeans, vomens, quicquid egerim olim, vt melius placerem aliis. Vbi autem magnum mortalium numerum, quorum neceſſitatibus nihilominus DEVS elargitus eſt Opium, contemplor; facile eluceſcere opinor, ipſum operandi modum monſtrare, ſub quibus conditionibus corporeis, hic levior et evidentior; citior et tardior; innocentior,

Fabrica diverſa Vaſorum cerebri.

z) *diſſ. de Correct.* §. 19.

a) *de Officio Medici Part.* I. c. VII. p. 164.

 tior,

tior, et periculoſior, evenire debeat. Sanguinem omnem rarefacit Opium, et rarefaciendo plenitudinem vaſorum maiorem infert, atque tunc neceſſario eadem diducit et dilatat. Conſtat igitur, in iis Corporibus, quae ſucci plena ſunt, ſanguinemque multum, calidum, ſpumeſcentem, et ad turgeſcentiam habilem in vaſis laxioribus, et eapropter facile dilatabilibus gerunt, ſemper effectus Opii a rarefactione praecipue pendentes, fore magis notabiles. Id ipſum adeo magnus Fautor Opii magnusque eius Innocentiae defenſor
b) p. 100. 107. 145. *Hecquetus* b) praetervidere nequivit. Vltro quippe profitetur, Opium venenum poſſe evadere in certis temperamentis, atque iis hominibus, qui vini et liquorum ſpirituoſorum ingurgitationi indulſerunt; ſanguinis etiam abundantiam ac plethoram ſeſe directe opponere felicibus conditionibus ſub quibus Opio locus eſt, affirmat, maxime in morborum acutorum principio, quare eius vſum poſtulare monet, vt quo ſecurior evadat, plenitudo antea imminuatur. Nulla vero in corpore dantur vaſa, ſpecifice reliquis omnibus molliora, laxiora, atque ad ſui diductionem, ob elateris quo reniterentur impotentiam, magis prona, quam cerebrina. Igitur diſpoſitio vaſcorum cerebrinorum, quae laxitatis et mollitiei gradu, valde diverſa in diverſis ſubiectis, et in nonnullis laxiſſima et molliſſima eſſe poteſt, efficiet iterum, vt ſi maior minorque plenitudo et rarefactio acceſſerit, effectus Opii in diverſis hominibus ſint varii valde, atque ii maxime qui in capite ſe produnt, et proxime a canalium cerebrinorum repletione pendent. Id ſane pulchre per-
c) Emmenol. c. XIV. p. 140 ſpexit *Freind*, c) qui Effectus Opii inter ſe diſſimiles licet, vnicam tamen agnoſcere cauſam teſtatur, ſanguinis ſcilicet ab Opio inductam attenuationem et rarefactionem; quae cum arteriarum carotidum capacitatem ampliet, a ſola diametri mutatione, pendere omnem illam operationis diſcrepantiam, is contendit. Vt hoc intelligatur clariſſime, reminiſcamur per Experientias Opium habile haberi, vt creet

alacri-

alacritatem animi, gravitatem capitis, temulentiam, ebrietatem, delirium, ſomnum, ſoporem, apoplexiam. Haec omnia certo evenire poſſunt ab Opio, in vno eodemque homine, ſed dum alacritas animi ſaltem ponit paulo citatiorem et copioſiorem ac antea erat, ſanguinis rarefacti traiectum per vaſa encephalica, ſine vlla diductione vaſorum et preſſione ſubiecti cerebri, ac potiſſimum eius medullae; gravitas capitis iam ponit vaſa magis onuſta, et preſſionem maiorem in pulpam cerebrinam; temulentia iterum maiorem oneris ac preſſionis gradum; ebrietas hoc iterum maiorem; et ſic porro, donec ſopore et apoplexia praeſentibus, onus cum compreſſione quammaxime vrgeat, vaſaque ad crepaturam vsque diſtendantur, vel et vere crepent. Demus autem nunc eandem doſin Opii, ſubiectis binis, vel pluribus, quorum vaſa cerebrina roboris et laxitatis gradu valde inter ſe diſcrepant, in vno iis vtcunque dilatationi reſiſtentibus, ſaltem aderit alacritas et temulentia, quando in alio ipſis facile dilatabilibus, et multum dilatatis, iam aderit ebrietatis, et ſopor profundus; qui forte in tertio abire poterit in apoplexiam vel temporariam; vel et veram, et aegre ſolubilem, ſi dilatatio fuerit ſumma et rupturae proxima. Scilicet etiam non omnes ferunt eandem copiam vini, aut ab eadem eosdem effectus experiuntur. Videas pro vaſorum cerebrinorum differente fabrica, ab exigua copia ebrios, titupantes, ſopitos, videas a maximis ſibi conſtantes et alacriores, robuſtioresque ſolito. Illi vero omnes qui vinum non bene ferunt, vix bene ferent Opium.

§. III.

Verum enim vero, non ſaltem fabricae diverſae vaſorum rubrorum encephali hic ratio habenda eſt, cui et numerum eorum, et amplitudinem, et diſtributionem, valde in diverſis hominibus diverſam, addere fas eſt, ſed et textura cerebri ipſius pulpoſi, huiusque teneritudo et mollities, maior *et totius ſyntaxeos nervoſae.*

ior

ior minorve, preſſioni incumpentium vaſorum magis minusque cedere iuſſa, attendi debet, quae tamen fere indolem vaſorum rubrorum meningum, et corticis, intuitu roboris et debilitatis, ſequitur. Praeterea cum non in ſolum cerebrum, et per illud demum in Corpus reliquum agere videatur Opium, ſed et ſtatim in ventriculi nervos ſuorum atomorum nubem penetrare faciat, atque totam nervoſam compagem conſenſionis perpetuae lege, ſubito afficiat, maxime refert in omni operatione ab Opio expectanda, qualis ſit totius ſyntaxeos nervoſae fabrica, omniumque ſolidarum partium corporis ſtructura. Vniverſus hic contextus, ſi ex tenerioribus, molliuſculis, delicatulis, ſenſibilibus valde, et irritabilibus fibrillis coaluerit, corpusque totum, effinxerit debile, iunceum et gracile, mirum quantum id mutabitur ſtatim ab Opio, effectusque eius tales ſubinde ſiſtet, quales nemo facile niſi rerum gnarus exſpectaſſet, quosque niſi repetitae experientiae proſtarent, nimius remedii amator ab eo ſolo deducendos negaret. Namque vt nullum aliud generoſum pharmacum ſine grandiore effectu ferunt homines minus robuſti, ita etiam Opio ſtatim mirifice offenduntur. Idem autem valere debet de illis, qui firmo et valido nervoſo genere antea pollentes, id diaeta indecente, variis morbis acutis et longioribus languidum nunc redditum, et fractum dolent, viriumque omnium penuria laborant. Neque haec quae a priori deducta ſaltem videri poterant a Fautoribus Opii, ad ſpeculationes theoreticas referentur iure. Inter multos quippe Medicos praxi celebres, et a praeiudiciis liberos *Williſius* d) expertus affeverat, eos qui corpore firmo et quadrato praediti ſunt, medicinam iſtam melius ferre, et ſecurius ea vti, valde autem eam officere illis, qui admodum graciles ſunt, carnesque molles et flaccidas habent; cautusque porro monet, ſi membra et partes motivas languor et enervatio cum ſtupore occupet, pharmaciae hypnoticae omnino ſuperſedendum eſſe, eamque debilitatis ab haemorrhagia,

d) *Pharmac. Rat. Part. I. Sect. VII. c. II. p.* 191. 192. 193.

morrhagia, inedia, diuturnisque aegrotationibus, non convenire. Neque aliter Illuſtr. de *Berger* c) *Opiata* ait, *eo magis ſunt exitioſa, quo teneriorem et iam nimis fractum et fatigatum vaſorum fibrarumque cerebri et nervorum contextum offendunt. - - - Res certe periculi plena eſt, in omnibus qui debili ſunt cerebro, et viribus infirmis, morboque acuto vel longo fractis, et attritis. Nam in his vires corporis exhauſtae levi preſſione cerebri facile ita penitus infringi poſſunt, vt muſculi cordis et reſpirationi inſervientes influxu cerebri deſtituti magis magisque in motu ſuo deficiant, ac in exitialem vitae tranſeant quietem. In quocunque igitur morbo ſive perſpiratio movenda, ſive ſiſtendae fluxiones, ſive dolores et motus humorum ac partium ſolidarum temperandi, ſomnusque conciliandus, ſive alia intentio expedienda, ſemper virium ratio habenda, vtrum generoſum hoc remedium ferant. Nam qui hic latum vnguem transgreditur, facile peccatum, quod vel ipſe vel adſtantes ignorant, committere poteſt, ab aegro innocente morbo graviore, vel morte piandum.* Horum omnium bene gnarus Cl. *Geoffroy* f) etiam ſumma cum cautela Opium exhibendum hominibus debilioris conſtitutionis, laxioris texturae et debilitatis, monuit. Inter debiles homines autem, et debilitatos ſpeciatim Literatos referens *Waldſchmidius* g) qui meditando, legendo, ſcribendo, ſtudiisque et lucubrationibus totum vitae tempus terendo, robur ſuum exhauriunt, et in Viros tandem chartaceos, hoc eſt in infirmos et valetudinarios inter chartas abeunt, hos ſpirituum penuria laborantes, potius refocillantibus, quam pernicioſis Opiatis tractandos inculcat. Novi ego non paucos qui inde minus bene habuerunt, et circa caput potiſſimum ſtatim incommoda reportarunt ita, vt aliquamdiu ab adamatis ſtudiis abſtinere cogerentur, licet per externum corporis habitum, inter languidos mortalium referendi vix viderentur. Sed non minus vidi ſaepe veritatem moniti *Holleriani* h) *mulieribus mollio-*

c) *diſſ.* §. XII.

f) *Mat. Med. Tom. II. p.* 710

g) *in monitis medicis circa vſum Opii p.* 18. 19.

h) *de morbis internis lib.* I. *c.* VI. *in ſchol. fine.*

ribus vſum Opii periculoſum eſſe. Recordor probe foemellarum tenellularum, numero plurimum, quibus hiſtericis ſpaſmis valde opreſſis, minutulas doſes Opii exhibui, vel quibus ferina tuſſi laborantibus, maximae ſi gravidae eſſent, vrgente neceſſitate ſumma, exhibui veſperi grana duo vel tria MP. de Styr.; quas vero poſt tria vel quatuor totidem noctibus aſſumta praebia, dein ſudoribus diffluentes, languidiſſimas, de proſtrato appetitu, de alvi obſtructione, de torpore capitis, de anxietatibus, aliisque incommodis ab Opio emergentibus conquerentes inveni, ita quidem vt licet perdurans tuſſis Opium porro indicaret, et plane poſceret, ab vſu tamen deſiſtere, atque ad emulſiones oleoſas, mucilaginoſa, diacodiata, leniora, confugere debuerim, neſcius quid tandem inſecuturum fuiſſet, ſi praefracte vſui inhaeſiſſem, expertus interim omnia incommoda ceſſaviſſe, ſepoſito Opio. Dedi aliquando Foeminae admodum ſenſibili nervorum ſyntaxi praeditae, multorumque liberorum matri, quae propter habitualia fere ſpaſmorum incommoda, mihi Mater doloroſa audiebat, ob rheumatiſmum in nucha, ob intenſiſſimos cruciatus convulſiones minantem, poſt VSem, clyſma, topica emollientia, et Emulſionem oleoſam, granum vnum Opii in 4. praebia diviſum, intra 8. vel 12. horas abſumendum. Poſt tertium autem iam dormiebat per multas horas, pavoribus vexata, expergiſcebaturque tandem temulenta, ebria, et ſemi-delira. Nondum quoque dememini alicuius Dominae eminentiorem formae elegantiam per tenerrimam vultus membrorumque fabricam nactae, cui dum morbillis laborabat, veſperi grani quartam partem de Opio praebueram, quae vero poſt tres doſes ita abſumtas, ob mitigatam tuſſim ſomno blandiſſimo potita, membris fracta erat, temulenta, vertiginoſa, atque cum abſtineret locoque veſpertini pulvilli opiati ſumeret oleum amygdalinum cum ſyrupo violarum, altera die ſtatim melius habebat. Liceat adhuc mentionem iniicere generoſae, cultuque et officiis digniſ-

ſimae

ſimae foeminae, molliuſculo corporis habitu indutae, dirum et inveteratum, atque rebellem, ad omnia multorum Medicorum remedia, Rheumatiſmum in dextrae ſuperioris maxillae regione per periodos perpeſſae, doloribus eousque ſaepe invaleſcentibus, vt metum ſummum inſecuturarum convulſionum inferrent. Nulla remiſſio quicquid agebatur, niſi ab Opio, eiusque paulo largioribus et repetitis doſibus, ſed hac impetrata, aegra iacebat debiliſſima, caput ſuſtinere impotens, quod ponderoſius redditum nutabat quaquaverſum, vertiginoſa erat, anxia, et delira.

Sincere ſcribo, in illis rerum conditionibus vrgentem largiter Opium exhibendi neceſſitatem, ab amiciſſimo quodam collega toties propoſitam, cui reluctari nolui, non ſemel pene aeque magnum et aeque formidabile malum mihi viſam fuiſſe, quam importunum et ad ſummam nequitiam adſcendentem dolorem. Atque miros eiusmodi effectus Opio ſolemnes, in ſexu ſequiore ſat ſaepe notavi, numeroque plura exempla adducere poteram. Sed non minus eos cito ſaepe emergentes vidi in maribus, corporum gracili et laxiori contextu foeminas referentibus, meque ipſum allegare debeo qui cholera laborans in proprio corpore et, et praecipue capite, eadem incommoda perſenſi, a mediocribus Opii doſibus, quae in aliis antea obſervavi. Quam notabiles autem gravesque ſaepe et periculoſas mutationes edat in tenerrimis Infantum corpuſculis exhibitum Opium, prona conſequentia ex hactenus dictis poteſt colligi. An igitur audiendus an negligendus eſt Illuſtris *Hoffmannus*? quando anodyna et opiata nocentiſſima eſſe, valde debilibus, atque vel aetate, vel morbo fractis contendit. i) perpetuumque in praxi medica monitum eſſe debere iniungit, vt nunquam valida ſedativa propinemus, quando virium adeſt infirmitas. Crediderim ego Illuſtrem Virum quando alibi in legibus medendi tradendis occubatur, *octava* k) earum ſanxiſſe ſum-

i) *Med Syſt. Tom. II Part. II. c. 7. §. 16. et in ſchol.*

k) *Tom. III. p.* 433.

ſummo iure, *motubus iam languidis, anodyna ſumma cum cura evitanda eſſe, praeſenteque corporis imbecillitate, ex impotentia membra movendi, pulſu debili, parvoque et actionum animalium torpore et ſegnitie diiudicanda, nunquam ea adhiberi debere.* Id omne cum experientia repetita doceat, ſimul perſpicitur clariſſime, quod hac occaſione cum cura noto, pravos effectus Opii in debilibus et debilitatis, etiam in doſi exigua, commonſtrare luculenter ipſum Opium aliud quid adhuc agere in corpore noſtro, quam rarefacere humores, namque eiusmodi hominibus remedia vere rarefacientia, aromatica, volatilia, ipſumque vinum ſaepe eximio eſſe ſolent levamini, neutiquam vero rarefaciens Opium.

§. IIII.

ac cutis, cuius tonum modificat ambiens atmoſphaera.

Sed reſtat aliud adhuc momentum, praeter ſolidorum teneriorem fabricam, minime hic dum de habitu corporis humani ad Opium ago, ſilentio praetereundum. Agit Opium principio quodam ſubtiliſſimo vaporoſo, aurae cuidam halituique non abſimili, atque eius beneficio, nil invium offendens, cito pervagatur totum corpus, abditosque eius receſſus; dumque princeps aliquis eius effectus eſt, aucta perſpiratio, ſudorisque promotio, per organum excretorium maximam prae aliis colatoriis ſuperficiem nactum, cribrum ſcilicet cutaneum, relicto pruritus ſenſu, exſpirat iterum ex corpore actionemque ſuam in illud, finit. Multum igitur ad effectus eius, eminentiores levioresque reddendos, multum ad doſeos tolerabilis vel parvitatem vel magnitudinem, faciet cutis fabrica, raritate et denſitate maiori minorive pollens, aerisque ambientis conſtitutio, perſpirationi magis minusque favens adeoque ipſius coeli et climatis differentia. Varii circumſtantiarum harum intuitu effectus, vt in diverſis ſubiectis in eadem plaga degentibus, ab Opio obſervantur, ita quam-

quammaxime in oculis incurrunt, ſi diverſarum regionum incolas reſpicias. Videtur haec vna ex praecipuis rationibus, quod orientales Populi largiores doſes et diu continuatas, ferant faciles, et ſuperſtites, quas exitiales alias mundi plagas habitantibus experiremur, atque ad quas pauci e noſtris, et non niſi ſenſim adſcendendo, per longam conſuetudinem impune deducuntur. Id momentum expendens *Hecquetus* l) ipſi ſanguini tenui ſatis et meabili Populorum horum cauſam tribuit, ſed elegantius *Bergerus* m) *Multum confert* inquit, *aeris ambientis conſtitutio, ſub coelo enim calidiore liberius perſpiramus, quam vbi inclementior aer poros ſtringit, vt non vna ſit ratio, quamobrem Gentes ad Orientem longe facilius Opium ferant, et minus inde periclitentur quam noſtri.* Igitur quo magis in habitato Orbe a fervidiore plaga pervenitur in zonam inclementiorem frigidamque, eo magis Opium, licet ſua virtute ipſum calidum ſit, mediocribus etiam doſibus graviores effectus edere obſervatur, imo vero noxas evidentes inferre. Narravit mihi Amicus Optimus, natione Italus cives ſuos magnas Opii doſes ferre viditque adeo hominem Venetiis, qui vitae pertaeſus ſumſit vltra drachmam, voti tamen mortem ſibi adſciſcendi damnatus haud fuit, namque poſt trium dierum ſomnum evigilavit, ſibique redditus eſt, temulentus aliquamdiu permanens. Aliter vero ſe res habet cum hominibus verſus ſeptentrionem degentibus, teſte celebri olim Hafnienſium Medico Olao *Borrichio*, n) quamvis ad humorum indolem magis quam firmarum partium cutisque ſtructuram, atque atmoſphaerae circumfuſae indolem reſpiciente. *Noſtratium* inquit, *Corporibus quae pituitoſi frequentius ſunt habitus, ſtatim inſidiatur Opium, niſi agas circumſpectiſſime. Populi ad Orientem item Afri ferunt longe facilius. Imo Germanos videas non raro, minus inde periclitari quam noſtros.* Videntur vero verſus Occidentem conſiti Belgae magis habiles ferendo huic remedio; ſaltem *Waldſchmidius* o) miratur, *Sylvium*,

l) p. 106.

m) §. 12. *idem Illuſtr. Buchnerus diſſ.* §. 54. *et Cartheuſer Mat. Med. Part. I. p.* 613. 614.

n) *de ſomno et ſomniferis p.* 31.

o) *monit. med. circa Opium p.* 20.

Sylvium, Barbetto, Deckerum alioſque Batavis tam crebro et in inſueta doſi illud exhibuiſſe, quorum veſtigia inquit, ſi quis his in locis, in Haſſia nempe, terere vellet, brevi ſuae audaciae lueret poenam, bonaeque famae diſpendium. Multum igitur intereſt in medendo aerem et aquas et loca et quod primum eſt corporis fabricam attente conſideraviſſe.

CAPVT VII.

Correctiones Opii inutiles et imaginariae.

§. I.

Pro neceſſitate Correctionis militantes Auctores.

Audio vero de his talibus me differentem comiter interpellantes Medicos haud paucos, et dicta a me omnia de nimiis et ancipitibus effectubus Opii, ſi valeant, valitura ſaltem aſſeverantes de Opio crudo, non aeque de purificato, aut additis ipſi aliis pharmacis, per artis leges correcto. Dari nimirum methodos multorum fert opinio, quibus draſtica eius vis, quae ſanitati humanae inimica obſervatur, cicurari queat, quorumque ope ſylveſtre illud vaporoſum, totum abigatur, retento ſaltem benigniori, et nervis amicabili elemento. Sane inſignem per additamenta varia correctionem fieri, iam ſtatuebat venerabilis antiquitas, Medicique veteres ad vnum omnes qui ceu venenum nativum Opium horrebant; quibusque id ſolum exhibere eapropter religio erat, admiſta inter ſe mire pugnantium farragine, idem corrigi prorſus ac immutari, et in ſaluberrimum alexiterium converti, ſibi perſuadebant. Non ignotam puto ſententiam *Galeni* p) *Quod Opium* inquientis *per ſe potum exitiale ſit, neminem latere exiſtimo, ſin autem cum*

p) *de Theriaca ad Piſonem c.* 13.

cum aliis nonnullis ſit praeparatum, aegrotos ita ſubinde iuvat, vt maxime ſalutiferum medicamentum eſſe videatur. Huius deinde auctoritate ducti Graeci atque Arabes, Correctionem Opii neceſſariam pariter per ſecula ratam habuere, atque eorum haud pauci pro ſuo captu, modo hac, modo alia ratione eandem adornandam eſſe arbitrati ſunt. Recentiori tempore *Helmontius* q) felicem praedicavit aegrum, cuius auxiliator Medicus norit lethale e papavere et Opio ſeparare, retenta virtute deſiderata, cum alioquin nocuum vna cum proficuo aſſumatur. Vix aliter cenſuit Germanorum, noſtraeque Vratislaviae gloria *Sennertus*, r) Opium ita venenatum habens, vt hominem interimere poſſit, quia tamen vim ſoporiferam ſimul obtineat, in doloribus et vigiliis expetitam, vtilia etiam ex eo medicamenta parari poſſe monet. Atque licet rationem Correctionis veteribus allegatam, modumque ipſis vſitatum reiiciat, tamen et ſoporiferam, et malignam vim cum Galeno in Opio ponens, vtriusque correctionem ſuſcipiendam eſſe autor eſt. A *Sennerto* vix diſſentiens *Wedelius* s) magnifice prodeſſe Opium putat, ſi rite praeparatum ſit, nocere autem ſi temerario vſu crudum et incorrectum porrigatur, non absque vitae inſtantaneo detrimento. Neceſſitatem vero correctionis fuſius probare nititur, ex ratione et ex experientia, atque ad conſenſum omnium Medicorum imprimis Chemicorum provocat, obſervationemque monſtraſſe aſſeverat, non aeque proficuos effectus ex incorrecti vſu promanaſſe. Porro quoque Vir egregius Simon *Pauli*, t) Opium decore praeparatum vult, ad felicem Praxin, perperam vero praeparatum aegros multis incommodis mactare dicit. Deinde et *VValdſchmidius* u) Omnia bona quae praeſtant Opiata, ea exercere dicit, quatenus depoſuerunt connexum ſuum virus, illud vero ſegregare, magnum opus magnumque laborem eſſe pronunciat. Pulchra vero et figurata dictione correctionem neceſſariam probare nititur *Clauderus*, x) *Cum roſa haec pulchella*

q) *Tr. de Duumviratu pag.* 64.

r) *Med. Pract. lib. VI. p.* 296. 297. 298.

s) *Opiol. p.* 40 *ſeq.*

t) *Quadrip. Botan. p.* 423.

u) *in monitis Med. p.* 22.

x) *Ephem. N.C. Dec. II. obſ.* 178.

pulchella inquiens, *acutiſſimis circumdata ſit ſpinis, hoc eſt cruditatibus ſylveſtribus, atque ſcoriis noxiis ſcateat, varii naturae Myſtae lapidem moverunt omnem, quo aurum hoc e minerva ſua erueretur, hinc ſedulo huic operi inſudarunt Sala, Freitagius, Hartmannus, Doringius, Tillingius, Ettmullerus, VVedelius.* En Correcrorum primi ordinis non mediocrem Catalogum! Pertinent vero ad eundem fere omnes materiae medicinalis ſcriptores, qui cum Bernhardo *Valentini* y) Opium non ita crudum, ſed praeparatum, correctumque, praeſcribendum volunt. Noſtra aetate Celebr. *Neumannus*, z) qui multo ſtudio examen ſimplicium ex tribus naturae regnis ſuſcepit, de Opio dum data Opera agit, plurimos certe introſpexiſſe et forſan praeter voluntatem expertos eſſe dicit, quod crudum in ſe Opium nil boni praeſtet, quare ipſe pro correctione eius omni modo militat. Non poſſum hac occaſione obliviſci Optimi Praeceptoris *Hoffmanni*, namque et hic Opio crudo raro fidendum eſſe, ſi vero recte praeparatum et correctum fuerit, remedium praebere magnae efficaciae, affirmat. a) Atque in diſſertatione quam ſpeciali labore *de Opii correctione* conſcripſit, equidem crudum Opium ſi non venenum habere profitetur, ſaepiusque id praeferendum ducit inconcinnorum ex eo praeparatorum extractorumque nimiis doſibus, nihilominus tamen firmiter cenſet, praeparatione indigere, vt vtile ab inutili ſeparetur, et nova etiam cum aliis, vnione ſeu compoſitione eius vis corrigatur et emendetur. Atque hanc ſententiam ſuam quam Halae inclareſcens, in primis ſuis ſchediaſmatibus declaraverat, ſervavit conſtanter dum in artis exercitiis conſeneſceret, ipſam in Medicina ſyſtematica toties palam elocutus. b) Neque forte praeter rem credo diſcipulum primo et amanuenſem, deinde Collegam Hoffmanni Celeb. *Schulzium*, ſecutum manuductionem Praeceptoris iisdem principiis inhaeſiſſe. Etenim diſſertatione *de Opiatis officinalibus*, non ſolum correctionem Opii admittit, verum vrget valde, et

y) *Muſ. Muſ.* p. 272. §. 6.

z) *Lect. de Opio* p. 119. 120.

a) *diſſ. de Opiatorum operatione* §. XI.

b) *Tom. II. p.* 280. *Tom. III p.* 447. *et relibquis Tomis multis locis de Opiatis correctis adhibendis in Praxi dicit.*

et bonitatem compoſitionum quas Opium ingreditur, ſecundum corrigentium indolem, ac molem metitur atque diiudicat. Video quoque, qui magno Academiae Halenſis bono iam in ea floret et viget, Illuſtri *Buchneri* c) Opium crudum haud probari, ſed ex eo paratas Tincturas anodynas ſecuriores haberi. Memorabile eſt Opii iuratum hoſtem Cl. *Stahlium*, d) vbi de correctione ipſi ſermo eſt, fere titubare atque ſibi contradicere. Nimirum primo contendit Opii correctiones eſſe falſas, et ad ſummum nil aliud efficere, quam vt non tam parva quantitate effectus ſuos exerat, minime vero vt minore narcoſeos et perturbationis energia polleat, interque omnes notas Opii cicurationes, nullam eſſe, quae ab hac cenſura experientiae teſtimonio eximi mereatur. Poſtea vero verbis immediate ſubſequentibus largitur ſe compertum habere per additamenta nonnihil cicurari poſſe Opium, at quoniam hoc pharmacum quavis forma, quavis veſte indutum ipſi diſplicet, cicuratione non obſtante, in ſenſibilioribus affectubus et ſubiectis, nec haec additamenta impedire affirmat, quin malefica Opii indoles manifeſtetur.

c) *in fundamentis Mat. Med.*

d) *diſſ. de impoſtura Opii §. 77.*

§. II.

Correctionem omnem reiicientes.

Vt vero ſine omni tali tergiverſatione, et fluctuatione, ad quam Stahlium favor hypotheſeos, et praeiudicium firmiter radicatum, vnice perduxiſſe videtur, laudati antea praeſtantiſſimi Viri, rotunde correctionem Opii vrgent et per eam id vero manſueſcere eloquuntur, ita alii non minoris auctoritatis Medici, rotunde negant Opio nativo vllam correctionem neceſſariam eſſe, ſed immutatum licet prorſus, et crudum pulchrum tamen et vtile deprehendi, modo a perito Viro aegris exhibeatur. Sane magnus ille materiae medicinalis Reformator Daniel *Ludovici*, e) qui Practicus ſat celebris exſtitit, crudum Opium aeque praeſtans eſſe, quam omnia praeparata aſſerit, et laudani cuiuscunque loco vſurpari poſſe; ſique tamen hoc praeter rem deſideretur, ſimplex ſal-

e) *Pharmaciae moderno Seculo applicandae p.368.*

tem aliis operoſius congeſtis merito praeferri debere. Ipſe vere *VVedelius* qui peculiare caput conſcripſerat in Opiologia ſua *de Correctione*, et eam agnoverat omni modo neceſſariam, tamen alibi ait: f) *Si velimus ſtricte loqui, vt rei veritas ſe habet, Opium nulla correctione indiget, niſi depuratione.* Sed aperte taxat illos, praxi clinica celebratiſſimus *Sydenhamus*, g) qui crudelis perſuadere amant, Opii virtutem ab artificioſa praeparatione pendere, cum experientia iudice, teſteque obſervatione conſtet, inter ſimplicem ſuccum a natura oblatum, et eius praeparata nil diſcriminis intercedere, mirandosque effectus nativae plantae bonitati, non artificis polydaedali ſolertiae deberi. De qua re non minus convictus Cl. *Bergerus* h) illum qui Opii vires et mutationes in corporibus noſtris recte perpenderit, de correctionibus eius minus ſollicitum fore aſſeverat, ſed eodem crudo tempore neceſſitatis tuto vſurum, modo conveniendi ſubiecto, morbo tempore, doſi, idem adhibeat. Quare etiam contra Helmontium, quem ego antea inter Fautores Correctionum citavi, quia vis omnis Opii noxia et ſalutaris a particulis eius ſalino-ſulphureis et rarefacientibus pendet, clare liquere affirmat, non poſſe vnam ab altera ſeparari, totque correctiones Medicorum, non aliunde niſi ab ignorato modo agendi Opii proficiſci ait, felicem eſſe aegrum teſtatus, cuius Medicus recte vti Opio novit, id enim eſſe retenta vi optata, lethale ab Opio ſeparare. Atque qui in Opio aegris exhibendo ſatis liberalis exſtitit Gerhardus *Goris*, i) illud ſimplex, purum putumque, omni ac quovis modo praeparato, ſeu correcto, praeferendum ratus eſt. Prorſus ita iudicat quoque *Hambergerus*, k) quando modos Opium praeparandi et depurandi, ad evitandos noxios eius effectus, re rite conſiderata, omnes nullius eſſe pretii ſtatuit, praeter eum, qui terreſtres partes ſeparat, vt ſubſtantia remedii magis homogenea obtineatur. Tandem quoque qui ſatis amplum campum in Praxi Opii vſui patefacere allaboravit *Hecquet*, l) omnem qualemcun-

f) *lib. I. Sect. II. c. VI. p.* 69.

g) *Operum pag.* 230.

h) *diſſ. de dyſenteria* §. 20. *et de vi Opii rarefaciente* §. 13.

i) *Medicinae contemptae Cap. X p.* 280

k) *diſſ.* §. 56.

l) *p.* 102. *ſeq.*

que

que eius correctionem reiicit, quia Opium nil habeat in ſe, quod correctione indigeat, atque eapropter exhiberi queat, ſine vlla praevia praeparatione, tale quale manus naturae largiuntur. Praeter laudatos Claros Viros etiam omnem qualemcunque Correctionem niſi ſolam depurationem improbat *Geoffroy*. m) Non poſſum tandem omittere recentem Scriptorem de Opio Cl. *Young*, qui crudum Opium eiusdem prorſus valoris eſſe profitetur, quam omnia praeparata diaſcordium et alia, quamvis tamen aliquam praeparationem ſuam fecerit, de qua alibi.

m) *Mat. Med. Tom. II. p. 704*

§. III.

Correctionem, et artem otioſam eſſe, illuſtratur exemplo Mercurii.

En nunc ſpeciminum loco, toto coelo a ſe invicem diſcrepantes, atque e diametro ſibi contrariantes ſententias! quas probe nunc expendendas nobis ſumere tenemur, vt cuinam coetui, ſive pro artificiis pharmaceuticis, ſive pro naturae ſimplicitate militanti, omne contradictorium excludens veritas ſocia adſit, quam accuratiſſime appareat. Ego quidem antequam huic inquiſitioni me accingam, ſtatim ſincerus profiteor, me omnem correctionem Opii qualemcunque demum, egregie inutilem habere, vtpote quae magno aliquando et arcani quippiam crepante labore ſuſcepta, ne tantillum tamen commodi Medicorum aegrorumque deſideriis elargitur. Non ſemel dum hoc argumentum ſedulo animo volvi, Medici omnes, qui videntes, bonos et ſiniſtros Opii effectus, ac pro his evitandis, illisque obtinendis emendare Opium ſtudent, idem facere mihi viſi ſunt, ac faceret is qui obſervans peſſimos et eximios effectus vini, cum quo non minimam analogiam habet Opium, de eius correctione cogitaret, noxiaque eius elementa fugare, ſi diis placet, aut additamentis pro captu ſelectis, enervare moliretur. Sane vt moralia mala a Vinoſitate propullulantia taceam, phyſica certe inde orta, maxime quando mortem ſubitam homini inducunt, aut haemorrhagias febresque accutiſſimas accerſunt,

cerſunt, aut omnes functiones corporis peſſundant, ſanitatemque priſtinam prorſus deſtruunt, ita omnino comparata ſunt, vt ſi ab iis ſolis iudicium ferendum eſſet, venenati quippiam vino inhaerere concludere liceret; nonne vero idem hoc eiusdemque generis vinum eſt cardiacum, ſtomachicum, diaphoreticum, ſedativum, ſubinde ſummum? nonne in eo latet pro avertendis et ſublevandis graviſſimis aegritudinibus, atque obtinenda adeo exoptata longaevitate, incomparabile prorſus praeſidium?

Temporibus Medicina valet, data tempore proſunt,
Et data non iuſto tempore vina nocent.

Vanum omnino eſt aſſerere, Opio demendam eſſe virulentam indolem ita vt relinquatur medicamentoſa, cum Opium et vinum pro temporis quo adhibentur, pro doſeos, pro ſubiectorum, aliarumque circumſtantiarum varietate, non pro diverſi generis ſulphure inſito, particulisque benignioris rudiorisque naturae, iuvamen vel noxas adferat. Non adeo noverca exſtitit vnquam, praeſidia ſanitatis indulgens miſeris mortalibus, alma mater Natura, vt dona ipſius incompleta, ac ſemi-exitioſa cenſeri debeant, atque ſupplementis, et correctionibus, artis indigentia inveniantur. Ab eadem ex cryptis ſubterraneis ſuppeditatus *Mercurius vivus* purus, et intemeratus, aeque fugat, ſi rite adhibeatur, morborum chronicorum aliter inſuperabilium cum ipſa foeda ſiphylide catervam, ac mercurialia artis beneficio parata Mercurius dulcis, praecipitatus albus mercurii diaphoretici, panaceaeque mercuriales decantatae omnes, illam fugant. Equidem ſat diu, vt Opium, male audiebat Mercurius vivus, toti quippe antiquitati Graece et Latinae habebatur pro venneno cumque demum in vſum vocaretur ab Arabibus, per longum tempus ſaltem in vnguentis inſerviebat vſibus Chirurgicis, ad ſananda potiſſimum vlcera et morbos varios cutaneos. Atque eousque etiam tantum adhibebatur a Medicis Europaeis Arabes ſequentibus, vsque ad tempora

Chriſto-

Chriſtophori *Columbi*, donec a Iohanne *Berengario* Carpenſi et Iohanne de *Vigo* talia vnguenta ad novum morbum Luem veneream, analogiam cum illis morbis externis hactenus cognitis alere viſam, fato traherentur, magno cum fructu; qua occaſione ſimul Mercurius vim ſuam movendi fluxum ſalivae commonſtrabat. Duravit vero haec methodus ad noſtrum aevum vsque, quis enim neſcit vires ſummas Vnguenti Neapolitani crudum Mercurium cum terebinthina extinctum habentis? Quis Lectorum Tractatus eximii de *Morbis venereis* Cl. *Aſtruc* ignorat, Virum egregium vſum eius omnibus mercurialibus artificialibus, per os exhibendis, ſolidiſſimis argumentis praeferre? Internum autem vſum Argenti vivi quod attinet, is quidem Arabibus Avicennae et Serapioni iam innotuit, dicatusque maxime fuit Iliacis aegris, ad alvum referandam. Sed ad multos chronicos morbos, poſtquam quod mirum Mercurius praecipitatus ruber interne datus eſſet a *Vigone*, et *Matthiolo*, interne Mercurium vivum extinctum, in pilulis inter Arcana ſibi ſervatis, additis purgantibus inter primos adhibuit *Belloſt*, n) magno aegrotantium bono, quae pulchros effectus etiam ſine mota ſalivatione, aut non niſi poſt longum vſum mota, ediderunt. Tales quoque pilulas, quae Mercurium crudum axungia, terebinthina, ſaliva, ſucco citri, extinctum, et in pollinem redactum, admiſtis purgantibus in ſe fovebant confecit *Platerus*; *Sylvius* o) *et Pharmacopoeia Bateana*, ſalivationem facile ciere aptas. *Pharmacopoeia Bateana* eiusmodi pilulas balſamicas dictas, Mercurium crudum cum terebinthina extinctum recipieotes depraedicat in Lue venerea, lepra et podagra. Sed maxime celebres fuerunt Pilulae *Barbaroſſae*, argentum vivum et purgantia habentes, cum ſucco limonum praeparatae, quas Petrus *Bayrus* mirabilem in Lue edidiſſe effectum refert, quasque *Rondeletius* multis collaudat. Hae Pilulae teſte *Boerhaavio*, q) et experientia ſatis crebra, Ptyaliſmum excitant, vt Prae-

n) *Suite du Chirurgien d'Hoſpital.*

o) *Method. Med. lib. II. c. XIII. §. 22. 25.*

p) *in Enchiridio de medendis Corporis affectubus libro de morbo italico.*

q) *Praelect. Academ. de Lue venerea Cap. III. Sect. 8. pd. Leidae 1751. in 8.*

praeparata Mercurialia, quae a Theophraſti Paracelſi tempore variis Chemicorum laboribus Pharmaciae illata ſunt magno numero, eiusque ope, morbum vt haec omnia, aeque feliciter ſanant. Leguntur etiam tales ex Mercurio vivo, terebinthina, et extracto Rhei praeparatae in *Nucleo Medicinae vniverſae*, iuſſu Sereniſſimi Cumbriae Ducis publicato, egregia pharmaca habente, a Medicis, Chirurgis, Pharmacopoeis, Regiis congeſta; dicunturque ibidem aeque praeſtantes ac omnia alia Mercurialia, quavis methodo, hoc ſemimetallum aegris corporibus inferentia. Invenio tandem et prorſus tales pilulas, ex Mercurio vivo cum terebinthina extincto, et rheo, in *Promptuario Hamburgenſi* *) ad Gonorrhoeam ſanantam, valde laudatas. Non vero omittere hic poſſum Anglorum methodum, qua argentum vivum globulis ſuis cohaerens, non extinctum, ad vncias, imo libras deglutiendum exhibent, per alvum iterum elabens equidem, ſed vt videtur, moleculis nonnullis ſaliva et liquore gaſtrico extinctis, atque ſic in humorum oceanum admiſſis; quod tanto magis credibile eſt, cum aliquando et Hydrargyrum crudum ore aſſumptum, placidam ſalivationem moverit.[r] Ita adhibitum, vt teſtantur Graves Viri, nullum ſenſibile, multo minus moleſtum ſymptoma excitat, nullum aut parcum admodum ſalivae profluvium, idque ſine tumore glandularum, ſine vacillatione dentium proritat. Legi de hac methodo poteſt Thomas *Dover*,[s] *Anonymus*[t] quidam, et alii, eiusque occaſione habita Lipſiae egraegia Cl. *Sartorii* diſſertatio, *de Vſu Hydrargyri interno ad mentem recentiorum* in qua[u]) merito eam eſſe Virorum, qui Hydrargyri ſic vſurpati virtutem in debellandis morbis chronicis fere omnibus, nobis depraedicant, dignitatem, aſſeritur, vt eorum facta negare velle, temeritatis ſit. Ita ſane clariſſimum redditur, Mercurio nativo ſolo externe et interne adhibito, curari poſſe diriſſimas aegritudines, vel ſine vel mediante ſalivatione, qua ad ſanandum adeo Luem fatente ipſo

*) *Tom. XV. Sect. I. p.* 36.

r) *Eph. Nat. Cur. Dec. II. Ao. IV. obſ.* 98. *Schol.*

s) *in libro ex anglico gallice verſo Legs d'un Ancien Medicin à ſa Patrie.*

t) *in Tr. qui Encomium argenti vivi inſcribitur.*

u) §. 8. *et* 9.

ipſo Cl. *Aſtruc* abſolute ne quidem opus eſt, vt ita tuti carere queamus omnibus praeparatis artificialibus ex Mercurio, quae iisdem toties opponuntur, paucis forte chirurgicis caſibus exceptis. Quin ne quidem opus eſt, vt arte reviviſcens ex Cinnabari, aut deſtilatus Mercurius, huic negotio adaptetur, quem crudo noſtrati arſenico plerumque inquinato, praeferendum omnino, nemo equidem negaverit, ſi hiſpanico puriore ex Indiarum mineris allato, improbie manibus non adulterato, potiri queamus. Saepe etiam transpreſſio per corium heterogeneitates ſatis ſeparat, et intemeratum Mercurium nobis elargitur. Haec dum ita ſunt, valde miror Celeberrimum *Hundertmark* x), qui Mercurium vivum extinctum, vt foris illitum, ita et praecipue cum ſacharo tritum oreque captum optime ad ſanguinem pergere memorat, non tamen favere huius vſui, eaque propter ipſum horrere, quia largior eius copia neceſſario adhibenda eſt, a qua multa mala metuit. Arbitratur hinc melius tutiusve adhiberi Mercurium, in parciore copia, et pondere efficaciſſimum, cum ſalis communis nitri, vitrioli acido coniunctum in minima mole maximae virtutis, niſi plus iuſto fuerit acrior. Atque eapropter laudat, nec nimis forti acrimonia laeſurum, nec nimis debili inertem futurum Mercurium dulcem ſexies ſublimatum, et Mercurium praecipitatum album. Vtrumque ſecure adhiberi ſcio, et vſurpavi ipſe ſat ſaepe, credo tamen, eadem ſecuritate, quin et maiore, eademque potentia agere Mercurium vivum extinctum, extus et intus vſurpatum, curationibusque elegantiſſimis prorſus ſufficere. Metuit Cl. *Hundertmark*, ne vivus maxime volatilis dum circumagitur vi circuli, eam acquirat ſubtilitatem, quae nervis inimica ſit, nixusque praecipue *Matthioli* et *Swietenii* adſertione veretur, ne elapſus vaſis et collectus ſtagnet, in oſſium celluloſis receſſubus, ibique pondere ſuo membranas premat, et dolores moleſtiſſimos, ipſamque epilepſiam producat, quod ipſum ſaepius accidere dicit vnguento mercu-

x) *in libro eleganti de Mercurio conſcripto p. 75.*

riali

riali inunctis; neve ſiphyliticorum oſſa friabilia vi illiti Mercurii facile diffringantur penitus, atque in his hiatubus Mercurius colligatur. Multum haec monita detrahere videntur vſui Mercurii vivi. Verum perpendere iuvat, *Matthiolum* et *Swietenium* maxime loqui, de imprudentibus Agyrtarum conatubus, argentum vivum immenſa copia ſimul in vnguento affricantibus, qui rationali et medicae applicationi Vnguentorum Mercurialium nil demunt. Dantur morbi, datur humorum ſpecifica acrimonia imbutorum intemperies, vbi prorſus non convenit, et in venenum abire poteſt Mercurius; atque vbi quidem a ſagacibus iam ante vſum, multa mala praedici poſſunt; tum vero Medico, non remedio culpa tribui debet. Id interim verum, Mercurium quamdiu non aſper eſt et hirſutus, ſed exacte ſphaericus manet, dum in minutiſſimas ſphaerulas eſt diviſibilis, atque ita per minutiſſimos canaliculos meare aptus, ſi vbique offendat vaſa aut aperta, aut propria ſibi virtute aperienda; inque ſua continuitate nullibi laeſa nullibi haeſorum, nec fibrillis vel tenuiſſimis vllam vim illaturum. Cumque inſuper per corium denſum moderata preſſione vaporis inſtar tranſeat, tanto magis per omnia colatoria corporis, quin et per corium humanum ſatis pervium et poroſum totus iterum elabetur, maxime ſi corpus ante aſſumtionem remediis, humores diluentibus et attenuantibus rite fuerit praeparatum ac regimen decens, atque praecipue aeris circumflui conſtitutio huic excretioni reſpondeat. Sub his omnibus conditionibus non facile in oſſium cellulis moras nectet, neque haeſitans noxas adferet, a quibus ni fallor ipſum iam abſolvit *Libavius*. y) Si oſſa iam fragilia ſint et exesa praeſtat abſtinuiſſe a Mercurio omni et ligno Graiaco curationem demandare. Notum praeterea eſt, quam circumſpecte hodie procedant Galli, illique medentum, qui eos imitantur, modicas portiones vnguenti pro vna vice affricantes, et vacua inunctionibus tempora aſſignantes, qua methodo in corpore

y) *in Syntagm. Arconorum chymicorum.*

pore non cumulatur Mercurius, ſineque oboriente ptyaliſmo, graves morbi nihilominus perſanantur. Taceo Cl. *Miſſae* Hydrargyrum camphoratum, ſeu vnguento mercuriali additam camphoram, qua miſcela efficitur, vt Mercurius retenta ſua virtute antivenerea humoresque noſtros ſolvente, virus debellet, ſine mota ſalivatione. Taceo Mercurio crudo extincto intus exhibendo addendam camphoram, cuius arctiori ſocietate inſtructus ſervus ille fugitivus, tanto, magis ſemper vlterius progredi iuſſus nullibi ſedem figet, ſed rapido curſu evagabitur per omnes corporis, ſine requie pigra, receſſus. Nonne autem haec omnia ſufficiunt pro aſſerenda nativa bonitate et ſecuritate argenti vivi corpus ingreſſi, ſub directione boni Medici, cuius innocentiam et praerogativam prae praeparatis chemicis mercurialibus variis locis egregie docet Cl. *Aſtruc*, horum noxas, quas ſpiculis ſuis acidis, ventriculo vaſorumque tenuiſſimorum fibrilis, viſceribusque omnibus nobilioribus et ignobilioribus facile inferunt, ſimul graphice deſcribens. Verum contra Aſtrucium, et contra metum mercurialium acido minerali impraegnatorum, valide pugnant obſervata recentia Illuſtr. L. B. van *Swieten.* [z]) Multa prudentia opus eſſe is affirmat dum Mercurius crudus datur, vel affricatur cuti; et e contra, Mercurii ſublimati corroſivi ſoſuti in ſpiritu frumenti rectificato, miram efficaciam obſervari, in lue venerea, et aliis morbis difficillimis teſtatur; hac ſaltem lege, vt in ſingulis vnciis ſpiritus, haereat dimidium granum, et deinde huius cochlear, mane et veſperi adultis detur, vel ad ſummum duo cochlearia, potando ſimul largam doſin decocti hordei, vel alius cuiuscunque emollientis. Trecentos et iterum alios ducentos, in noſocomio lue laborantes, absque ſalivatione omnes hac ſola methodo ſanatos recenſet, additque ſe vidiſſe, parum argenti vivi ſed efficaciſſimi redditi, et multa liquidi copia diluti, quammaxime profuiſſe, idque tuto ſumi, etiam diu.

z) *in epiſtolis duabus ad Ioſephum Bene venutum quae Lucae impreſſae ſunt, ſed et integrae leguntur in Commentariis Lipſienſibus de rebus in ſcientia naturali et Medicina geſtis Vol V. Part. IV. p. 717.*

Temerarium, inſolens, et abſonum foret, aliquid opponere velle feliciſſimis his eventubus, quis enim prudens de iis, deque vi ſumma huius veneni, arte exquitiſiſſima in remedium mutati; dubitabit? Nonne vero ſoli prudentiae qua id datum fuit proſper effectus debetur? an vero hic excludit effectus proſperos dati cum prudentia neutiquam venenoſi mercurii crudi? Nunquam ego allaborabo, vt in dubium vocem felices curationes a remediis mercurialibus artificialibus, etiam corroſivis, dextrae vſurpatis; ſaltem dum pro natura milito, mercurium crudum iisdem forte felicibus curationibus ex voto abſolvendis, ſi medicina careret omnibus arte praeparatis, idoneum futurum iudico. Nondum eousque defecit Vratislaviae vitae morumque integritas, quamvis ea non ſit amplius qualis olim erat, vt in civium meorum ignominiam abundemus ſiphiliticis, in quibus cum mercurio et mercurialibus crebra experimenta inſtituere liceat; fugit inſuper id hominum genus quod ſpurcitiem vagae et foedae laſciviae mercedem reputavit; apud nos ordinarie veros Medicos, et clandeſtino greſſu Tonſores et Medicaſtros cauſae ſuae deos tutelares ſibi eligit; interim tamen non mediocres ſucceſſus quos vidi aliquoties ipſe, a Mercurio crudo cum ſacharo et camphora trito, et per menſem et vltra quotidie exhibito, me credere faciunt, eosdem forte effectus ſalubres expectandos eſſe a mediocribus et innocentibus prorſus mercurii crudi doſibus, quam a minutis corroſivi. Favet omnino meo aſſerto, methodus adhibendi Mercurium Plenckiana.

§. IIII.

11 Ferri.

Quod vero de Mercurio modo fui elocutus, id ipſum de alio generoſo remedio, *Ferro*, non minus verum eſſe, convictus ſum, quippe quod ſimpliciter limatum, nullamque artem expertum, medicis vſibus plenarie ſufficit. Laudat *Thomſonius* [a]) *Sydenhamum*, quod, ad vetuſtam methodum Galeni ſe contulerit, et feliciter artis ignarus, mine-

a) *Diſſertationum III. de Marte in principio.*

ram

ram ipſam martis a natura praebitam, ſine ambage, idque fauſto ſatis cum ſucceſſu adhibuerit. Doleo optimum virum locum *Galeni* haud citaſſe, neque quantum ſcio, ex eius ſcriptis probari poteſt, ipſum vel ferrum, vel mineram ferri, in ſubſtantia inhibuiſſe. Ipſe autem *Sydenhamus* [b]) neſciens an verum ſit, ſe ſaltem audiviſſe dicit, mineram, prout ex terrae viſceribus effoditur, crudam, efficacius in morbis ſubiugandis operari, quam ferrum ignem iam paſſum, et fuſione depuratum, ſeque nondum expertum eſſe, ſiccine ſe res habeat an aliter. Sane antiquiores Medici *Dioſcorides* et *Celſus* tantum in dyſenteria et infractu Lienis laudarunt vinum, et aquam in quibus ferrum candens extinctum fuerat. *Hippocrates* de ferro prorſus tacet, *Galenus* autem aquae fabrorum ferrariorum etiam meminit, quam *Celſus* [c]) ad coercendos magnos lienes valere, vel ex eo probare nititur, quod animalia apud fabros illos educata exiguos lienes habuerint. Taceo *στόμωμα* ferri memorantes *Aetium* et *Oribaſium*, cum Chirurgicis vſibus id ſaltem deſtinatum velint. Internam autem ferri ipſius adhibitionem, priſco tempore formidabilem multis viſam eſſe, apparere poteſt ex conſilio *Avincennae*, qui ad noxas aſſumti praecavendas, aliquid Magnetis deſuper ſumendum lepide ſuaſit. Primus qui ferrum per ſe et liquorem ei infuſum internis vſibus dicavit notante *Freindio* [d]) fuit *Alexander Trallianus* [e]) multa de huius metalli virtutibus commemorans, et ſcirrho lienis id conducere ſcribens. Neglectum autem poſtmodum, fuiſſe, aut ſaltem rarius vſurpatum videtur hoc remedii genus, donec recentiori tempeſtate limatura, eademque adeo paulo largius, non ad aliquot grana ſed ad ſcrupulos duos, et totidem drachmas cum magno aegrorum fructu pro doſi exhiberetur, vt ex *Claudino* [f]) et *Sennerto* [g]) conſtare poteſt. Circa finem ſuperioris ſeculi *Sydenhamus* [h]) licet ad grana 8. et dimidium ſcrupulum ſaltem adſcenderit, commodiſſime in ſubſtantia ferrum exhiberi

b) *Operum in 8. p.* 508.

c) *lib. IV. c.* 9.

d) *Hiſt. Med. pag. mihi* 167.

e) *lib. XIII. c.* 13.

f) *de ingreſſu ad infirmos app. Sect. II.*

g) *lib. III. p.* 537.

h) *Operum p.* 508.

ſcripſit, atque notanter adiecit, *nec obſervavi vnquam ipſe, nec fando accepi, id ita ſumtum cuivis nocuiſſe, ſed certiorem me fecit experientia multiplex, nudam chalybis ſubſtantiam, et felicius et breviore temporis ſpatio curationem abſolvere, quam ſi is quovis ex iis, qui vulgo feruntur, modo fuerit praeparatus.* Porro ſe certo ſcire profitetur, nullum remedium praeclarum atque ἐξαίρετον, vspiam gentium eſſe procuſum, quod non a natura praecipuas vires acceperit; vnde Θειῶν χεῖρας, non vero hominum, praecellentiora quaevis medicamina grata Antiquitas compellaverit. Quod vero nativa quidpiam bonitate praeſtans, et efficacia, mirandos edat effectus quacunque demum forma ingeratur teſtes adducit Par illud nobile, *Papaveris lacbrymam* ſive *Opium*, et *Corticem Peruvianum.* Nemo quoque ignorat quam multum tribuerit Limaturae martis, quamque ſaepe eandem praeſcripſerit Celebris dum viveret Practicus *Lentilius*, ſed noſtro tempore nemo quidem frequentius eadem vſus eſt, et vti adhuc cum laude et optimis aegrorum rebus pergit, Illuſtri *Werlhofio.* Vanum eſſe, etiam in ſat magna doſi, ponderis ſtomacho moleſtias pariturí metum, graviora longe eſſe calcium praeparatorum, et alieno acore ſaturatorum et quarundam etiam tincturarum doſes, vel minores; et praeſtare limaturam ipſam plerumque praeparationibus, tum efficacia tum digeſtionis facilitate, plurimos obſervatores doctos dudum agnoviſſe vrget, Vir Eximius. i) Atque ea occaſione promulgatum, ſapiens *Academiae Regiae Scientiarum Pariſienſis* k), effatum, de praeparatis chimicis ex ferro ſuum facit, *Magno damno artem adhiberi in iis elaborandis, vt corrumpatur et deterior reddatur natura.* Verum enim vero, dari tamen debet, non in eosdem fines, medicos praeſcribere martialia, ſed ſaepe in admodum diverſos, nempe interdum vt adſtringant, interdum vt aperiant vaſa corporis. Vtrumque, cum praeſtare poſſe, haud videatur vna martis limatura, ſatius ſine dubio erit, vti vrtis ope confectis

i) *Obſervat. de Febrius p.* 142 *nota g.*

k) *Hiſtoire de l'Academie des ſciences anno* 1713. *p.* 26.

fectis Crocis Tincturiſque, aut aperientibus, aut adſtringentibus. Salſe ex merito lepita talia cogitata ridet *Thomſonus*, l) *Pudeat* inquiens *Viros mundi Didaſcalos in re omnino ſeria ludere, coecorum inſtar quae neſciunt peragere, et Andabatarum more ratiociniis pugnare, quam arti importunae nuncium remittere, et nudam amplecti naturam.* Laudat dein *Hartmannum*, Chymiae artis expertiſſimum, in Martis praeparatis tamen raram admiſiſſe Chymiam, nec niſi ſimpliciſſimam, Naturaeque ſimplicitati magis accommodatam. Imo vero ex mero ingenii luſu nomina diverſa, et contraria, eidem rei impoſita, credulamque medicinam exagitat, quaſi in exhibitione ferri nomine impoſito, liceat artifici, pro lubitu corpora aegrorum vel adſtringere, vel aperire. Probat deinceps tota diſſertatione, martialia omnia quicquid agunt, id vna corroboratione et adſtrictione fibrarum ac vaſorum peragere. Ad hunc cum ſimplex limatum ferrum abunde ſufficiat, nullaque praerogativa prae eodem polleat vllum ex tot praeparatis chemicis et pharmaceuticis, cui bono illa magno labore confecta aſſervantur in officinis? cur non omnia miſſa faciunt ingenui et in ſuperfluis ſibi haud placentes Practici? Poterant forte tolerari, et relinqui illis qui in apparatu diffuſo, et pompa materiae medicinalis gloriam artis, et aegrorum ſalutem ponunt, ſi huius intuitu perinde foret, ſive nativum ferrum, ſive igne variisque enchireſibus tortum, et aliam formam induere iuſſum, adhiberetur. Sed recte *Hoffmannus* m) plurima martialium praeparatorum infidis remediis annumeravit. Conſtat Ferrum, parte ſubtiliore ſulphurea inflammabili, et parte terreſtri. Illam ignis facile abigit et deſtruit, quare omnes qui eius ope parantur Croci, ſubtiliſſima et nobiliſſima parte deſtituuntur, quae ferro ſingularis, et propria eſt, et ignem non experto adhuc inhaeret. Illam partem ſubtilem ſulphuream vna cum teneriore terreſtri, optime ex limato ferro in ſe recipiunt menſtrua ſubacidula vegetabilium, cum infuſum acetum, et admiſta acida mineralium ſalis, vitrioli,

l) *l. c.*

m) *diſſ. de Remediis infidis* §. 3. *ſeq.*

trioli, ſulphuris inde fortiter conſtringentia, et valde ſtyptica remedia emergere faciant. Limatura ſimplici, et ſi fluidae formae pharmacum deſideretur, Tinctura cum ſucco Pomorum aut vino rhenano confecta, inſtructus Medicus, poterit ſecurus carere reliquis omnibus martialibus. Ego ſolis his remediis pulcherrimas curationes perfeci, et a multis annis nullum aliud adhibui amplius. Multoties vidi veritatem effati *Boerhaaviani* n) in corporibus languentibus, acidumque parientibus prodeſſe longe magis limati ferri pulverem, quam arte chemica inde laborioſiſſime praeparatum remedium. Dedi illum ſaepe ſaepius et vbi in phlegmaticis mucoſisque acidum deficere coniiciebam in primis viis, cum cremore tartari et ſacharo, aut ſi liquida forma arridebat ſolutum pro ſolubili ſua parte, leni acido fermentato oleoſo, vegetabili, vino rhenano; ſummumque vt laudato *Boerhaavio* depraedicatur, tunc remedium habui, inter hactenus cognita, in arte et natura, ad inſtaurandam vim haematopoieticam corpori humano, quoties haec ex ſola debilitate nimis laxorum ſolitorum, ex humorum aquoſa frigida inerti indole exoritur. Auſim aſſerere, haec duo remedia praeſtare omnia, quae immenſus apparatus medicaminum huius claſſis, praeſtare aptus eſt, neque vnquam inter tot bonos effectus emergere vllum ſiniſtrum ſi modo conſideretur quid vere Mars efficiat in corpore humano, indicationesque in ſanandis morbis neceſſariae, cum eius effectubus rite comparentur. Omne martiale pharmacum villos vaſorum et viſcerum adſtringit, pulſum accelerat, calorem auget, liquida denſat. Omnes hos effectus liquido monſtrat pallidum chloroticae puellae corpus, dum ſumto marte laxus illius habitus ſtrictior redditur, dum febricitat, dum incaleſcit, dum aquoſa et lenta humorum indoles abit in rubrum et bene compactum ſanguinem. Ex his patet, in quo humorum ſolidorumque ſtatu Mars ſit proficuus, nempe vbi fibrae ſunt flaccidae, vbi pulſus languet, vbi calor naturalis deficit, vbi liquida

n) *in Chem. Tom. II p 384 edit. Lipſ.*

lipuida nimis fuerint tenuia, aut lentore motu et calore attenuando; vaſis iterim omnibus et vbique integris, laborant. Oberit autem ſemper, quando vaſa ſunt fortia elaſtica rigida; vbi pulſus fortis et celer; vbi calore et aeſtu corpus laborat; vbi bono et compacto ſanguine turget. Curabit igitur obſtructiones viſcerum a lentore inerte, adhuc ſolubili, et laxa debilitate excluſas, ac ſuſtentatas; peiores reddet illas, quae rigori fibrarum, ſanguini inflammatorio, et concretis vixque amplius diſſolvendis humoribus, gypſo, ſcirrho, ſtrumis debentur. Dumque adeo pulchre prodeſt vbi acidum invenit, aut cum eo ingeritur, faeceſque nigro colore tingit, atque per experientiam non conducit victu alcaleſcente vtentibus, noxiusque eſt, ſi cum alcalicis fixis et volatilibus offeratur, oberit quoque ſemper in cruditate nidoroſa, ac praeſente humorum alcaleſcentia, vlceroſaque et cancroſa viſcerum conditione. In ſe autem in genere conſideratum ferrum, licet *Harveo* Doctores ferreos acriter caſtiganti et Cl. *Stahlio* toties male audiat, ſi detur vbi requiritur, tanto magis amicum corpori noſtro cenſeri debebit, quo magis hodie conſtat id animalium partibus ſolidis et fluidis naturaliter ineſſe. o)

o) *vide Cl. Vogel inſtitutiones Chemiae* §. 98. *vbi multorum Auctorum teſtimonia leguntur.*

Dum vero nativas pharmacorum dotes ſine artis miniſterio aegris ſufficientes, contemplor, non praeterire ſilentio poſſum *Corticem Peruvianum*, quem qui recte adhibere in artis operi[illegible]d didicerunt, et tamen adhibere aliis nil iuvantibus, aliquando coguntur, corrigere admiſtis ſalibus, et aliis aperientibus, interdum pro ſuo genio allaborant. Quam vero vani ſint eiusmodi conatus, quam ſupervacanei norunt omnes intrinſecam eius bonitatem cognitam habentes, cum ſolus febrifugum ſit ſummum, atque tutiſſimum. Imo vero peritos haud latet pollinem ſincerum, totam corticis ſubſtantiam habentem, vt eum natura elargita eſt, multum anteponi debere decocto, et extracto; meraciſſimo licet, et optime praeparato; cum neutrum horum cu-

ſtodiat

ſtodiat id omne, quod remedio proprium eſt. Tanto autem magis ludicra eſt illorum opera qui ſal quoddam eſſentiale magnarum in minuta mole virium inde parare allaborant.

Sed propoſitum meum iubet, vt iterum redeam adOpium, quod quidem per bene longum tempus de eius integritate, deque vanitate omnium correctionum ſatis convictus, nativum, ſaltemque purum a ſordibus, in forma ſolida, atque ſolutum in vino malvatico, ſi forma fluida eligenda eſſet, non minori opinor felicitate vſurpavi in Praxi mea, quam alii ſua opiata correcta. Ne vero ſolis ratiociniis inhaeſiſſe viderer, Amicis Collegis aliquibus ſecus ſentientibus, olim aliquando per annum dimidium vel integrum adhibui extractum Opii aquoſum, alio tempore MP. de Cynogl., alio aliud Opiatum pene ſolum porrexi, quoties tali pharmaco opus erat; neque vnquam diſcrimen, iuvamenque maius vel minus, vel ab vno vel ab altero potui obſervare, ad omnes omnium effectus ſatis attentus, quam ab Opio crudo. Nolo vero Lectoribus obſtrudere meam ſolius experientiam, ſed adhuc incumbere mihi ſcio, vt potiores correctionum modos ſigillatim contempler expendamve, atque accuratiſſime demonſtrem nullo ſtabili fundamento eos ſuperſtrui, ſed potius ignoratae verae indoli remedii deberi, atque ab opinionibus praeconceptis de eodem formatis, hypotheſibusque evanidis, et commentis, excluſos eſſe.

§. V.

Correctio Opii vetuſta per acria et aromatica calida.

Sane vt verba Cl. Simonis *Pauli* mea faciam, circa legitimam Opii praeparationem tot ſunt ſententiae, quam ſunt hominum mentes, vnicuique ſua pulcherrima videntur. Antiquiſſima Correctionum molimina ſi ad examen revocemus, non niſi miſerae Theoriae per ſecula tamen propagatae, quod Opium quarto gradu frigitum ſit, ea deberi perſpiciemus. p) Inde enim ſaltem fluunt additamenta calida, acria, aromatica; *piper rotundum*, *et longum album et nigrum*, *zingiber*,

p) *Quatri-part. Botan. p.* 423

zingiber, *zedoaria*, *euphorbium*, *caſtoreum*, *myrrha*, *camphora*, *cinnamomum*, *caryophylli*, *pyrethrum*, *ſcilla* et aliae radices acres, inde ſemina carminativa, et quae ſunt reliqua. Calidis igitur eiusmodi integumentis obvolutum videas Opium, ne ſcilicet inſito ſuo frigore ſanguinem coagularet, flammulamque vitalem extingueret penitus, in *Philonio Romano* et *Perſico*, in *Theriaca Andromachi*, in *Mithridatio Damocratis*, in *Theriaca de Citro*, in *Pilulis de Cynogloſſa*, et de *Styrace*, in *Electuario de Ovo*, in *Electuario Orvietano*, in *diaſcordio Fracaſtorii* etc. Bonis equidem avibus diu emigravit haec de frigore Opii ſententia ex artis medicae finibus, rectiſſimeque pronunciavit *Sennertus*, q) cum hypotheſis de frigiditate falſa ſit, correctionem etiam hanc inutilem omnino eſſe. At vero nihilominus omnia haec eapropter coalita compoſita Opiata fideliter in officinis ſervantur, adhibenturque a Medicis, neſcio quo titulo toto die. Plauſum meretur Autor hiſtoriae Opii apud *Nigriſolum* r) quando praeparationem cum aromaticis et cardiacis inſtitutam ad emendandam Opii fictitiam frigiditatem, inutilem eſſe, Opiumque innoxie ſimpliciter, et in ſubſtantia exhiberi poſſe, affirmat. Plauſum talia publice aſſeverantes merentur alii. Neque tamen deſunt, qui ad hunc diem eiusmodi correctis Opiatis, per adiecta calida et acria, mirum quantum favent. Inter omnia haec *Caſtoreum* peculiarem ſui fiduciam fecit, non antiquis ſaltem Medicis, ſed et praeter meritum Neotericis eam de ſe exiſtimationem concitavit, vt de eius cum Opio miſcela, bona quaevis ſperarent. Caſtoreum facultate ſua vere Opio eſſe oppoſitum reputavit *Galenus* s) atque inter correctiva Opii retulit *Trallianus*. *Avincennas* t) magnifico nomine caſtoreum Theriacam Opii, et *Guainerius* bezoar Opii ſalutavit. Eadem autem ſententia ſat multis recentiorum eſt. *Sennertus* u) certe, ineptae correctionis Opii per calida pulchre gnarus, tamen Caſtoreum praecipue et ſpecifice vi narcoticae Opii eſſe oppoſitum dicit. Caſtoreum eſſe Opii correctivum quoque affirmat *Cheſneau*, x) atque notanter *Baglivus*, *Quando Opiatis vteris* inquit *ſemper*

q) *lib. VI. p.* 298.

r) *in Tractatu de febre China expugnata p.* 69. *Ferrariae* 1700.

s) *lib VIII de Comp. M. d ſecundum loca c.* 3.

t) *lib. III. c.* 2.

u) *lib. VI. p.* 299

x) *Obſervationum p.* 371. 372.

adde Caſtoreum. Nam Caſtoreum Opii narcoſin corrigit. y) Memorabile eſt Gabrielem *Clauderum* z) Germano cuidam, qui largo Opii vſui adſueverat, dediſſe conſilium, vt Eſſentiam caſtorei volatilem, vel liqu. C. C. ſucc., pro Archaei robore ſarto tectoque ſervando, per vices aſſumeret. Mirum autem *Wedelium*, a) imaginario frigori Opii contrarium, aliud fundamentum ſibi quaeſiviſſe, ex quo nihilominus correctionem cum caſtoreo ratam haberet. Provocat primo ad *Apollonium* et *Aſclepiadem* Opio caſtoreum iungentes vt vehementiam facultatis refrigerandi in illo obtunderent, et deinde pergit: *Haec hypotheſis cum hodie falſa deprehenſa ſit, non neceſſum eſt, ea de cauſa hoc correctorio vti, niſi forte dicere velimus, caſtorei vires in affectubus ſoporoſis tollendis eſſe notiſſimas, adeoque etiam virtute ſingulari ſoporifera corrigendi non deſtitui. Sed quantum de eo accedit, tantum virtutibus Opii decedit.* Cel. Garnier Recueil periodique d'Obſervations de Medicine Tom. IV. 1756. Menſ. Avril. No. 10. communicat Obſervationes de Correctione Opii, et Correctorem in Caſtoreo ſe reperiiſſe putat, illud enim aequaliter cum Opio miſtum praeſtantiſſimos edidiſſe effectus, atque iis adeo qui Opio absque incommodo relicto vti non potuerunt, optime conveniſſe, aſſerit. Poteram alias aliorum opiniones fuſius referre, eorumque maxime qui caſtoreo alia corrigentia ad latus ponunt. Ita *Fernelius* b) vim Opii ne quid officiat *caſtoreo* et *croco* emendari putat. At prae croco iterum, cui varii Autores favent, nucem moſchatam ad correctionem commendat *Hollerius*. c) Nolo autem praeter rem prolixus eſſe. Tantum vero abeſt, vt Opium additione calidorum et acrium ipſiusque caſtorei et croci et nucis moſchatæ additione miteſcat, ipſiusque actio in corpus humanum minuatur, vt potius dum ipſum calidum eſt et calidiſſimum curſum ſanguinis incitans, humoribus omnibus turgorem inducens, eius operatio eapropter longe eminentior reddatur. Quis facile cum inſtar piperis vrat Opium, ſibi perſuaderi patietur, piper alio genere piperis, vel zingibere, et zedoaria adiectis manſueſcere? Quis caſtoreum, quod notante Cl. *Cartheuſer* d) cum terreis et gummeo-reſinoſis oleoſo-inflam-

y) *Operum p.* 100.

z) *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ao V. obſ.* 179.

a) *Opiol. p.* 51.

b) *Method. Medendi lib. IV. c.* 7. *et lib. VI. c.* 5.

c) *de morbis internis cap. VI. in Schol.*

d) *in fundamentis Mat. Med. Part. Poſteriori ſect. XII. c.* 48.

flammabiles partes continet, atque in morbis capitis et aliis ſuppoſita frigida magis, quam calida cauſa materiali, auxilium praeſtare valet, calido ſopori quem Opium ciet, fraenum iniicere poſſe opinabitur? Nonne ſi corrigendum eſſet et circurandum in ſua operatione calidum Opium, refrigerantium admiſtione hunc finem impetrandum fore, non autem acribus et calidis, clariſſime perſpicitur? Atque de quo quidem arti ingenuae gratulari debemus, et nullum emolumentum ſequi, ſi Opio non frigido calida iungantur, ſed vere fortiorem magis reddi effectum remedii, quam id per ſe et ſolum futurum erat, recentiori tempeſtate bene intellexerunt Medici quidam phyſicorum et chemicorum principiorum bene gnari. Inter hos *Thomſonus*, e) Quoniam Opium perperam a veteribus pro frigido habitum, vere eſt remedium calidiſſimum, eos fruſtra aromatibus et calidis aliis molitos eſſe correctionem, aeque ac modernos caſtoreo, et croco contendit. Non vero ſatis mirari poſſum Optimum Virum haec adeo bene perſpicientem, nihilominus opinatum fuiſſe, ſalia volatilia ob acredinem ſummam quatenus ſtimulo operantur, aliquid praeſtare poſſe in corrigendo Opio. Etenim ſi multum affinitatis habetur inter ingenium atque actionem ipſius Opii, et ſalium volatilium, per ea quae in ſuperioribus ex ipſis etiam placitis *Pitcarnianis* expoſui, cum calidum eſſe Opium probarem, nil haec praeſtabunt ad correctionem, ſed potius calida ipſa actionem Opii calidi et ſtimulantis eminentiorem reddent Praeter *Thomſonum* merito quoque correctionem Opii cum calidis pro futili declarat *Neumannus*, f) atque ignoratae Chemiae tribuit, cur vero crocum et caſtoreum ipſumque ſemen hyoſcyami, vtpote torporem et ſoporem maiorem inducentia, addiderint bene multi, plane ſe non capere profitetur. Quod crocum ſpeciatim et caſtoreum attinet, illum largiore doſi aſſumtum laetabundam inſaniam, capitis dolorem, ſoporemque ſaepe lethalem apportare ex *Amato Luſitano* et *Borello*, probat *Lindeſtolpe*, g) *Vnde videmus* inquit, *illos Medicos*,

e) *Diſſertationum* p. 121.

f) *Lect. de Opio* p. 120 124.

g) *de Venenis* Cap. X. *Theſ.* 41.

dicos, qui crocum et caſtoreum maxime acria et cauſtica opio addere ſolent in compoſitionibus pro correctorio vt appellant, fallere et falli valde; cum venenum veneno ſimili additum potentius agat. Sed habeo hic etiam quem laudem *Hecquetum* h) ingenioſe antiquos et modernos caſtigantem, qui innocens Opium, vel ob alias ſteriles inculpationes, vel ob inſitum frigus in ius vocatum, pro correctione torturam ignis ſuſtinere iuſſerunt, ignemque potentialem, zingiberis, piperis etc. ipſi addiderunt, mirum certe ſanitatis aliter ab eo infringi poſſe viſae cuſtodem. Certiſſimum omnino eſt quod dicit *Hambergerus*, i) ſi Opio addita ex aromatum claſſe ſint deſumta, parum imminutus erit effectus noxius, cum haec ſimili modo, quamvis minori gradu, ac Opium agant.

h) *p.* 101. 202. 103.

i) *diſſ.* §. 58.

§. VI.

Cl. Schulzius notatur.

Haec omnia vero cum ita clara ſint, vt vix vllum auctorum recentiori aevo in ea luce, qua Phyſica, Chemia et vniverſa Medicina illuſtrata fulget, aliter ſtatuere poſſe, valde credibile foret, doleo acerbe, Doctiſſimum *Schulzium* tantum Virum! tenebricoſas antiquitates alioquin in apricum ponere gnarum, his antiquis errorum vmbris et nebulis immerſum permanſiſſe, atque a calido et acri ſatellitio Opio adiecto, huius manſuetiorem operandi rationem expectaſſe. Cinerum Illuſtris et Litteratiſſimi Viri ſincerus Cultor, non niſi invitus trado huius rei teſtimonia, ſed ignoſcent verum inquirenti mihi venerabiles eius manes. Dum in diſſertatione ſua de *Medicamentis Opiatis officinalibus Philonium* conſiderat, largitur vltro et lubens, Opio et Hyoſcyamo narcoticis, poſſe corrigentia adiici, vt illa bina minus quam ſi ſola eſſent, extimeſcenda ſint; k) hinc adiectum euphorbium purgans acerrimum, appellat Opii antagoniſtam, l) piperque additum alium antagoniſtam habet, pigrum ſuum ſocium excitaturum, et reſuſcitaturum, ne ſtertat

k) §. 8.

l) §. 9.

tat et obdormiat. m) Ad *Theriacam Andromachi* delatus m) §. 10.
Scillam ſat generoſum Opii antagoniſtam praedicat, qui cum pipere id ſtipans et cuſtodiens, efficere queat, vt id hoc comitatu circumdatum, non adeo magnam narcoſin inferat, n) taliaque correcta theriacalia etiam in maiore doſi non n) §. 14.
nocere profitetur. o) Porro in *Mithridatio* piper, zingi- o) §. 17.
ber, zedoariam, cubebas, myrrham, crocum, caſtoreum pigritiem Opii excitato motu ſubmovere dicit, et hanc compoſitionem Opiatam melioribus et maiori iudicio excogitatis, adſcribendam eſſe putat. p) Ego certe crediderim eam q) §. 21.
aeque ac alias valde abſonam eſſe; nil certe de Opii vera indole ſcivit *Damocrates*, qui deſcriptionem Mithridatii reliquit, vel *Mithridates* rex, ipſe, vel alius compoſitionis Auctor; qui vero eam non intelligit, vix cum iudicio ſelectum inſtituet, in adiiciendis remedio alicui, vt prudenter inde coaleſcat compoſitio. Sed vlterius! In *Pilulis de Cynogloſſa* SCHVLZIVS aſſerit, Opium nulla re corrigi, niſi myrrha, et forte pauxillo Cinam. et Caryophyll. q) eas tamen quod mi- q) §. 23.
ror laudat, cum ex ſuis principiis deberet reprehendere, vtpote neceſſariis corrigentibus orbas. Verum in *Pilulis de Styrace* parum vt in praecedentibus emendatam eſſe Opii fixitatem queritur (fixitatem pharmaci adeo ſumme volatilis) vnde minus conſulto eas dari dicit, niſi purgantia addantur, cum quibus in vtiliſſimam medicinam coaleſcant. r) r) §. 24.
Trochiſcos de Italicacabo nil habere contendit, s) quod ex- s) §. 26.
citet, quare hi ipſi diſplicent, quemadmodum et *Trochiſci de carabe* ob eandem rationem. t) Tandem in *pilularum* t) §. 27.
Wildeganſii compoſitione, quam ego certe pari paſſu cum inſulſiſſimis aliis incedere iubeo, ingenium autore lanarum carptore, et dein Ciniflone, et Empirico maius, miratur, ſuſpicaturque, hunc artem quam ab alio ſagaciore didicerat, ſibi arrogaſſe, cum Opium bene correctum ſit auro fulminante, ſulphure antimonii aurato, necnon aloe, myrrha etc. u) Sane ſi in his omnibus adeo lapſus eſt acutiſſimus u) §. 34.

Schulzius quid mirum, ſi alii eadem ratione antiquis naeniis decepti, correctum calidis ſtimulantibus Opium velint, et ſine illis exhibere aegris non audeant. Non ſeſe immiſcere vult *Schulzius* x) certamini illi, an Opium ſit calidum vel frigidum, dimicat tamen ex ſuo affectu pro antiquitate, illamque ſtare firmam, ac multa confeſſae rei documenta ſervare affirmat, permanſiſſeque ad hunc diem compoſitionibus antiquis ſuum valorem contendit. y) Nolim ego in hac re repugnare, ſcio quippe in ſe abſurdiſſimam Compoſitionem *Theriacae Andromachi* nihilominus per ſecula comprobatam, multaque bona praeſtitiſſe. Illi omnes dotes poſſibiles medicinales adſcriptae ſunt non ſaltem ab antiquis *Galeno* z) *Aëtio* a) et aliis multis, ſed etiam a recentioribus, inter quos integrum aegrorum theriaca ſanandorum Catalogum exhibet *Fernelius*. b) Cl. *Schulzii* c) quem modo adduxi, iudicio, inter compoſitiones magno ingenio factas referri debet Theriaca, cui admodum paucae inter muſteas noſtras conferri mereantur, ſi modo vlla mereatur. Mire quoque placere ad hunc diem Anglis Medicis Theriacam, multisque laudibus ab iis efferri ſatis patet, ex collectione pharmacorum quam *Nucleus* ſic dictus *vniverſae Medicinae* iuſſu Sereniſſimi Cumbriae Ducis editus exhibet. d) Verum enim vero omnia haec elogia veterum recentiorumque, de quibus alibi paſſim ſpecialibus agendi variae occaſiones mihi naſcentur, non tamen movere potuerunt Cl. *Young* quo minus aliter ſentiret. In fine nimirum egregii ſui libri examini ſubiicit Theriacam Andromachi, Mithridatium et diaſcordium, atque ingenue affirmat, vires harum compoſitionum pendere ab vno Opio, cui maximam partem inutilis, certeque ſuperflua aliorum medicamentorum farrago addita ſit, qua ipſa dubius redditur Medicus cuinam ingredientium certus adſcribi debeat effectus. Toto corde ſubſcribo ſententiae Clariſſimi Viri, atque cordatus et bonus firmiter me perſuaſum eſſe profiteor, ſi ab invento Opio, ad hunc diem nullae

x) §. 4.

y) §. 6.

z) de Theriaca ad Piſonem.

a) Tetr. IIII. Serm. I. c. 96.

b) Meth Med. lib. VII. p. 200

c) in Praelect. ad diſpenſ. Brandenb. p. 373.

d) p. 37.

nullae exſtitiſſent compoſitiones Opiatae, neque vnquam calida et acria Opio addita fuiſſent, corrigentium nomine, ſed id ſolum toties aegris porrectum fuiſſet, quoties compoſita opiata ipſis data ſunt, nec plures nec pauciores mortuos, nec plures nec pauciores levatos a morbis ſuis futuros fuiſſe. Quin ne praeter mentem meam, nimis facilis videar in compoſitiones illas calidas, quaſi eas inter adiaphora pharmaceutica reponerem, addere adhuc debeo, exſtitiſſe ſine dubio omni tempore caſus, bene multos, in quibus minus opportune exhibitum Opium ſolum, eadem doſi quam in compoſito pharmaco, tam ſiniſtros effectus non edidiſſet, quam incongruo comitatu calido adiutum, id quod ex vſu laudatiſſimae theriacae aliorumque talium, adeo ſaepe damnoſo reddito facile probare poteram. Reſervo hoc argumentum tractationibus ſecuturis.

§. VII.

Mirarer vero maximopere illos quoque Medicorum, qui recentiori aevo, praeiudicium de frigore Opii ſatis bene introſpexerunt, et totum illico depoſuerunt, calidamque eius indolem probe habuerunt cognitam, nihilominus correctionis putatitiae avidos, acria et calida ipſi addidiſſe, niſi aliis finibus reſpectubusque ad eam facturis, intenti, id feciſſent. Scilicet dum obſervatio effectuum ab Opio aſſumto emergentium docebat, alios conqueri de praecordiorum anxietatibus, de debilitate et laſſitudine alios, alios de capitis torpore et ſtupore, de vertigine, de proſtrato appetitu; Cordi, Cerebro, Stomacho, Nervis, inimicum viſum Opium, optime additione Cardiacorum, Cephalicorum, Stomachicorum, Nervinorum, excitantium ope corrigendum fore reputarunt multi Clari Viri, ex antiquioribus et recentioribus. Atque ſub his omnibus ſpecioſis intentionibus, non pauci cum vel ſine acribus et aromaticis, gemmata, et abſorbentia terrea adiecerunt, mirum quantum emolumentum inde

Correctio Neotericorum per acria, nervina, cordialia, purgantia, diuretica, alexipharmaca.

inde expectantes. Quique ſuſpenſas excretiones ſolemnes, alvinam renalemque cogitabant, purgantia et diuretica correctoria iuſta cenſuerunt; praeterque rem omnem haud pauci Opio in ſe ſudorifero potentiſſimo, adhuc alia ſudorifera addiderunt, vt virus narcoticum tanto citius e corpore iterum proſcriberetur. Aliqui etiam dum tanquam ſemi-venenum conſiderabant Opium, alexipharmaca eidem iungenda exiſtimarunt. Scribere de hoc ſolo argumento, integrum volumen facilis foret opera, quid vero iuvaret compilare recenſione immenſae farraginis compoſitionum, teſtimonia, quae in omnibus fere libris practicis et pharmaceuticis ingenti apparatu proſtant. Doleo, ſaltem, et illos reformatores Medicinae, quos in humanam ſalutem nobis indulſit divina Providentia, ſpiſſos hos errores non abieciſſe, ſed repurgatam ab aliis feliciter artem his contaminatam adhuc reliquiſſe, neque ſine aerumnis ipſum Illuſtrem *Hoffmannum* ita ſeſe geſſiſſe animadverto. Nimirum *noſtra ſententia* inquit e) *non dantur meliora Opiatorum correctiva, quam quae potentiam eius cerebro, aut nervis, aut motui cordis inimicam infringunt, temperant, ac amicam et blandam reddunt; atque motum in fibras motrices introducunt. Cum enim Opium omnes motus ſpirituum, et ſanguinis, ſiſtere ſoleat, vtique e re eſt, talia eidem admiſcere, quae motus faciunt et promovent. Hinc ex his contrariis neutrum quoddam, et tertium exoptatiſſimum exſurgit. Motus vero vehementiores excitantia ſunt ſudorifera, purgantia, ſpirituoſa, aromatica, diuretica. Hac vero mixtione medicamenta mirabilis virtutis polychreſta, et velut vniverſalia exſurgunt, vt Theriaca Andromachi, diaſcordium Fracaſtorii, Theriaca coeleſtis. - - - Optima etiam eſt ex hac ratione miſcela, cum purgantibus, e.g. cum extracto aloes, in pilulis Wildeg., cum extr. hellebori nigri, vel pulvere hellebori albi, vt in pilulis Matthei et Starckii, talia alvum apertam ſervant, nec torporem, nec inſomnia turbulenta, nec vertiginem,*

e) *diſſ. de Opiatorum Operatione* §. XI.

ginem, nec capitis gravitatem, vt alia Opiata efficiunt. Cum Tinctura antimonii tartariſata, et acri ceu inſigniter diuretica, Opium etiam percommode miſcetur, et exinde ſit ſecuriſſima Medicina. Tandem etiam ſpirituoſa, aromatica, caryophylli, cinnamomum, et eorum olea, item vinum hiſpanicum egregie noxam debellant, illudque convertunt in exoptatiſſimum praeſidium, qua de cauſa merito laudari debet laudanum liquidum. Haec ſi expendo omnia ſine praeiudicio, ſoli intemeratae veritati litans affectuique in amantiſſimum Praeceptorem non mediocrem vim inferens, non ſatis capio, quomodo tanto Viro obſcurum eſſe potuerit, inſeparabiliter inhaerere Opio vim inducendi torporem, et gravitatem capitis, ſuſpendendi excretiones, imminuendi vires animales etc. cum adeo bene ſciverit in volatili elemento reſidere totam eius activitatem. f) Vis ergo et activitas Opii tum ſaltem poteſt minui, quando qualitas elementi volatilis in eo hoſpitantis minuitur, et eo gradu minui, quo minuitur haec quantitas; tolli autem in totum debet, quando elementum volatile in totum abigitur, et tollitur, aut enervatur, non aliter. Quicunque igitur Opium vult, ſine illa vi qua praeſtat effectus ſuos omnes in corpus humanum, hosque aut horum aliquos pro habitu ſeparare vult, et ſeparabiles ab eodem credit, is deſiderat aeſtatem ſine calore, et diebus canicularibus. Ponatur vero tantiſper, correctionem per omnia illa, quae pro corrigentibus habet Vir eximius, eſſe poſſibilem; ponatur datum homini eſſe granum vnum cum corrigentibus, ac corrigentia impediviſſe huius grani vim ita, vt in ſaltem agere potuerit, ac ſi homo accepiſſet granum dimidium, anne tunc res eo recidet ac ſi ſine corrigentibus ſolum opium accepiſſet ad granum dimidium? Ita ſane mihi videtur, nam ſi correctio eousque proceſſiſſet, vt Opium vi ſua penitus immutata, ligata, abacta, tanquam Opium agere deſiiſſet, penitus perinde foret, ſive datum fuiſſet, ſive non. Et quid tandem ſibi volunt purgantia, pro

f) *vid diſſ. de Correct. Opii* §. 6. *toto.*

g) *in Comp. Hiſt. Med.* §. 605. *et* 617.

h) *diſſ. de Opiatis officinalibus* §. 34.

correctione Opio addita? quae adeo non *Hoffmanno* ſoli, ſed et aliis, et Doctiſſimo quoque *Schulzio* placent. g) *Quae validam vim purgantem habent, ea corrigunt Opium,* inquit, *ne nimis torpidos faciat, eademque ab Opio domuntur ne ferociam ſuam exerant.* Non demum Georgius *Starckeus* hoc arcanum invenit, ſed id plures noverunt veteres, vt *Philo Tarſenſis*, qui Opium adiecto purgante Euphorbio domabat. Alibi tamen monet *Schulzius*, h) eum in finem non purgantia fortiſſima requiri, quae vix ſatis vbique tuta ſint, ſed ialappae, ſcammoniive reſinas, cum pinea tritas Opii connubio idoneas inveniri, imo et extractum rhei. Certe ſi purgantia conſiderari debent vt corrigentia Opium, aut acri ſtimulo ſuo debebunt contrariari vi ſedanti Opii, nerveosque villos irritare, quos hoc inſenſiles reddit, aut ſpeciatim minuere eius vim qua alvum cohibet. Ponatur iam Purgantis remedii vis irritans villos nerveos, par virtuti illi, qua Opium illos inſenſiles praeſtat, haerebunt ergo binae hae vires in aequilibrio, taleque compoſitum Opiatum purgans nec aget vt irritans, nec aget vt ſopiens, ſtatusque in corpore obtinebit ac ſi nec Opium nec purgans datum fuiſſet. Sit vero vis Opii in ea doſi qua datur, ſuperior vi irritanti purgantis, pro doſi qua hoc fuit exhibitum, perdatque Opium per contranitentem vim omnem purgantis ſaltem dimidium ſuae activitatis, nonne ſatius fuiſſet, ſtatim praebuiſſe dimidiam doſin dati Opii, ſine vllo purgante irritante? Quod alvum iam attinet, nemo negaverit Opium eius excretionem inhibere, et minus eam inhibebit, datum cum purgantibus, pro ratione virtutis horum, ad ſuam; nonne vero ſi minor fuiſſet doſis Opii, minor quoque fuiſſet eius vis alvum inhibens? an ergo opus vt infringatur vis maior: maioris doſeos Opii per addita purgantia? Porro ſi alvus poſt operationem Opii praeſtetur aperta, capitis gravitas, vertigo, torpor, minus affligent; haec mala quippe a determinatione maiore ſanguinis per Opium ad Caput pendent; ſed haec

deter-

determinatio revulſione humorum ad alvum determinatorum imminuitur, nonne vero minor doſis Opii minus ſanguinem determinaſſet ad caput? Qualis ergo vera praerogativa pilularum *Wildeganſii* et *Starckey*? quas vbique fere in Operibus, vbi anodyna admittit, laudat *Hoffmannus*; qualis praerogativa Opii cum purgantibus miſti, prae Opio ſolo, in minori doſi dato, ac illa eſt, qua datur cum purgante, vel in pilulis purgantia habentibus? Idem valet de excretione renali quam quoque ſub certis circumſtantiis ſuſpendit Opium, ſed ſecuritas Opii in Tinctura antimon. tartariſ. non debetur Tincturae, ſed doſi Opii, quam haec habet, et operatio Opii cum Tinctura exhibiti in organa ſecretionis et excretionis vrinae erit in relatione virtutis ſtimulantis Tincturae, et ſopientis Opii. Vanum deinceps fuerit expectare in laudano liquido, ab aromaticis ipſoque vino, inque paucis adeo doſeos guttulis correctionem, quae *Sydenhami* remedium componentis ſcopus neutiquam fuit, dum ille ſaltem voluit Opium liquidum, et guſtui ſuave, per paucula aromatica addita, quae ſane cum croco, operationem ſi maiori doſi adderentur, potius intenderent, neutiquam vero in minutula infringere apta ſunt. Clarum itaque eſt, quicquid dicat Vir Excelentiſſimus, inde veritatem alicuius correctionis minime adſtrui, ſed hanc quomodocunque inſtituatur, prorſus vanam et inanem eſſe, ita quidem vt vix animo queat concipi, quomodo hanc ſententiam, quam tenuerat iunior Medicus cum diſſertationem *de operatione Opiatorum* ſcriberet, ſub initium huius ſeculi, ſervare poſtea potuerit maturus Practicus et in ſenio conſumatus. Ita tamen ſe res habet! Equidem in alia diſſertatione inter primas eius quas edidit etiam referenda,[i]) fatetur ingenuus, in multis compoſitionibus opiatis, varia inter ſe pugnantia inveniri; vt plane vſus et ſcopus adiectorum ignoretur; licet Auctoris correctoris ingorantia in Theoria artis et principiis phyſicis ſatis pateat;[k]) nihilominus tamen[l]) excitantia acria admittit et

i) *de Correct. Opii*
k) §. 12.
l) §. 13.

defendit, Theriacam et diaſcordium concinniori methodo potuiſſe componi ſaltem monens; m) purgantia quoque commendat, n) mixtionemque cum alexipharmacis et ſudoriferis modum correctionis ex optimis dicit. Non minus autem in *Medicina* ſua *Syſtematica* quam conſcribendam ſatis adultae et ſeneſcenti Experientiae reſervaverat, idem prorſus praeiudicium ſibi adhuc firmiter inhaerere, commonſtrat. o) Videlicet dum de venenis ſoporiferis tractat, interque ea de Opio agit, quod a doloribus exquiſitis interdum poſtulari concedit, Opium vult cum aqua pluviali depuratum, et adiectione analepticorum, et purgantium, aut alexipharmacorum, dextre correctum. Dumque alibi leges artis in medendo tradit. et ſelectam materiam medicinalem exhibet, Opium ne nimium ſiſtat excretiones, non inutiliter miſceri cum purgantibus, vt in Pilulis Wildeganſii Starckey vt et cum alexipharmacis aſſerit; p) corrigique vult purgantibus et balſamicis, talibusque correctis Opiatis ſe ſemper ante inventionem liquoris ſui Anodyni, vſum fuiſſe recenſet, q) taliaque, quando in medendo opiata commendat, ſaltem ipſum commendare, Lectoribus operum eius ſatis notum. Pro eximia ſua doctrina, et pro candore animi, quo erat Vir integerrimus, dare aliquando debuit, r) Inſulſum primo intuitu videri, talia quae e diametro ſibi oppoſita ſunt, ſibi invicem miſcere, cum vnum alterum activitate ſua privet, attamen experientiam in plurimis remediis contrarium docere ait, exſurgere nempe hac ratione ſaepe praeſtantiſſima et divinae virtutis remedia. Addit quae hoc effatum illuſtrent exempla: Videmus inquit ſal ſuccini acidum, cum ſale Cornu Cervi vrinoſo mixtum duo eſſe contraria, nihilominus conſtituere expertiſſimae virtutis remedium; in Mixtura ſimplici tincturis bezoardicis acida mixta eſſe cum alexipharmacis calidis, ſale volatili acri ſubtili turgidis, et hac ratione exoptatiſſimam hinc reſultare medicinam; Mercurium ſumme penetrans et volatile corpus cum auro fixioris indolis mixtum,

m) §. 14.

n) §. 13. *in fine*.

o) *Tom. II. p.* 280.

p) *Tom. III. p.* 447.

q) *Tom III. p.* 574. 575.

r) *diſſ. de Correct.* §. 13.

mixtum, incomparabile conſtituere remedium; ſalia neutra egregiae eſſe efficaciae, quae tamen ex acido et alcali ſint compoſita: Concludit tandem, proinde non inconſultum eſſe, cum ſudoriferis, iisque alexipharmacis, item cum purgantibus miſcere Opium. Quid vero iam ego ad haec Optimi Praeceptoris dogmata? Dico pace eius, haec ſimilia correctionem Opii per adiecta ex hypotheſi corrigentia, neutiquam probare, duoque cum faciant idem, non proinde eſſe idem. Sal ſuccini acidum cum ſale C. C. abit in bonum remedium, fere vt acetum deſtillatum cum ſpiritu ſalis ammoniaci in Spiritu Mindereri; ex acidis et alcalicis fixis etiam coaleſcunt bona ſalia neutra. Sed in omnibus his remediis nolo porro alcali nolo acidum, ſed deſtructum vtrumque bono conſilio volo, et deſidero aliquod tertium. Nulla vero Correctio Opii ſiſtit aliquod tertium ex Opio et ſuo corrigente enatum, quod nec Opium amplius eſt nec corrigens, neque tale volo, ſed intentio ſaltem Medici eſt, corrigente infringere virtutem Opii, non eam oppoſito pharmaco ſaturatam extinguere penitus, vt ſaturatione alcali et acidi invicem facta vtrumque extinguitur. Prorſus autem contrariatur finibus Medici, dum imminutionem virtutis Opii vult, et tamen id acre et calidum, acribus et calidis adiectis potentius agere facit. Nonne turpe foret ſi vellem acrem vim ſpiritus ſalis ammoniaci retuſam per additum ſpiritum Cornu Cervi? Quod Mixturam ſimplicem ſpectat, ſat ſimplex videtur eius compoſitio, ſolum acetum aut acidum vitriolicum dilutum in illis caſibus ſaepe eſt idoneum et ſufficiens antiſepticum et alexipharmacum, vbi hoc remedium compoſitum eo fine datur. De auri et Mercurii miſcela velim ea perpendantur, quae de vſu Mercurii crudi expoſui in antecedentibus, atque quae de noxia adhibitione Mercurii ſolaris de la *Vigne* et Gervaſii *Vcay* monuit Cl. *Aſtruc*, [s]) non neglectis iis quae de Mercuriis diaphoreticis fixis habet laudatus Auctor. Redeo igitur ad Opium, cuius Correctionem,

s) *de Morbis Veneris lib. IV c. XII.*

nem; ſi tanquam vtilem et neceſſariam, tantopere propugnavit *Hoffmannus* Phyſices et Chemiae interiore cognitione adeo pollens, illiusque ope tot portenta, tot traditiones, tot ineptias e Medicinae ſacris proſcribens, quis rapietur in ſtuporem, quando ante eum Viros qui in eo lumine haud verſabantur otioſam diligentiam poſuiſſe in exhibendis compoſitionibus correctum Opium complectentibus, animadvertet? Quis mirabitur Correctionum Correctiones in libris pharmaceuticis, et Diſpenſatoriis exſtantes? Noverat Circumforaneus et Nugivendulus *Paracelſus* laudatiſſimo ſuo Opio quod Laudanum appellare conſueverat, ſaepe miracula edere, cum eo tempore vſus remedii fere obſoleviſſet. Verum poſt eius fata evocato in artis exercitia crebrius Opio, fere quilibet Celebrium Chymiatrorum componebat ſibi pro lubitu ſuo proprium Laudanum, Opioque ſic admiſcebantur, quaecunque vnicuique videbantur id corrigere poſſe, iuvareque eius operatioem. Ex apparatu igitur Gemmarum, aromatum, abſorbentium terreorum, lapide bezoar, Mumia, terris ſigillaris, bolis, Coralliis, Vnicornu, Cornu Cervi, horum magiſteriis, oſſe de Corde Cervi, ligno aloes, croco, nardo, ſtyrace, balſamis variis, floribus ſuaveolentibus, caſtoreo, viperis, ſuccino, ambra, moſcho, oleis deſtillatis etc. etc. ipſoque tandem Opio parabat ſibi ſuum laudanum *Bontius*, *Brunnerus*, *Crollius*, *Hartmannus*, *Ludovici*, *Mynſichtus*, *Michaelis*, *Sennertus*, *Schroederus*, *Quercetanus*. Horum et aliorum deſcriptiones habentur, apud *Schroederum*, quarum omnium vltra trecentas hinc inde proſtare, ſi quis omnes curioſe vellet colligere, aſſerere audet *VVedelius*.[t]) Sique ad hunc diem publicata evolvas diſpenſatoria, ſine exceptione cuncta, vbique deprehendes ſui generis laudana, neque in quovis vnam vel alteram compoſitionem, ſed plures invenire eſt. In *Brandenburgico* ſex diverſae leguntur, in *Viennenſi* ſi hyſtricum addas, ſeptem; praeter hoc nimirum in eo exſtat *Laudanum cydoniatum*, *diurc-*

t) *Opiol. lib.* I. *Sect.* II. *c.* 5. *p.* 67.

diureticum, *completum*, et *incompletum*, et quod primo loco referri debebat Summis Imperantibus ſacrum *Laudanum Caeſareum completum* et *incompletum* ſolis croco admiſto ſuperbiens. Talia laudana quae adhuc in deliciis ſunt modernis Practicis, vel pulveribus quandoque admiſcentur, vel pilulari forma aegris offeruntur, vt aliae Maſſae pilularum Opiatarum, de Cynogl., de Styrace, Wildeganſii, et Starckey, correctum Opium ſecundum hypotheſin continentium. Neque adhuc, niſi vero artis bono ducti, iisque quae evidenter commonſtravi, moti ingenui Medici inani labori omni opera reſiſtant, finis imminere videtur Correctionibus Opii, nimis enim ad hunc diem hoc praeiudicium vbique dominatur. Non quaeſiviſſem inter eos quos illud tenet, ſelectam Chyliadem formularum praeſcribentem *Fullerum*,[u] qui tamen communi errore deceptus, cardiaca et volatilia Opiatis bene adiici ſcribit, quia ſpiritus opportune et fortiter ſuſtentent, ne narcoticae plagae ſuccumbant. Multo minus expectaſſem a Cl. Georgio *Cheyne*[x]) aſſertum illud, pravas Opii qualitates poſſe cicurari, additione aromaticorum, nervinorum, et ſtomachicorum, qua in praeſtantiſſima pharmaca abeant. Video non ſine dolore, Recentiſſimum hunc Scriptorem liquidum laudanum cum tinctura Caſtorei, Serpentaria, Diambra, Croco, ſale volatili, ſpiritu lavendulae compoſito, aquis hyſtericis, laudanumque Londinenſe cum theriaca veteri, mithridatio, ſpeciebus diambrae, maritatum velle. Ego vero non poſſum aliter, quam nuncium mittere omnibus acribus, aromaticis, volatilibus, Correctioni Opii vnquam deſtinatis, eamque pro inani et noxia palam declarare.

u) *in Pharmacopoeia extemporanea p.* 170

x) *in additamentis ad Act. Med. Edinb. Tom. VI. Art. I. p.* 42. *edit. Germ.*

§. VIII.

Correctio per Toſtionem.

Ita vel Opium crudum, et immutatum, vel ſaltem aqua ſimplici defaecatum, additione variorum aliorum ſimplicium, et ſubinde compoſitorum, gratis et perperam corrigere anniſi

niſi ſunt Veteres et Recentiores Medici. Reſtant vero artes ſat multae, quae ſine aliorum adiectione, ſoli Opio deſtinatae ſunt, quibusque eius craſis noxia habita humano corpori, eidem magis amica reddi poſſe reputata eſt; quarum adeo conſiderationi iam vt vacemus, ordo tractandorum iubet. Pertinet huc primo chymica illa Enchyreſis, per *toſtionem* et *effumationem* ſuper lamina ferrea, ſubiectis carbonibus Opium praeparandi, vt hac ratione ab evaporante foetido ſuo, immaturo, et maligno ſulphure liberetur. Nolo retrogredi multo labore, ad primos et antiquiſſimos huius ſupplicii inventores, quorum ſententiis promulgatis, inſons Opium ignis torturam experiri iuſſum eſt, atque ſubinde plane ad ipſum rogum damnatum fuit. Modum Proceſſus a *Quercetano* potiſſimum *Hartmanno*, *Brendelio*, et *Zwelfero*, et quod miror etiam ab *Herrmanno* y) commendati, legere licet apud *VVedelium* in Opiologia peculiari capite de *Correctione per evaporationem*. z) In taleolos ſcilicet ſciſſum Opium tam diu torrendum volunt boni Viri, donec evaporatione abacto ſulphure immaturo, foetido, malefico, crudo, ſtupefaciente, quod teter papaveraceus odor exſpirans prodat, gratus odor exſpirare incipiat, teſtis reſidui et retinendi ſulphuris mitigativi, blandioris, paregorici, naturae amici. Sunt qui ſollicite ambuſtionem omnem cavendam cupiunt, et odoris graveolentis et ſuaveolentis reſpectu conſiderandum volunt, an toſtio diutius continuanda ſit, an ſufficienter extenſae finem facere conveniat. Valde autem emunctae naris ſit oportet, qui ſenſu hoc diſcrimen percipere, et diſtinguere valet, cum primo quidem deterius olentes vapores ſurgant, quia copioſiores ſunt, deinde autem ſenſim parciores redditi leniores videntur, prorſus tamen vnius indolis cum prioribus. Fuere tamen etiam, qui his cautionibus inſuper habitis, ad ipſam incinerationem vſque proceſſerunt, toti Opio diffidentes, nilque boni ſibi de particulis eius odoriferis omnibus polliciti. Facile patet, fundamentum omne huic correctioni

y) *in Cynoſura Mat. Med. Part. I. p.* 624.

z) *lib. I. Sect. II. c.* 2.

ctioni per evaporationem et toſtionem, vtut lubricum ſatis et ruinoſum, vnice praebuiſſe erroneam hypotheſin, de duplici ſulphure benigno hypnotico; et maligno narcotico; in Opio hoſpitante, quae natales ſuos ab ipſo *Galeno* a) derivat. Enim vero in ſuperioribus vbi Analyſin Opii exhibui, monſtravi abunde, principium volatile Opii eſſe vnum et idem, ſibique prorſus ſimile, quantitatemque eius maiorem, quae natura ipſi ineſt, minoremque dum quaedam certis artificiis fuit expulſa, in omni volumine Opii haerentem, edere maiores minoresve effectus, qui nulli ſunt, vbi penitus id volatile igne abactum eſt, quod vero omne abigi poteſt, quemadmodum e rhabarbaro toſto omne principium volatile purgans. Scilicet diu ſatis toſtum Opium, non amplius flammam concipit, et ardet, vt crudum, quare praeter ignaviam ſuam quam agere iuſſum, in corpus humanum, tum exhibet, hoc ipſo phoenomeno evinci poteſt, omne volatile et ſulphureum expulſum eſſe. Id, dum introſpicere in Praxi a poſteriori, et a priori etiam ratione duce, coeperunt Viri periti, bonis avibus Opium toſtum abitum paravit ex Medicae artis finibus, hodieque fere exulat totum, neque ſperandum ipſi facile, vt revocetur. Optime totam hanc praeparationem reiecit *Sennertus* b) noſter cum eius miniſterio non ſolum crudum ſulphur, ſed etiam pars quae maxime expetitur, et in qua vis eſt ſoporifera, perdatur et diſſipetur. Idem prorſus facit *Wedelius*, c) qui adeo iam ſciviſſe *Galenum* notat, id quod etiam monet *Mercurialis*, d) hac methodo Opium ſua energia penitus caſtrari. Toſtionem omni virtute defraudare Opium etiam agnovit *Valentini*. e) Non minus efficaciſſimam partem ſalino-ſulphuream, a qua vis omnis Opii pendeat, torrefaciendo et evaporando perdi, aſſeverat *Berger* f) praeter hos, omnia per toſtionem et effumationem molimina, quae veteres habebant in vſu, vana et nullius momenti eſſe, edixit *Hoffmannus* g) cum hac ratione nobiliſſimum ſimplex penitus privetur activo ſuo elemento

a) *de ſimpl. Med facult.* c. 48.

b) *lib. VI. p.* 298.

c) *Opiol. p.* 54

d) *lib. I. c.* 42

e) *Hiſt. ſimpl. p.* 272. §. 6.

f) §. 14.

g) *diſſ. de Correctione* §. 10.

h) *de Venenis p.* 598. mento. Tandem etiam *Lindeſtolpe* h) evaporatione ſaponem volatilem narcoticum abire in auras, relictis ſtaminibus et terra inutili profitetur. Neque exiſtimandum eſt quod *Herrmannus* aſſerit, Opium toſtum ad genium et malignitatem ſuam iterum redire poſſe, reanimatum ab aëre, adeoque mox poſt toſtionem adhibendum eſte; cum ſemel deperditas eius dotes nunquam, nullaque ratione recuperet, ac neque vi aliqua magnetica in fugam actos ſuos nobiles atomos rurſum attrahat, nec hi chaos aëris ingreſſi, ac per id longe lateque vagantes, ſponte iterum redeant. Haec ſi vera fuerint, longe minus exſurget aliquis non toſti ſaltem, ſed incinerati penitus Opii, Fautor, qui animula eius vagula in auras propulſa, triſtes exuvias emortui, nilque virium amplius complexi remedii, cui nemo denuo vitalem ſpiritum redderet, aliquid boni et energetici continere fuerit arbitratus. Namque vt ſolet, ludens et iocans bene noat *Neumannus*, i) incineratione Opium tractantes, ſatis ſecure tum id adhibere poſſe, cum convictiſſimi eſſe queant, omne ſylveſtre et ferum et malignum ſulphur abactum eſſe, ſed conſiderare eos ſimul iubet, iisdem artibus et manſuetum, blandum ac laudabile ſulphur in auras evolaviſſe, ita vt reſtitans poſtea cinis, non differat a cineribus cuiusvis ligni combuſti. Idem hoc ſerio magis *Hambergerus* k) inculcat, qui calcinatione omne ſulphureum volatile, in quo tota vis Opii tam ſalutaris anodyna et hypnotica, quam narcotica conſiſiat, diſſipari, reliquam vero maſſam inertem nulla nec ſalutari nec noxia qualitate praeditam relinqui, rectiſſime annotavit. Pulchre etiam docet *Alſton* l) quando Opium in lamina ferrea eo fine torretur, vt corrigatur, et narcoticae partes abigantur, licet hic proceſſus a longo tempore in vſu fuerit; et a tot ſcriptoribus depraedicatus, id quidem comburi, neutiquam vero melius reddi poſſe.

i) *Lect. de Opio p.* 122.

k) §. 57.

l) *in Act. Edinb. Tom. V Part. I. Art.* 12. *Sect. III.* §. 5.

§. VIIII.

§. VIIII.

Quando autem ſatis attendentibus conſtitit, actuali apertoque igne, virtutem medicam Opii deſtrui penitus, fuere interim alii, qui igne potentiali, calidis puta et ſpirituoſis liquidis, ipſoque Vini ſpiritu, id corrigere, hisque ipſis enchireſibus, vires eius extrahere, et magis medicinales reddere allaborarunt. Placuit nonnullis ex decocto Opii cum vino adornato, inſpiſſatione parare extractum, aliis cum *Boyleo* digeſtione vini ope elaborare liquorem opiatum, quali aromatibus quibusdam additis, ſub laudani liquidi nomine, hodie adhuc inter Practicos celebratiſſimo, adeo feliciter vſus eſt Inventor *Sydenhamus*. Verum nonnullis prae vino, ſpiritus vini arriſit potius, ad confectionem alicuius eſſentiae, et extracti. Hic quippe, vt inter alios *Sennertus* m) teſtatur, partes Opii ſulphureas in quibus tota vis narcotica conſiſtit, extrahit commodiſſime, et ab inutilibus ſeparat. Addit quoque laudatus *Sennertus* quae hic ab aliquibus contra ſpiritum vini obiiciantur, aliquo modo locum habere poſſe (quamvis iterum ſeparetur,) ſi correctionis gratia praecipue adhiberetur, verum cum extractionis gratia principaliter vſurpetur, eum vituperari non poſſe. Cum *Sennerto* faciunt *Poterius* et *Zwelferus*, Opium tamen per ſpiritum Vini ſimul corrigi opinantes, eſſentiamque inde et extractum parantes. Atque praeter hos *Ludovici*, n) eiusmodi praeparata magnifaciens, ſolutionem Opii crudi in ſpiritu Vini innocentem eſſe, et extractum cum ſpiritu vini vndiquaque tutiſſimum aſſeverat. Maxime autem hac occaſione a me allegandus eſt, *Sennertum* ſequens *VVedelius*, o) qui ſpiritum Vini multis laudat, quia Opium abundet reſinoſitate, cuius commodum ille ſit menſtruum, qui et ſal volatile eius extrahat, vim autem narcoticam eius ſartam tectamque relinquat, atque nec augeat, nec minuat, licet aliquid dicant, intendi eam ſpirituoſis, deleteriasque Opii qualitates exaltari, quod vero non

Correctio per ſpirituoſa.

m) *lib. VI. p.* 298.

n) *in Pharmacia moderno ſeculo applicanda p.* 308.

o) *Opiol. p.* 62. 63.

admittendum ſit, cum ſpiritus Vini in extracti praeparatione omnis iterum abſtrahatur, et evaporetur, quem interim oporteat eſſe probe rectificatum. Eapropter autem, quod Tinctura Opii cum ſpiritu vini parata, ſit coloratior, magis diaphana, quam cum aceto et aqua parata, et quia illa plus de Opio ſolvit, quam hae, optimum menſtruum Opii eſſe ſpiritum vini, colligit, et aſſerit de *Heide.* p) Video quoque Illuſtri *Buchnero* q) placere Tincturam anodynam, eandemque Opio crudo ſecuriorem haberi; et melioris vſus dici extractum cum ſpiritu vini rectificato praeparatum. Verum enim vero aliter prorſus ſtatuit Cl. *Berger* r) quando extractionem reſinoſae partis Opii per ſpiritum vini penitus improbat, vimque eius a ſale ſulphureo ortum ducentem, a ſpiritibus ardentibus, qui ſuapte vi ſomnum inferre poſſunt, ſi maiori copia adhibeantur, maiorem potius vigorem acquirere, contendit. Diſertis etiam verbis *Hoffmannus* s) ſpirituoſis menſtruis magis efferari Opiatorum vires pronunciat, cum haec oleoſas et ſalinas partes, a mucidis gummoſis terreisque ſeparent; atque oleoſum principium, a qua maxima vis narcotica ſibi relictum, et purum plus noceat nervis, quam ſi ſub involucro partium mucilaginoſarum cuſtodiatur. Hanc ob cauſam ſeſe iure meritoque repudiare omnes eſſentias, omniaque extracta, cum ſpiritu Vini facta ait ſique quicquam detur, quod huic ſimplici vim deleteriam affricet, certe eſſe menſtruum ſpirituoſum profitetur. Poſt *Hoffmannum* extractum cum ſpiritu vini rectificatiſſimo recenſens *Neumannus*, t) reſinoſa haec praeparata non multum valere, imo vero peiora eſſe quam Opium crudum, Auctor eſt, quare et ab vſu Eſſentiae, u) et extractorum ſpirituoſorum prorſus deſiſtendum eſſe ſuadet. x) Teſtatur etiam de ſolutione Opii cum ſpiritu vini *Boerhaavius*, y) eam ſemper minus bonam eſſe quo melior ſpiritus, cum hic ſolam inflammabilem partem extrahat, non ſaponaceam. Tandem et *Geoffroy*, z) praeparata Opii cum ſpiritu vini, vi narcotica

p) *obſ.* 79.
q) *in Mat. Med.*
r) §. 14.
s) *diſſ. de Correct.* §. X.
t) *Lect. de Opio* p. 117.
u) *p.* 130.
x) *p.* 142.
y) *Chem. Tom. II. p.* 206
z) *Mat. Med. Tom. II p.* 704 *et* 709.

cotica intenſiori donari dicit, caputque vehementius afficere, nauſeam, ſingultum, vomitum, excitare. Niſi omnia me fallunt, noxas a ſpiritu vini, quamvis eidem faveret, tamen et ſubolfeciſſe videtur *Wedelius* a) dum Eſſentiam ſuam anodynam, in Chemia deſcriptam parat, coquendo Opium cum aqua, liquorique filtrato evaporato ad quartam circiter partem duplum vel triplum ſpiritus vini deinde addit. Probat hunc modum *Hamburgerus*, b) dum ſpiritus vini ſaltem additur, vt vappeſcentia impediatur, tertia vel quarta ſpiritus vini parte addita. Interim Eſſentiam anodynam et extractum tale Opii docere credit, praeparata Opii per ſpiritum vini minime tanquam noxia eſſe reiicienda. c) Nihilominus cum aliis tutiora videantur pharmaca ex Opio aquae beneficio praeparata; cum *Sennertus* et *VVedelius* locis antea allegatis, contra illos quibus ſpiritus vini diſplicet, ad abſtractionem plenariam in praeparatione extracti ſpirituoſi provocent, hoc ipſo ni fallor monſtrant, quod eundem abſolvere non omnino audeant, adeoque eidem non omnino fidendum eſſe largiantur. Ego antequam de ſpirituoſa Eſſentia, et extracto ſpirituoſo, fuſius agam meumque addam iudicium, aquoſi extracti Opii mentionem primo iniiciam, dein et huius, et illius dotes examinaturus ſedulo.

a) *p.* 155.

b) §. 59.

c) § 70.

§. X.

Correctio per aquam.

Tanto autem magis in aquam ſimplicem ferri debuerunt omnes, qui in ſpiritum vini calidum et acrem, ob ſolam calidam et acrem indolem Opii, fiduciam locare renuunt. Diſplicet haec praeparatio aquoſa equidem primo olim in Europa Profeſſori Chemiae Ioh. *Hartmanno* d) conſentiunt interim de praeferenda ſpiritui aqua, multi Viri chemice docti, mirum ſaltem quod diverſimode agant cum Opio, variasque encliireſes in praeparatione exhibeant. Non tempus teram inutili allegatione aquarum fatuarum, deſtillatarum, quas prae ſimplici eligendas nonnulli volunt; nec citabo fuſe, non certe magna vi ingenii

d) *in Baſil. Chym. Comment.*

genii ſelectum et praelatum aquis e terrae gremio prorumpentibus, vel ex roſtro veſicae aut alembico depluentibus, coelo recens deciduum rorem maialem, ſimplicem, vel et deſtilatum, ſufficiet indigitaſſe, aqua coquentum, infundendum, digerendum, voluiſſe Opium, qui illam huius menſtruum et corrigens convenientiſſimum habuerunt. Ita *Sennertus* e) ſolvendum vult Opium in aqua quadam conveniente, et in loco calido digerendum, donec ſpuma ſupernatet. Haec autem ſpuma ex eius praecepto primo tollenda, dein liquor clarus a faecibus ſeparandus, et lento igne inſpiſſandus, addendo in fine ſpiritum vini, quem tamen etiam ſolum extractioni ſatis habilem declarat, vt adeo inter extractum aquoſum et ſpirituoſum fere nulla ipſi intercedere differentia videatur. Ad vtriusque quoque encomia ſuppeditanda aeque facilis invenitur *VVedelius*, namque quaſi oblitus eorum omnium quae antecendenti capite de Opii reſinoſi genuino menſtruo ſpiritu vini dixerat, quaeque ego §o antecedente commemoravi, eximie etiam laudat menſtruum aqueum f) 1. quod odorem nauſeabundum abire faciat, 2. quod Opium medium inter gummata et reſinas aqua bene ſolvatur, 3. quod talia gummoſa extracta per aquam parata melius virtutem corpori humano inſinuent quam cum ſpiritu vini parata, exemplo aloes, quae perdit vim purgantem ſpiritu vini ſoluta, 4. quod minus ſumtuoſum hic habeatur remedium, 5. quod hoc extractum aquoſum elegantia et vſu omnia alia anteeat. Hic certe de Spiritu Vini prorſus *VVedelius* tacet. Eum vero aquae iterum iungit *Bergerus* g) Optima inquiens praeparatio Opii eſt ſimpliciſſima, quae fit ſolutione eius et extractione partis gummoſae, aqua pluvia vel rore maiali ſtillatitio, alioque liquore aqueo in vaſa clauſo, et loco temperato, cui ſi quis ex parte reſidua, ſpiritu Vini extractam, paucam ſubſtantiam reſinoſam permiſcere velit, vt cum *Lemery* et *Charas* multis placet, non errabit. Qui interea omnes malos effectus reſinae tribuit, *Iones* panaceam ſuam

e) *lib. VI. p.* 293.

f) *Opiol p.* 64.

g) §. 14.

ſuam *liquidam* multis laudat, quae mera eſt ſolutio Opii aquoſa. Nempe Opii vnciae octo, in vaſe probe obturato, in loco temperato, quotidie ter vel quater agitando, intra 6. dies ſolvuntur in libris duabus aquae pluvialis deſtillatae, per chartam bibulam filtrantur, ac oleo dulci affuſo conſervantur. Parat et extractum Opii aquoſum, faecibus aquam affundendo, tincturam rubicundam eliciendo, eamque in balneo ad extracti conſiſtentiam inſpiſſando, hocque ipſi eſt *Panacea ſolida*. Eadem ratione nihil prorſus ſibi eſſe cum ſpiritu vini volens *Hoffmannus*, deſideratiſſimam vim anodynam Opii ponit in parte temperata gummoſa, h) quapropter vt loquitur, cum *Ludovici*, *VVedelio*, *Febure*, *Lemery*, *Glaſero* optimam praeparationem agnoſcit illam, quando extractum eius aquoſum paratur aqua ſimplici. Laudat eapropter ſolutionem aquoſam *Iones*, quae nomine myſterii Opii revelati in *Actis Eruditorum Lipſienſibus* i) deſcribitur. Tales partes Opii in aqua ſolutas, ſelectiſſimas habet *Hoffmannus*, quia hac ſolutione aquoſa, partes conſtituentes Opii, cum craſi earum naturali haud deſtruuntur. Opium in aqua pura ſolutum, quod et adeo placet Cl. *Geoffroy*, k) etiam optimum habet *Boerhaavius*, l) dein in vino, poſtea demum in Spiritu Vini, ſed ſemper minus bene, quo melior ſpiritus: adeoque ſi hic placuerit, non niſi valde phlegmaticum probat. Aquoſorum talium praeparatorum non minus magnus fautor eſt *Neumannus*, m) multo, tamen curioſius procedendum vult. Vt enim extractum vſu admodum ſecurum et lene paretur, iubet primo parare extractum per fermentationem, deinde hoc ſolvere multa aqua, et infundere in vas valde latae ſuperficiei, atque ſic coquere, et facere bullire, ad tempus. Ita multum ſtupefactivi abiturum pollicetur. Tum autem evaporatione ſolutionem in extractum redigendam, atque hoc extracto deinde periculum faciendum cupit, ſique ita videatur, ſecundam coctionem poſſe inſtitui, quia omne malum neutiquam vna vice ſecedat, alias fermentatione non opus fore,

h) *de Correct.* §. 9.

i) *ao.* 1701. *Menſ. Octob. p.* 441.

k) *Mat. Med. Tom. II. p* 709

l) *Chem. Tom. II. p.* 206.

m) *Lect. de Opio.*

ſed

ſed coctionem ſufficientem ſuffecturam fuiſſe, reiterata vero coctione vim omnem in totum deſtrui, monet. En laborioſum proceſſum! cuius aetiologia addita tota fundatur in eo, vt peſſimae et nocentiſſimae particulae pededentim exhalent, quare et vas nunquam obturandum dicit. Non credo, Pharmacopoei huius celebris praecepta ſequi exacte vbivis, omnes officinarum pharmaceuticarum Directores, namque vtplurimum minori compendio diſpenſatoriis variis teſtibus, parari ſolet extractum Opii aquoſum, ea fere methodo quam in Pharmacologia ſua exhibet Cl. *Cartheuſer.* [n]) Nempe Opium crudum coquitur cum aqua donec penitus ſolutum ſit, aſſurgente interim materia ſpumoſa, quae ceu venenata ſolerter cochleari auffertur, id quod in omnibus libris pharmaceuticis ſolerter inculcatur. Solutio per linteum traiecta deinde ad extracti conſiſtentiam evaporatione inſpiſſatur, quamvis interdum infuſio ferventis aquae, et digeſtio frigida, quam multum favens extracto aquoſo, ob ſeparationem partium craſſiorum reſinoſarum, laudat modo citatus Cl. *Cartheuſer* [o]) ipſi coctioni, coctioque lenior et brevior, fortiori et longiori, ac vas anguſtae ſuperficiei latiori vaſi, obturatumque aperto, praeferatur. Atque eiusmodi extractum aquoſum ſub his differentiis praeparatum et officinale factum, ſolum vel additis diverſis corrigentibus putatitiis, in laudanum Opiatum abiens, omnino in praxi frequentius adhibetur, tutiusque exhiberi poſſe a Practicis reputatur quam Opium crudum, a quibus omnibus toto die praeſcribi conſuevit, niſi illi prorſus odio Opiata habuerint, bene memini dum haec ſcribo, ſermonum et diſſenſuum amicorum, qui olim interdum nati ſunt inter me, et deſideratiſſimum meum *Hahnium*, qui Medicus mitis, lenis, facilis, miſericors, officioſus, humanus, ſuorumque aegrorum amator, non poterat non ſimul amare, quo ipſis placebat, Opium. Toties vero Optimus Vir mihi laudabat ſuum extractum aquoſum, reſina omni craſſiore carens, in qua praecipue

con-

n) p. 547.

o) *Mat. Med. Part. I. p.* 612.

contineri ſtupefaciens Opii elementum perſuaſus erat, quoties ego me aeque lubenter, ac aeque ſecure, crudum Opium exhibere meis aegris, doctus diuturna experientia aſſeverabam, quod ipſum pro iure quaque iniuria tueri potuerim, ex mox dicendis apparebit.

§. XI.

Iudicium de vtraque correctione ſpirituoſa et aquea.

Sane in Oriente vbi Patria habetur Opii, ſinu naturae recens excluſum, nullam artem expertum, neque vel igne vel aqua correctum, id aſſumunt Myriades hominum, non ſaltem vbi morbis variis affliguntur, ſed ſani et ſoſpites, doſibus haud mediocribus. Non licet hic opponere, eos magis patientes eſſe vegetabilis, quod ipſorum notale ſolum progerminare faciat, ipſiusque climatis reſpectu vſum eius facilius ferre; namque ſi a doſibus valde grandibus ſaltem receſſeris, in noſtris regionibus ſat diu per ſecula, et ad noſtram vsque aetatem, etiam vtimur Opio crudo prorſus, et nequaquam correeto. Videlicet omnes illae compoſitiones veterum, aut ſaltem earum plurimae Opium nativum continentes, quae per ſecula vſurpatae ſunt, antequam de Opii extracto aquoſo laudanoque aliquo opiato conficiendo cogitaretur, nobis adhibentur ad hunc diem, ita vt quando de Opiato remedio iubente neceſſitate exhibendo invicem colloquuntnr Medici, in eius praeſcriptione fere obliviſcantur ipſi ineſſe Opium nulla arte praeparatum, ii etiam, quibus coeteroquin ſolum Opium crudum, quando nempe compoſitionibus officinalibus haud immiſtum eſt, exhibere neutiquam familiare habetur. Nonne enim in Praxi Theriacam Venetam, Mithridatium, Diaſcordium, Fracaſtorii, Pilulas de ſtyrace, de cynogloſſa, laudanum liquidum Sydenhami quotidie praeſcribere ſolemne eſt, quando opiatum pharmacum indicatur? Nonne vero ſic crudum Opium exhibetur cum aliis additamentis, ea doſi, qua ſolum exhiberetur? Nonne haec praeparata, in quibus vt in antecedenti-

bus evici, nulla ratione corrigitur Opium, ſaepius forte, aut toties minimum vſurpantur in Praxi, quoties in pulvillo, vel pilula, porrigitur per hypotheſin Opio crudo praeſtantius, et ſecurius communi plerorumque conſenſu habitum, extractum eius aquoſum. An autem probabile foret, an demonſtrari poſſet, obſervatione et experientia teſtibus Medicos duos Opio decenter vti gnaros, quorum vnus compoſitionibus Opium crudum habentibus, alter ſuo extracto aquoſo frequentius vteretur, diverſos ſucceſſus in arte, feliciores, infelicioresque, fore animadverſuros? Ego certe maximopere dubito, aliter enim pro Opii extracto aquoſo laudanoque ſuo militantes, et id ſuum potiſſimum in medento facientes, non bene agerent, ſi loco eius, alio quovis tempore et promiſcue, compoſitiones Opiatas, cum Opio crudo non minus in vſum vocarent, quod rarum certe non eſt. Ita ſane qui Opium crudum damnat extractumque aquoſum adeo collaudat *Neumannus*, p) tamen etiam a Pilulis Starckey Opium crudum habentibus nunquam ſe triſtem et ne quidem ſuſpectum, qui in morbis deſperatis, notanter bonum effectum vidiſſe, eloquitur. Neque dememini Amicum meum et Collegam coniunctiſſimum, de quo §o antecedente verba feci, aeque ſaepe in ſua praxi pilulis de cynogloſſa Opium crudum habentibus vſum fuiſſe, quam extracto Opii aquoſo, quod ipſi tantopere placebat.

p) p. 142.

Vt vero accuratius nunc pateat; quae vera differentia ſubſit inter Opium crudum, inter extractum aquoſum et reſinoſum, de quo antea tractavi, notare, convenit, ſub eodem volumine, aequalique doſi extractum Opii aquoſum eſſe mitius Opio crudo, Opiumque crudum mitius extracto reſinoſo, cum ſpiritu vini praeparato. Simul vero animadvertendum eſt, cauſam benignioris indolis extracti aquoſi prae crudo Opio, non collocandam eſſe in gummoſa parte ſola obtenta, ſeparatisque reſinoſis partibus quae in Opio crudo adhuc adſunt, et in extracto reſinoſo potiſſimum dominantur;

tur; neque mitiorem indolem Opii crudi per extracto ſpirituoſo, pendere a gummoſa parte reſinoſam fortem, draſticam, maxime noxiam involvente et cicurante, quae ſui iuris exiſtens et ſola venenoſi quid alat, ſed alias prorſus rationes ſubeſſe, quae iam tradendae ſunt. Ante omnia autem quod antea variis locis iam inculcavi, denuo hic inculco iterumque, verbis Cl. *Hambergeri*, q) Non in Opio quaedam haerent particulae quae hypnoticam, et aliae quae narcoticam exhibent virtutem, ſed hi diverſi effectus, ab iisdem particulis, quantitate ſaltem diverſis, producuntur. Deinde eiusdem prorſus indolis hae volatiles moleculae, ſibi in omnibus ſimile principium vaporoſum activum Opii conſtituentes, quod ſpiritum rectorem appellare licet, immerſae ſunt neque gummoſis eius partibus, neque reſinoſis ſolis, ſed ambabus arcte invicem iunctis, nec prorſus a ſe invicem divellendis, adeoque toti Corpori Opii. Nempe vt ex *Analyſi* Opii in ſuperioribus tradita, huc facientia hic repetam, et menſtruum aquoſum et ſpirituoſum, id principium agens ex ſinu Opii aeque in ſe recipit; atque ex extracto aquoſo ſpiritus Vini, ex extracto ſpirituoſo affuſa aqua id exſolvere, et in ſe recipere valet. Male aliqui *Ettmullerum* forte ſequentes cum eo exiſtimarunt, reſinam in Opio eſſe nucleum medicamentoſum cortice gummoſo involutum, aut cum aliis reputaverunt, gummoſum principium vim medicamentoſam in ſe fovere, reſina draſticam venenoſam habente. Namque reſina craſſior ab infuſione aquoſa reſidua nil gummoſi amplius habens, Gummi craſſius ab infuſione ſpiritus reſiduum nil reſinae habens, eſt aeque iners.

q) §. 56.

§. XII.

vlterius ſuppeditatum.

Quando vero extractum ſpirituoſum cum eſſentia ſpirituoſa, prae Opio crudo, et extracto aquoſo et ſolutione aquoſa, fortius agens deprehenditur, vt experientia conſtans in hominibus et brutis animantibus docet, hoc pendet ab eo,

quod ſpiritus vini aptiſſimus ſit, vt in ſe recipiat magna copia, cum reſina, volatile principium, a quo Opio omnis activitas, relicto gummi ignavo et foecibus terreis. Has dum Opium crudum cum gummi hoc adhuc habet, neceſſario ſub eodem volumine, extractum ſpirituoſum debet eſſe fortius, quam Opium crudum. Maxime autem notandum eſt, vt ab aliis menſtruis obtunditur, ita a ſpiritu vini id principium exaltari extricarique ex aliis partibus conſtituentibus Opii, et magis ſui iuris reddi, vt liberius agat. Vomitus vero et nauſea, quae Opii extractum reſinoſum et Eſſentiam quoque reſinoſam aſſumtam inſequi ſolent, non aliunde proficiſcuntur, quam quod menſtruum ventriculi ſolvendis reſinis ineptum ſit, quare non ſecus ac ab aliis reſinis acribus, eiusmodi effectus draſtici eveniunt. Longe vero mitius ſpirituoſo extracto, quod merito negligitur in praxi, atque etiam Opio crudo; extractum aquoſum eſſe obſervatur. Namque dum hoc paratur, colligitur in ſuperficie liquoris aquoſi, vim Opii non ita vt menſtruum ſpirituoſum exaltantis, oleoſa et vnguinoſa ſpuma, ab aqua non ſolvenda, vaporoſo elemento vndiquaque aſſurgente ditiſſima, quae per experimenta, pauca mole efficaciſſima in operatione deprehenditur. Haec deſpumatione removetur, et abiicitur ſecundum receptas Pharmacopoeorum leges. Solutio ergo aquoſa hac ratione non exigua parte elementi volatilis orbatur, quae antea aderat in Opii crudi nondum in aqua ſoluti aequa quantitate. Deinceps dum ſolutio inſpiſſatur, ad extracti conſiſtentiam, ſub ipſa evaporatione multum adhuc de hoc elemento volatili ſuper igne in auras abigitur, adeoque tum neceſſario granum vnum extracti aquoſi multo minorem quantitatem eius in ſe fovet, quam habuiſſet granum vnum Opii crudi ſibi relicti. Extractum autem reſinoſum Opii, et eſſentia ex portione determinata, habet in ſe omne activum vnctuoſum et volatile principium quod hic non perditur, ſed manet, quodque ſpiritus vini prompte ſolvit et in ſe recipit

cipit et exaltat, quare extractum reſinoſum aequo volumine fortius agit, extracto aquoſo, eodem principio vnctuoſo et volatili bonam partem orbato, ipſoque adeo Opio crudo, quod id quidem principium totum adhuc habet, ſed aequam portionem in maiore volumine quam extractum reſinoſum, nec concentratam et exaltatam. Videlicet per *Neumanni* obſervata; Opii vnciae quatuor dant extracti reſinoſi ſpiritu vini praeparati vncias tres et ſcrupulos quatuor; poſſunt tum per aquam extrahi ſcrupuli quatuor extracti aquoſi, in quo parca admodnm quantitas vel nulla de elemento volatili ſuperſtes, remanentque partium inſolubilium drachmae quinque et ſcrupulus vnus. Ergo in extracti reſinoſi vnciis tribus et ſcrupulis quatuor, omne latet iam conſentratum id activum principium, quod latebat antea diſperſum in vnciis quatuor Opii crudi; quare ob hanc ſolam cauſam, in extracti reſinoſi gr. ¾. fere eadem vis ac in grano integro Opii, de exaltatione eius per menſtruum ſpirituoſum, nil amplius dico. Forte autem extractum aquoſum ſub eadem doſi eo gradu aut maiore debilius eſt Opio crudo, ac Opium crudum ſub eadem doſi debilius eſt extracto ſpirituoſo. Coeterum ſilentio hic non praetereundum eſt, extractorum etiam aquoſorum vires pro praeparationis differentia, mirum quantum inter ſe differre, prout nempe per eam maior minorque elementi vaporoſi volatilis portio igne fuit abacta, et deperdita. Namque hae ſemper erunt maiores, ſi cum aqua tepida fiat infuſio, et frigida adminiſtretur digeſtio, quod vult Cl. *Cartheuſer* r) ſique vas ſit obturatum vt *Iones*, *Berger*, s) *Hoffmannus* t) et alii praecipiunt; minores autem ſi blanda fiat in vaſe arctiori leviter clauſo, per brevius tempus coctio; minimae ſi coquatur diutius in vaſe aperto, et lato; nullae tandem futurae, ſi per horas in tali inſtituatur coctio, quod ipſe agnoſcit coctioni licet, eidemque repetitae favens *Neumannus* u) et adeo *Stahlius*. x) Omnia haec quae ita ediſſero, ita mihi comparata videntur, vt dum firmiſſimis

r) *Mat. Med. Part. I. p.* 912.
s) §. 14.
t) *de Correct.* §. 9.
u) *Lect. de Opio p.* 129.
x) *Mat. Med. Germ. p.* 22.

cipiis per analyſin Opii ſtabilitis, nituntur, fere ad certitudinem mathematicam accedant. Miror ergo vehementer quando apud *Alſtonum* y) lego, Extractum aquoſum Opii ſi ſolutio eius aquoſa inſpiſſetur, vsque ad conſiſtentiam Opio propriam, quarta parte fortius eſſe, ac Opium crudum. Id quidem mihi per naturam rerum, et ea omnia quae expoſui, videtur impoſſibile. Plaudo Egregio Viro, quando aſſerit, totum Collegium Edinburgenſe non metuere principium vaporoſum et narcoticum Opii, ſed deſiderare ſaltem vt impuritates, quisquiliae, et pars reſinae inde ſeparetur. Nullus autem credo, ob hanc ſeparationem extractum Opii aquoſum fortius reddi Opio crudo. Sane ſi haec ſeparatio contingeret ita, vt ea facta, Opium purum maneret tale, ſique poſſet ſuccedere ſine igne, ſi infuſio, et coctio, et inſpiſſatio Opio nil demeret, quam reſinam, et quisquilias, tum crederem lubens. At vero quia infuſio, et coctio, et inſpiſſatio, neceſſario faciunt exhalare de ſolutione maiori minorique copia partes leviſſimas et volatiles; et quia in his reſidet omnis vis Opii; extractum licet quisquiliis ablatis videri poterat concentratum Opium, tamen redditur debilius Opio crudo, reſina craſſa et quisquiliis adhuc onuſto. Nunquam in hanc ſententiam deveniſſet *Alſtonus*, niſi perperam pro fixitate Opii militaſſet, quae neutiquam talis eſt, vt ſibi perſuadet. Verum prorſus pro me faciunt ea, quae immediate ante Tractationem *Alſtoni* z) leguntur in Tractatione Cl. *Arnot de methodo praeparandi Extractum Opii Britannici*. Extractum hoc aquoſum, ex ſiccatis Capitibus et ſtolonibus infuſione cum fervente aqua, et coctione per tres vel quatuor horas, deinde inſpiſſatione decocti ad conſiſtentiam mellis, deinde ad conſiſtentiam extracti paratum, praefert Opio ex Turcia alato Vir Clariſſimus, dicitque quod agat ſine vertigine et nauſea, ſine turbato capite, cauſam huius rei collocans in remotione partium crudarum reſinoſarum, per communem hypotheſin. Addit autem, quod notari

y) *in Act. Edinb. Tom. V Part. I. Art. XII. circa finem.*

z) *Art. XI.*

notari volo, de hoc extracto duplam portionem exhibendam eſſe, quam quae datur de Opio turcico; ergo debilitatem extracti, prae ipſo Opio ita agnoſcit. Porro inſpiſſatum decoctum extracto inde parato, dimidia parte fortius agere dicit. Scilicet decoctum inſpiſſatum ad mellaginem, iterum igni exponitur, donec acquirat conſiſtentiam extracti, adeoque iterum portionem partis volatilis perdit. Probat igitur *Arnöt*, quo diutius igni exponitur decoctum, eo productum inde reddi debilius, ſique extractum denuo ſolveretur in aqua, et haec ſolutio iterum ad extracti conſiſtentiam inſpiſſaretur, clariſſimum eſt, illud iterum priori debilius redditum iri. Atque quantum vires Opii ipſius, et extracti aquoſi inde parati, inter ſe differant, liquido quoque perſpicitur, ex arcana illa praeparatione, quam ſingulari quaſi nutu divino permotus, vt ſibi videtur, publici iuris fecit Henricus a *Deventer*.[a]) Nempe cum grumis panis recens cocti, ſubactum Opium indit cucurbitae vitreae, obturatamque hanc exponit balneo vaporis, per 40. dies; Tum digeſtione finita infundit Maſſae aquam pluvialem, ea quantitate, vt a grumis exſolvatur Opium; ſolutio poſtea evapotatione inſpiſſatur ad conſiſtentiam extracti, vt inde formari queant pilulae additurque anatica portione pulvis croci. De hoc ita parato Opio adultis dari doſin a grano vno ad quatuor, atque ſe in ſummis doloribus etiam grana 12. dediſſe dicit, ſique duo grana in partus doloribus ſpuriis haud ſuffectura ſint, a granis quatuor bonum effectum promittit. Facile patet ex his doſibus extractum hoc Cl. *Deventer*, non obſtante additione Opii Analogi croci, eſſe debilius Opio crudo, quod prima vice et non adſuetis vix daretur tali quantitate ſine notabili noxa.

a) Neues Hebammen-Licht *p. m.* 174. *ſeq.*

Iam cum ſua vnicuique placeant, cumque quod teſtis omni exceptione maior expertiſſimus Pharmacopoeus Cl. *Neumannus* b) vltro profitetur, in decem Officinis decem modis praeparetur extractum Opii aquoſum, quis accuratiſ-

b) *p.* 135.136.

ſime

ſime determinabit vnius prae altero vires in operando? quas tamen in omnibus illis caſibus omnino noſſe convenit exacte, in quibus exhibitione Opii opus eſt. Nonne ergo praeſtat, adhibere in Praxi Opium crudum? cum certo conſtet, vnguinoſam ſpumam ſub praeparatione extracti abiectam, vere non magis virulentam eſſe quam illud principium volatile eſt, quod in extracto remanſit, in quo hoc ſaltem nunc parcius habitat, quam habitabat in Opio crudo, hoc ipſum quod in ſpuma coibat, et in extracto abeſt, in ſe adhuc continente; cumque praeterea ignoretur, quantum huius principii reſtitantis in ſolutione Opii, poſt abiectam ſpumam, vlteriori coctione et evaporatione, aliisque artibus in auras fuerit abactum. An qui haec conſiderat attentus et ſolers, contradicere mihi audebit, quando palam aio, ſaltem eapropter mitius eſſe extractum aquoſum Opii, quam Opium crudum, quia illud ignem et evaporationem expertum, continet minorem portionem elementi volatilis, quam hoc. Anne igitur aeque virtus in grano vno extracti Opii aquoſi, et in tertia parte grani, vel grano dimidio Opii crudi? Anne extractum Opii aquoſum ſaltem temerariis paulisper Medicis relinquendum videtur, cum aequali copia huius non ita peccare poſſint, in ſalutem hominum, quam Opii crudi? Nonne autem ex his omnibus conficitur, facilius et frequentius peccare poſſe in ſalutem aegrorum, Medicum artis adhibendi Opium non exactiſſime gnarum, etiamſi inſtruatur extracto aquoſo, quam peccaturus eſt Medicus alius illam accuratiſſime callens, crudum Opium iuſta doſi praeſcripturus. Sane ita ſe res habet! neque praeter rem cavent Opii vaporoſum elementum ſibi in toto Opio ſimile, vniceque valens, probe cognitum habentes, ne nimis pereat in praeparatione extracti. Laudat *Hoffmannus* c) non coctionem, ſed infuſionem ſaltem cum aqua calida, in vaſe obturato, ne volatilis deſideratiſſima portio abeat in auras; quomodo igitur licitum erit ſtatuere, opus eſſe nihilominus, vt noxium volatile quod

c) *de Correct. Opii* §. 9.

quod tamen ea prorſus indole gaudet, ac vtile habitum, bonam partem abigatur? atque ſi vere daretur in Opio noxium volatile, et ſalutiferum volatile, quod ſibi fingere turpe eſt, et indignum Medico ſobrio, quis tenendus modus, vt prius totum excutiatur poſterius remaneat, et conſervetur? Si portio deſideratiſſima conſervanda nulla elaboratione extracti opus, ſed crudum ſufficit; allaborandum ſaltem vt huius iuſta deſideratiſſimam portionem habentis doſis, eaque quam aeger in ſuam ſalutem pro circumſtantiarum varietate deſiderat, a medente offeratur. Equidem Vir inſignis Cl. *Cartheuſer* d) hanc praeparationem extracti eapropter laudat, et admittendam vult, vt Opium infuſione vel blanda coctione liberetur a ſuperfluis vaporoſis partibus. At vero pace eius dixerim, ſi pro indole aegri, et morbi, partes vaporoſae in vno grano Opii crudi habitantes, fuerint ſuperfluae, detur granum dimidium, vel tertia pars grani; doſeos quippe diminutione, ſatis prompte et commode ſuperfluum poteſt minui, ſine vllis artificiis aliis, quibus nil aliud efficitur, quam vt portio quaedam elementi volatilis abigatur in auras. Niſi turpiter et vehementer fallor, ego nullam video extracti aquoſi prae Opio crudo praerogativam, namque vbi ſecurum eſt et medicamentoſum granum vnum extracti aquoſi, ibi etiam ſemper ſecurum erit granum circiter dimidium Opii crudi, et contra. Praefert crudum iure eius extracto, quia hoc varias mutationes expertum eſt, virtutes ipſius infringentes Cl. *Young.* e) Merito igitur huc traho effatum Cl. *Alſton* f) *Opium non melius haberi poteſt, quando debilius fuit redditum, incondita quippe methodus eſt, pro correctione alicuius pharmaci vires eius debilitare.* Quis vero Chimiatrorum eo devenit hactenus, vt camphoram, caſtoreum, crocum, moſchum, ambram, aromatica omnia, omnia tandem ſuaveolentia et graveolentia nimia copia particularum volatilium inſtrui, queſtus ſit, atque his corporibus naturalibus arte demendam eſſe certam quantita-

d) *Mat. Med. Part. I. p.* 612

e) *p.* 172.

f) *l. c. Sect. III.* §. 4. *circa finem.*

tem earundem, aſſeveraverit? vt morbis deinde felicius abigendis inſervirent. Non amat facile natura ſuperfluum, artis eſt, illa quae liberali manu elargitur in mortalium commoda, vt haec promoveant, ſapienter ſeligere, ac tempore menſuraque iuſtis adhibere.

§. XIII.

Obiectio quaedam diluitur.

Verum obiiciunt forte Fautores extracti Opii aquoſi, hoc primo eſſe a quisquiliis terreis nil agentibus defaecatum deinde mere gummoſum tenuiſſimisque reſinoſis ramentis ſaltem refertum, igitur promptius ſolvi a menſtruo ventriculi, quam Opium crudum, reſina craſſiore et inerte terra onuſtum. Cumque a prompta ſolutione remedii noſtris humoribus obedientis, ſperandus ſit promptior effectus, vel eapropter extractum Opii aquoſum crudo eſſe praeferendum, vrgent. Quod terrearum molecularum inertium ſeparationem attinet, illae praeſentes in Opio crudo nil obſtabunt operationi, atque in granulo vix merebuntur aeſtimari, neque aeque incertam reddent actionem, quam abactio particularum volatilium in extracto aquoſo, quae maior minorve haud accurate ſe determinari patitur, ob incertitudinem moti praeparationis. Quod promptam ſolutionem in ventriculo ſpectat, Fateor niſi mihi incertitudo portionis reſiduae, de elemento volatili, in extracto aquoſo, poſt operoſum id in praeparatione abigendi laborem adhibitum, adeoque virium reſiduarum incertitudo diſpliceret, me lubenter tale extractum paſſurum, quod cum ipſa ſolutione aquoſa, ſed vnice vt Opium a ſordibus depuratum, neutiquam vt correctum laudat, et admittit *Geoffroy*; g) Tanto vero magis extractum aquoſum facile tolerari poſſet, cum Opium non adeo caro veneat pretio, et dimidiam forte eius quantitatem perdere facile queant, qui crudum adhibere recuſant, et abſolute extractum aquoſum deſiderant, dum interim alii Opii crudi vncia id praeſtare poſſunt in Praxi ad quod illi forte

g) *Mat. Med. Tom. II. p. 705. 709.*

forte vnciis duabus extracti aquoſi opus, habent. Verum enim vero, nondum probatum eſt difficilius in ventriculo ſolvi, et agere Opium in corpus noſtrum, quam extractum aquoſum, licet de extracto ſpirituoſo certum ſit, quod non inveniat aptum ſibi ſolvendo menſtruum in noſtris liquidis, cuius tamen indiſſolubilitas non Opio ipſi quod habet extractum, ſed menſtruo adhibito et Opio eapropter mutato potiſſimum debetur. Sane paucum id ruditer reſinoſum quod de Opio crudo aqua non ſolvit, et quod forte indiſſolutum relinquit menſtruum ventriculi, ſi granum dimidium vel integrum aſſumtum fuerit vix vllam conſiderationem meretur; Omne reliquum autem accedente adhuc calore naturali, ſine dubio ſolvitur facillime. Ego quidem a multis annis experientia didici, promptos Opii crudi effectus, ſatisque attentus ad eos, eorumque medendi methodos, qui crudo nunquam, aut minus, ſed frequenter extracto aquoſo vti ſoliti ſunt, nunquam aliquam diſcrepantiam inter effectus vtriusque potui animadvertere, ſolutionemque facilem crudi Opii, in ventriculo quam rerum vſu fieri obſervavi, facili labore mihi explicui. Notanter monet Cl. *Alſton*, h) aloen nativam aeque reſinoſam eſſe ac Opium, illiusque reſinam ordinarie inculpatam fuiſſe, quod teneſmum haemorrhoidalem proritet ſua acrimonia, demonſtratam autem fuiſſe eius naturae amicae innocentiam, quae adeo ipſius Gummi acrimoniam corrigat. Infert inde nil a reſina Opii metuendum eſſe, maximamque eius partem commode ſolvi, parcumque id quod tenax durum et indiſſolubile manet, reſpectu doſeos pauxillae quae exhibetur vix attendi debere. Equidem ſi in pilula exhibeatur crudum Opium, hac forma aliquando vomitu reddi expertus ſum, hincque eſt quod Cl. *Geoffroy* i) pilularis forma in exhibitione Opii diſpliceat. Sed nil refert, peragit enim pilula haec et peregit poſtquam excernitur, etiam non ſoluta id quod peragere debuit, vt in ſuperioribus ex *Swietenio* probavi cum actionem Opii in

h) *l. c. ſect. III.* §. 3.

i) *Mat. Med. Tom. II. p.* 709.

nervoſum ventriculum adſtruerem, quam a contactu Opii particularum cum ſanguine ſaltem Operationem illius expectans laudatus *Geoffroy* praetervidit. Non vero infrequens eſt alias etiam pilulas ex gummi-reſinis compoſitas, non ſolutas excerni, ſuperiori vel inferiore via. Interim aloen, myrrham, gummi ammoniacum, et alia talia gummoſa et ſimul reſinoſa corpora, nihilominus toto die praeſcribimus in pilulis, aliquibus forte aegris, etiam ex parte inſolubilia. Cum vero creberrime haec ſoluta fuiſſe per effectus doceamur, cur iis haud minus, haudque difficilius ſolubile Opium in ſubſtantia etiam praeſcribere dubitaremus? Id vero in pollinem ſubtiliſſimum tritum, vt fieri ſolet, cum abſorbente remixtum, ac ſic ſatis continuatum, tanto magis extricabitur haud difficulter ex hoc comitatu, licet in ſe inſolubili, cuius molem non timere conſuevimus, et ſolvetur facile, maxime ſi bilis acceſſerit, quae multo tenaciora reſinoſa feliciter attenuat et diſſolvit. Verum quicunque miſſo abſorbente Opii pauxillum triti cum aliquo elaeoſacharo, quo et amarities eius nauſeabunda egregie occultatur, exhibuerit aegro, is non habebit vt de ſolutione eius certiſſima futura dubitet. Namque meras reſinas, ad quas gummeo-reſinoſum Opium haud referendum eſt, ſi cum ſacharo terantur, eum in ſtatum redigi evictum eſt, vt menſtruo ventriculi diſſolvantur ſine mora, reſinae Ialappae ſolius exemplo. quae cum ſacharo trita ſi exhibeatur, blanda operatione ſui diſſolutionem factam eſſe monſtrat, cum ſola ordinarie tormina cieat, plicisque ventriculi et inteſtinorum ſeſe inſolubilem adhaerere clariſſime teſtetur. Neque dubito ipſum adeo extractum reſinoſum Opii ſi eo in artis exercitiis opus foret, bona parte ſachari tritum facilius ſolutum iri, atque ita manſueſcens multo mitius acturum fore in corpus humanum. Patet igitur nunc ex his omnibus vno obtutu conſideratis, Praxin commode carere poſſe extracto aquoſo Opii, crudumque eius vſubus plenarie ſufficere.

§. XIIII.

§. XIIII.

Correctio per fermentationem.

Sed ordo dicendorum iam dictat, vt Correctiones Opii per fermentationem examini ſubiiciam, maxime cum pro extracti aquoſi feliciore praeparatione, eam praemittendam eſſe, adeo viſum ſit Celebri Chymico *Neumanno* vt in antecedentibus vidimus. Poſt *Helmontium* et *Boyleum* magnos Fermentationis fautores, probat illam quoque cum *Ettmullero* et Moyſe *Charas*, *Valentini* k) ad vtrumque provocans, neque eam omnino reiiciendam vult *Hoffmannus* l) ſed collaudat potius; interim tamen hunc corrigendi modum longe poſtponit ſimplici ſolutioni cum aqua. Inter recentiſſimos Celeb. *Cartheuſer* m) ſi maiorem adhuc temperiem Opio velimus conſiliare, quam quae infuſione aquoſa et coctione obtinetur, fermentationem corrigentium numero addendam eſſe arbitratur. Inter illas autem praeparationes per fermentationem ab autoribus variis magni habitas, nulla maiorem aſſenſum obtinuit, illa ſecreta, purum ab impuro ſeiungente, quam Ioel *Langelottus* primo ad *Bartholinum* n) deinde accuratius ad *Academiam Naturae Curioſorum* o) perſcripſit. Multas gratias egit *Langelotto Bartholinus*, inter querelas, quod pyxidula praeparatum arcanum habens, ab inventore benevole miſſa ad manus eius non pervenerit. Atque certe huius Viri fermentum anodynum ſeu *Laudanum Opiatum cydoniatum*, quod ſucco cydoniorum cum ſale tartari Opio addito, adiectaque ſachari portione, fermentatione praeparatur, diu in vſu fuit magni nominis practicis, et ad hanc diem in officinis aſſervatur, quamvis et non defuerint, qui nil correctionis omni hoc artificio in Opium redundare aſſeruerunt, quos inter *Bergerum* p) nominaſſe ſufficiat. Mirari vero correctionem fermentatione obtinendam collaudatam legentes, et audientes, debebunt, prima fronte, quando non minus eadem illa fermentatione intendi vires Opii paſſim legent; atque de contrario hoc effectu, certiſſimis et fallere neſciis experimentis convincentur. Sane *Hoffmannus* q)

k) *Muſ. Muſ. p.* 272. §. 6.

l) *diſſ. de Corr.* §. 10.

m) *Mat. Med. Part. I. p.* 612.

n) *vide Cent. III. epiſt.* 45.

o) *Miſc. Nat. Cur. Dec I. Ao III. obſ.* 56. *vel* 59.

p) §. 14.

q) *diſſ. de Correct.* §. X.

pro fermentatione loquens vltro fatetur ſoluta gummea parte Opii per ſuccum cydoniorum, ſulphuream ſubtiliſari, igitur potius exaltari, correctionemque eapropter forte negaturis, et depravationem factam vrſuris inceſſurus obviam, concedit quidem alterationem mixti, ſed mucilaginoſum illud et blande acidum principium, quod in cydoniis eſt, ſeparatum et exaltatum ſulphur denuo in ſe recondere dicit, vt noxa et damnum inde expectari non debeat. Verum quomodocunque hic fermentationi patrocinetur *Hoffmannus*, diffiteri tamen nequit *Neumann* r) ſalinas partes Opii, quae gummoſas et reſinoſas inter ſe nectunt, cauſam eſſe, quod reſinoſae accedente leniſſimo calore in actum fermentationis abripiantur, magisque attenuentur, et tum fortius et citius in corpus humanum operentur. Huiusque adeo aſſerti veritas luculenter apparet ex illo experimento, quod habet Illuſtr. de *Büchner*, s) quo conſtitit, Opium coctione vi ſua animalibus fatali iam privatum, quod per aliquod hebdomadas in aqua ſolutum ſteterat, fermentationem tum ſponte ſubiiſſe, ſeperatoque in B. M. menſtruo, drachmam vnam cani datam id effeciſſe, vt vacillaret, et ſomnolentus redderetur. Quodſi igitur ablatis per coctionem Opii partibus vaporoſis quae omnes effectus ab Opio pendentes in animalibus producunt, aliae huius generis fermentatione denuo ex mixto hoc provocentur, et excludantur, quae profundius in eo delituerant, atque hac fermentatione iis orbum pene, et eapropter emortuum quaſi Opium reviviſcere incipiat, quid accidet per fermentationem Opio, principio ſuo volatili omni adhuc inſtructo, et animato? nonne ſpiritus eius rector abiectis competibus quibus coercebatur, eminentiores longe vires et magis evectas acquiret? Nemo certe cum ratione facile obloqui audebit Cl. *Buchnero*, quando ex hoc experimento concludit, partium Opii vaporoſarum quantitatem energiamque, adeoque et omnem illius virtutem agentem in Corpus, per fermentationem augeri, atque

r) p. 116.

s) *diſſ. de Opio* §. 38. 39. 40.

atque eapropter in *Theriaca Andromachi* vtpote quae non niſi poſt conceptam fermentationem diſpenſari ſoleat, Opium multo maiori efficacia pollere. Atque haec omnia ita evenientia inſtuborem haud rapient indolis principii agentis in Opio, ingeniique ipſius fermentationis, ſufficienter gnarum. Namque per eam oborto motu inteſtino particularum, mixtum conſtituentium, hae omnes a ſe invicem divelluntur, tenerioresque et leviores viſcidis, craſſis, gravibus, antea irretitae, vinculis ſuis exſolvuntur, ſuique iuris redduntur, atque libertate maiore obtenta, praeſtare illos effectus incipiunt, quibus praeſtandis tum habiles inveniuntur. Quando autem ita fermentatio Opii activitatem exaltat, et adauget, merito mirari convenit, qui factum ſit, vt vnquam inter ea, quae eius deleteriam indolem corrigunt, fuerit relata. Sed ſcire refert, idem principium vaporoſum quod actu fermentationis magis exſolvitur, et ſubtiliſatur, vt tanto maiori energia queat agere ſubtiliſatum, continuatione fermentationis ſenſim in auras abigi, et ita pedetentim corpus Opii eo exui, quod tunc omnino ſegnius redditur. Atque eapropter ſaltem laudatus ante Cl. *Cartheuſer* t) fermentationem probat, dum leniori atque protracto eius motu notabilis principii impetuoſioris portio de Opio extruditur. Quando itaque de correctione Opii per fermentationem ſermo eſt, ſatis diuturna intelligi debet, depauperationi vaporoſi principii ſufficiens, quam accuratius deſcriptam legere licet apud *Neumannum*, u) qui adeo eam aliquando per tres quadrantes anni a ſe extenſam memorat. Tota vero Aetiologia Proceſſus quam ſubiungit, eo reddit vt longa fermentatione id quod virulentum in Opio eſt, ſenſim expellatur, quare et vas non obturari vult, x) ideoque etiam omnia eius beneficio praeparata reiicit, vbi ſaltem inchoavit, et non ſatis diu duravit penitusque abſoluta eſt fermentatio. y) Nunc ſi omnia haec molimina corrigendi Opium per fermentationem aeſtimemus ſine vllo praeiudicio, per antecedentia iam convicti,

t) *Mat. Med. Part. I. p.* 577.

u) *Lect. de Opio p.* 127.

x) *p.* 130. 131

y) *p.* 142.

victi,

victi, virulentum et medicamentoſum elementum Opii eſſe vnum idemque, nullumque in eo dari Gas aliquod ſylveſtre, quod expellere expediat; ſtatuemus omnino, per fermentationem multo labore boni impetrari nihil aliud, quam vt extractum Opii iuſta fermentatione praevia paratum minorem quantitatem habeat elementi vaporoſi, quam Opium crudum habebat. Adeoque ſciemus, ad effectus illos impetrandos, quos ab hoc remedio licet expectare; maiori doſi fermentati Opii opus eſſe, quam crudi, quo ſi dextre vti noverit Medicus, carebit ſecurus fermentato. Si vero Medicus fuerit ſatis imprudens, Opiique vſum plane non intelligens, fermentationeque longiſſime extenſa non omnis virtus Opii deſtructa ſit, ex ſententia rectiſſima *Hambergeri* z), eadem aliud commodum non obtinebitur, quam vt maiori extracti Opii ita parati doſi noxam illam inferre nequeat, quam intuliſſet larga et repetita doſi Opii crudi. At eſſe ergo nullo aegrorum damno, ſed potius cum bonis eorum rebus, commode ab Opio poteſt omnis fermentatio.

z) §. 57.

§. XV.

Correctio per acida.

Illa igitur correctione merito exploſa, videamus quid de alia, quam adiectione et praeparatione cum acidis moliti ſunt Medici, ſtatuendum ſit; quam tanti fecit *Hecquetus* a) vt ſi vere corrigens Opii detur, id in acidorum familia quaerendum eſſe ſtatuat. Dum vero ex hac antitoxicum Opio ſeligere ſtuduerunt boni Viri, non vnius generis ſed variis acidiuſculis et acidis ſubſidiis vſi ſunt, vegetabilibus, et mineralibus; naturalibus et artificialibus. Placuit praecipue aliquibus poſt phlegma vitrioli, acetum vel ſimplex, vel deſtilatum, rurſumque aliis ſuccus citri, limoniorum, granatorum, cydoniorum. Nonnulli lenibus non contenti, ſed fortiora deſiderantes, ſpiritum ſalis, vitrioli ſimplicem et philoſophicum, Spiritusque acidos dulcificatos, vt ſpiritum nitri dulcem, ad hunc ſcopum adhibuerunt. Sane non levem

a) p. 153.

vem habeo operam, quam aliquis dicaret omnibus enchireſibus huc facientibus, omnibusque earum auctoribus ſeorſim enarrandis, cui autem vſui foret impenſus huic recenſioni nimius labor? Fuere qui Opium pulveriſatum irrorarunt ſucco citri, ſpiritu vitrioli, aceto, etc. ſiccatumque, hoc, vel illo denuo impraegnarunt, donec laſcivienti ſulphuri catenas iniectas ducerent quibus coercitum nimis debachari in ſpiritus cerebri et nervorum, motuum vitalium et animalium praeſides, prohiberetur. Alii ſuperfuſum acetum ab Opio deſtillarunt, hocque ſiccum in fundo remanens tum ſatis correctum habuerunt. Nonnulli Opium cum affuſo aceto digeſtioni commiſerunt, deinde liquorem filtrarunt et inſpiſſarunt in extractum, cum *Quercetano*, *Horſtio*, *Sylvio*, *Langio*, *Angelo Sala*, qui acetum roſaceum ſimplici praetulit. *Bontius* b) laudatiſſimum ſuum ſic dictum *extractum croci*, cuius Opium baſis eſt, affuſo aceto fortiſſimo, digeſtione in vitro, radiorum ſolarium beneficio praeparavit. Haud pauci praeeunte *Wedelio*, c) cum phlegmate aceti deſtillati a praeparatione arcani tartari reſultantis, ſolvunt Opium, ſolutionemque evaporatione in extractum inſpiſſant. Ridet hoc phlegma *Wedelii* vt non ens *Neumannus*, d) ſed omni modo defendere ſocerum ſuum molitur Cl. *Hambergerus*. e) Quidam cum *Pharmacopoeia Londinenſi* cum aceto deſtillato et ſpiritu vini ſimul correctionem inſtituunt. *Hecquetus* f) Opio admiſtum limoniorum et Granatorum Syrupum magni facit, Theriacamque ſolutam in aceto, ſucco citri, vel aurantiorum ſecuriſſimum et efficaciſſimum ſudoriferum ſopiens evadere profitetur. Rationes correctionum harum ſi ſciſcitemur, non omnino vanas, ſed ſat plauſibiles allegari animadvertemus, ſi ſaltem correctione quadam indigere Opium antea largiri voluerimus Vrgent haud pauci acida in genere omnibus venenis adverſari, ideoque et noxas ab Opio metuendas infringere. Deinde ſunt qui Opium manifeſte acre eſſe et calidum monent, igitur acetum refrigerante ſua virtute efficere affirmant, vt ab vrente acrimonia pauliſper liberetur, quemadmodum ſemen ſinapi, raphanum et naſtur-

b) *Med. Indorum Meth. med. c. 4.*

c) *Opioi. p. 65.*

d) *p. 137.*

e) *diſſ. de Opio p. 28.*

f) *p. 154.*

tium, ars culinaria addito aceto miteſcere facit. Cum his autem videant quomodo convenire queant, qui acre Opium acribus et acerrimis corrigentibus melius et ad vſum aptius reddi putant, de quorum, ſive veteres fuerint ſive recentiores, ſententiis paradoxis antea §. 5. egi. Impoſſibile quippe eſt, vt vtrumque verum ſit; aut enim acria aromatica corrigunt Opium, aut acida, ſi haec vera fuerint corrigentia, illa non poterunt non eſſe abſona, et prorſus incovenientia. Creditur etiam aliquibus, eapropter, quia ſpiritus vini Opium exaltet, in ſua actione, acida illud cicurare, quoniam ſal volatile ſpiritus vini acidis ſigatur, et ſaturetur. Porro attendentes paulo curatius ad phoenomenon, quo ſtomacho et digeſtioni inimicum eſſe Opium conſtat, acido quodam addito hoc damnum evitari poſſe rati ſunt, cum acida omnia appetitui excitando paria deprehendantur. His aetiologiis nixi, ſatis rationalem correctionem per acida habuerunt bene multi, aut eapropter ſaltem tolerabilem duxerunt. Opii naturam magis equidem ad ardens quam acetoſum menſtruum vergere dicit *Ludovici*, g) ſi igitur tanti momenti iudicaretur acidulatio, ſpiritum vitrioli ſpiritui vini ante extractionem aptius inſtillari, vel ſpiritum ſalis et philoſophicum aceto deſtillato praeferri putat. Interim tamen ſeſe iungit Correctoribus acidis, laudat enim deinde alio loco ipſe Tincturam Opii, ſua methodo ex aquae apoplecticae et ſpiritus vitrioli philoſophici anaticis portionibus, digerendo praeparatum. h) Atque hanc mentem de acidorum valore recentiſſimo tempore adhuc ſupereſſe viris in repurganda materie medicinali occupatiſſimis aliis, veriſque Pharmacopoeae Reformatoribus, neminem harum rerum gnarum poteſt fugere. Non ſaltem Cl. Simon *Pauli* inter omnes illam praeparationem Opii optimam dicit, quae ſecundum *Quercetani* i) morem vel aceto vel ſucco limonum abſolvitur. Non tantum Gabriel *Clauderus* k) recitatis et repudiatis omnibus mediis correctionis, ſulphureis, ſalinis, alcalicis, camphora, caſtoreo, cydoniis, aromatibus, ſpiritu vini, aqua, toſtione, evaporatione, ob certam rationem (licet eam non addat)

g) *in Pharmacia moderno ſeculo applicanda p.* 168. 169.

h) *p.* 371.

i) *Quadrip. Botan. p.* 413.

k) *Eph. N. C. Dec. II. obſ.* 178.

dat) tentavit correctionem per acida, opioque pulveriſato ſuperfudit ſpiritum vitrioli, ad pultis conſiſtentiam, quam calori leniori expoſuit, vt in pulverem exſiccaretur; ſed alios viros ſummos noſtro hoc aevo eandem mentem habuiſſe et habere, certo conſtat. Exhibet *Boerhaavius* in ſua *Materia Medica*, l) vt guttulas Opii cum ſpiritu vini, ita et cum ſpiritu aceti praeparatas, atque adeo ſibi has non improbari tacite profitetur; dari etiam voluit militibus dyſenteria laborantibus Opium ſolutum in vncia dimidia aceti. m) Non minus optime de Materia Medica meritus Cl. *Cartheuſer* huius generis praeparationi ipſius Opii multum detulit. Videlicet occaſione Eſſentiae anodynae *Ludovici*, cuius modo mentionem inieci, ſpiritum nitri dulcem commode poſſe impendi, ſolutioni extracti aquoſi Opii, ad confectionem Tincturae, aſſerit. n) Atque talem Tincturam etiam Illuſtri *Buchnero* valde probari video. o) Addit *Cartheuſerus*, acidula optimum ſuppetitare corrigens, et certius et ſecurius citra nimiam caſtrationem Opii, vim narcoticam et expanſivam minuere; ſique placeat ſpiritus vini, cum etiam ſpiritu ſalis dulci aut aceto deſtillato aliquantum remiſceri poſſe. Atque adhuc alibi p) optimam correctionem habet eam, quae cum aqua perficitur, nunc pura, nunc aceto deſtillato, aut ſucco citri, limoniorum, cydoniorum, cremore tartari, alioque acidulo corpore modice remixta. Vix vero capio, quomodo eiusmodi correctionem ratam habere potuerit *Young* q) quando conſidero, illum diſertis verbis notaſſe inter omnes praeparatione opiatas vix vllam attentione dignam intercedere differentiam, ſi quae tamen ſit, crudum Opium praeferendum eſſe illius ſic dicto extracto, nempe quod varias experiri potuerit mutationes, virtutes eius infringentes, omniumque compoſitorum opiatorum Theriacae, diaſcordii etc. vires dependere ab Opio crudo. r) Et tamen quia ſic ſeculum eſt, et fuit, longiſſimo inde tempore, ipſe Correctorum artibus quaſi faſcino deluſus, ſeſe torrenti opinionum abripiendum tradit vltro. Namque ſumit Opium crudum, purum atque tritum, et indi-

l) *ſect.* 202.

m) *in Conſult. Med. Vol. II. caſ. V.*

n) *in Pharmacologia p* 333.

o) *in Mat. Med*

p) *Mat Med Part I. p.* 612

q) *p.* 172

r) *p.* 174.

tum ferreo cochleari ſpatula agitat, addita ſubinde parte aliqua generoſi vini, ne comburatur, donec dimidia pars ſit evaporata. Tum illud ab igne remotum in mortario contundit, ſuper porphyriten cum acerrimo vini aceto in vnguenti conſiſtentiam redigit, dein ſiccat, in pulverem redigit, ſicque vſui ſervat.

Me iam quod attinet, crudi et naturalis et ſinceri Opii et naturae ſincerus amicus, nullus equidem repugno, acida, quibus adeo ſolani furioſi et hyoſcyami venenoſam indolem mitigari ſcio, omnia eſſe vera antidota Opii. Sumſerat homo vitae pertaeſus Opium maiori Copia, ſed poenitentia ductus, mature ſumto aceto, vim deleteriam Opii emendavit, et nil mali inde ſenſit. (Boerh. de morbis nervorum p. 449.) Vim ergo acidorum vi Opii contrariam. Experientia doctus, ambabus manibus concedo, non inquirens curioſius cum *Hecqueto*, quomodo particulae acidae agentes opiatas reagentes dominio ſuo ſubiiciant. Atomos acidos graves ſed acutos ſimul, ſe interponere atomis opiatis levibus, volatilibus et ſpirituoſis, atque horum vividam nimis actionem moderari, facereque vt aliquantiſper lenteſcat, pro vivido ſuo ingenio aſſerit.[s]) Talia ego non curans, lubens interim rem ipſam agnoſco; at enim vero ſi dicendum quod res eſt, exinde nondum ſequitur alicuius valoris eſſe Correctionem per acida, quomodocunque etiam laudetur. Scilicet dum correctio ſaltem intendere poteſt imminutionem virium agentium Opii ad certum gradum, non abolitionem totalem, (nam tunc illa omnino eſſet ridicula et abſona,) nil praeſtat aliud, quam vt Opium ſic correctum ſub aequali volumine mitius agat, quam non correctum. In omnibus igitur caſibus vbi maior doſis correcti per acida, atque aliquibus viribus ſic exuta, tuta eſt in Praxi, et minor non correcti, nativisque ſuis viribus omnibus pollens, tuta erit; tumque perinde erit, ſive eligatur maior doſis correcti, ſive

s) p. 155.

ſive minor non correcti, quando vtraque aequa activitate inſtructa conhipitur. Neque ſi Opium in genere non conveniat aegro, ſecurior erit vſus correcti largius dati quam non correcti partius exhibiti. Refert de ſuo praeparato *Young* quod apud aegros ſuos a tribus quatuorque granis, ad ſcrupulum vsque vnum doſin extenderit. An vero ſi Optimus Vir Opium ſuum non torrefeciſſet, vimque remedii quae ſupererat aceto affuſo caſtraſſet, licitum fuiſſet larga adeo praebia porrigere? Nonne granum vnum de crudo praeſtaſſet id omne, quod praeſtiterant multa grana de praeparato? Sane niſi vehementer erro, prorſus ita ſeſe res habet cum correctione Opii per acida, ac ſe habet correctio quorundam purgantium, quae tutiora tunc reddita viſa ſunt nonnullis Medicis, ſi acidis imbuerentur, aut ſi ipſis vſus tempore acida adderentur. Dubitarunt quidam boni Viri Scammonium exhibere nativum, ſine praegreſſa remedii praeparatione, atque dum animadverterunt id quandoque ſat ruditer inteſtina ſtimulare, pluresque quam expediebat deiectiones ciere, illud in pulverem redactum fumo accenſi ſulphuris expoſuerunt, vt eius aciditate miteſceret, novumque hoc praeparatum, Diagrydium vel Scammonium correctum ſalutarunt. Pararunt etiam ex eadem intentione cum aceto deſtillato extractum, vt Scammonii nativi vires cicurarent. Non negari poteſt ſegnius eſſe diagrydium quam Scammonium eadem doſi exhibitum deprehenditur, atque de extracto acidulato affirmat *Boulduc* t) quod ad ſcrupulum vnum, imo vero duos, ſecure queat exhiberi. At vero omni tempore, quando permiſſa ſunt grana decem diagrydii, aut ſcrupulus vnus extracti, permiſſa etiam erunt quinque vel ſex grana ſcammonii, eritque effectus praeparatorum et ſcammonii crudi prorſus idem, ſive laudabile quippiam praeſtent, ſive aliter ſe gerant, debebiturque ille non ſoli remedio, ſed Medico potius id porrigenti. Atque vt ad Opium redeam, correctionis eius per acida inutilitatem introſpexerunt ſatis ſuperque Medicorum

t) *Memor. de l Academie Royale des Sciences An.* 1700.

u) *Opiol. p.* 59. haud pauci. Statuit cum *Glaſero Wedelius* u) Opium omnino obtundi acidis, et figi eius ſal volatile, vt tutius deinde aſſumatur, non vero virtutibus eius illaeſis, ſed volatili ſuo principio, a quo omnis virtus eſt, caſtrato, aut multum deſtructo. Idem certe ante *VVedelium* aſſeruerat *Sennerus*, x) qui acetum et acida partes oleaginoſas et ſulphureas Opii non ita extrahere, quam potius figere, et minus efficaces reddere dicit, vnde poſtea vis medicamenti debilitetur. Non minus Opium a menſtruis acidis virtutibus ſuis defraudari agnovit *Valentini*. y) Reiicit quoque hanc praeparationem Moyſes *Charas*, z) quia deſtruit ſal volatile; ac illos qui ad Opium extrahendum adhibent acetum, ſuccum citri, et alios liquores acidos, partem meliorem alterando et figendo virtutem remedii minuere rectiſſime notavit *Bergerus*. a) Quamvis autem alias pro Correctione Opii multum militet *Hoffmannus*, b) pro ea tamen obtinenda acida nullum invenire locum affirmat, quoniam iis tenue et volatile ſulphur figitur, coagulatur, et obtunditur. Omnia enim acida concentrata cum oleis deſtillatis mixta eorum agilitatem retundere, et connubio ſuo corpus fixioris naturae inde formare dicit, quare omnes extractiones Opii cum Spiritu Vitrioli, ſalis, idemque cum languidioribus acidis ſucco citri, et aceto, improbat. Reiicit tandem etiam Opii praeparationes cum acidis, quae ipſius vim retundunt, et deſtruunt, *Geoffroy*. c) Non opus credo vt plures huius veritatis teſtes conquiram, addo ſaltem adhuc dictis effatum ſapiens *Hambergeri*, d) *Solutionem Opii* inquientis, *vel quocunque alio liquore, vel ſpiritu acido inutilem eſſe, vel ex eo patet, quia acida maiorem noxium Opii effectum tollere poſſunt; multo itaque magis ſic ſalutarem anodynum impedient.* Doleo in *Boerhaavii* operibus mihi non occurrere locum, ex quo acidorum ad corrigendum Opium ſupervacaneam applicationem, rotunde aſſertam ab Illuſtri Viro commonſtrarem. Favere potius ei videtur, per ea, quae hoc §o iam adduxi.

x) *lib. VI. p.* 298.

y) *p.* 272. §. 6.

z) *Pharm. Reg. Tom. II. lib. I. c.* 51.

a) §. 14.

b) *diſſ. de Correctione* §. 10.

c) *Mat. Med. Tom. II. p.* 709

d) §. 57.

Interim

Interim tamen nullibi aſſeruit Opium corrigendum eſſe, ſolutionem in aqua et vino in *Chemia* e) probat, aceti nullam mentionem faciens. In *Materia Medica* videtur ſaltem indulſiſſe communi methodo, et varias eapropter formulas ſuppeditaſſe, inter quas tamen primo loco Opium crudum purum in pilulis, et pulveribus exhibet. f) Neque cavet praeparationis Opii cum acidis vanitas, quo minus in certis morbis id vna cum acidis propinetur, modo attendatur, vim eius hac ſocietate ſemper imminui. Oppoſuit *Boerhaavius* apud aegros dyſentericos motubus exacerbatis Opium, oppoſuit ſimul ſtimulo putrido dyſenterico acetum, non vt correctionem praeſtaret, ſed ſaltem vt duobus finibus vno eodemque tempore, ſimul ſatisfaceret.

e) Tom. II. p. 206.

f) ad ſect. 202.

§. XVI.

Correctio per alcalina.

Neſcio vero qui factum ſit, vt dum certa adeo et evidenter vera eſt acidorum omnium in caſtrando Opio efficacia, non defuerint tamen alii, qui principium eius narcoticum mitius reddere, e diametro acidis contrariorum ſalium alcalicorum additione, vnquam moliti fuerint. Ad certos morbos Opium cum acido aqueo, et ad alios cum alcali ſpirituoſo praeparatum bonum exiſtimat *Sinapius*; non vero ſatis intelligo rationes, omnibus morbis ſine exceptione crudum Opium ſufficere convictus. Non operae pretium eſt, inquirere prolixo labore, in precarios illos fines, quos alcalinam correctionem adminiſtrantes, ſibi praefigebant. Inter eos aliqua ſpecie imponens, et non vltimus quorundam fuit, gratis ſuppoſitam acidam indolem nocivi Opii elementi, alcalicorum fixorum et volatilium admiſtione infringendi. Exiſtimavit *Helmontius* imaginaria deceptus Aetiologia ſopores nimios, per lixivia optime debellari, atque *Glauberus* per ſuum alcaheſt Opium miteſcere edixit, *Boylius* cum ſale tartari et aliis alcalicis id corrigi poſſe reputavit. *VVilliſius*, *Tachenius*, *Ettmullerus*, Tinctura ſalis tartari, Tinctura

antimonii acri, vel tartariſata ea de cauſa vſi ſunt; ſpiritu ſalis ammoniaci aliis placente. *Ettmullerus* g) etiam ſale alcalino fixo e. g. tartari, cum terebinthina per digeſtionem Opium corrigi, et ſic fieri tutum et mirabile in magnis morbis remedium profeſſus eſt. Quidam admiſtione ſaponis ex oleo terebinthinae et ſale tartari parati Opium cicurari ſomniarunt *Geoffroy* h) autem alcalinam praeparationem parum vtilem dicit cum ſalia volatilia acrimonia ſua membranas nervoſas ſollicitando ſoporem ab Opio excitatum diſcutiant, et fixa ſomniferam virtutem minuant. Verum de volatilibus certum eſt, quod agant vt Opium, et ſopori faveant, fixa quod ſpectat, ſi conſideremus paulo attentius, alcali principia ſulphurea et reſinoſa corporum, a contextu aliorum et miſcela extricare et ſolvere, adeo quidem vt ſuccinum, myrrha, balſamaque varia naturalia eius additione fortiora et penetrantiora praeparata elargiantur, primo quidem videri poſſet alcali ad Opium accedens hoc potentius potius in agendo redditurum. Sed bene obſervavit *Hoffmannus* i) ſolutioni aquoſae Opii inſtillatum oleum tartari per deliquium ebullitionem quandam concitare, aſſurgenteſque inde vapores maleolentes, alioſque longe obſervari, quam qui Opio ſunt proprii, quare recte ſtatuit, alcali equidem tenuiſſimas ſulphureas et oleoſas Opii moleculas ſeparare et liberare e ſuis vinculis, ſed craſin totius mixti ſimul plane deſtruere ebullitione et odoris mutatione idoneis huius rei teſtibus; igitur a praeparatione Opii cum alcali potius abſtinendum vult, quam et acidis magis favens reiicit Cl. *Cartheuſer.* k) Quodſi vero etiam ipſam craſin totius Opii parum immutaret Opium, ſi tamen verum eſt, acidis id caſtrari, vt negari nequit, nemo vnquam evincere poterit, idem ipſum, atque adeo aliquam correctionem aeque ſuccedere beneficio alicuius additamenti, quod acido omni ſua dote in totum adverſatur.

g) *in Chirurg. infuſ. c.* 3.

h) *Mat. Med. Tom. II. p.* 705

i) *diſſ. de Correct.* §. X.

k) *Mat. Med. Part. I. p.* 612

§. XVII.

§. XVII.

Concluſio, omnes Correctiones Opii inutiles eſſe declarans.

Atque ſic tandem examen methodorum primariarum, quibus Opium corrigere, vſuque ſecurius reddere annisi ſunt Medici Clariſſimi, quos omnes nemo facile enumeraverit, lubens finio. Fallor vero turpiter, aut liquido demonſtravi hactenus, ad vnam omnes, non obſtantibus ſummis aliquando encomiis prorſus nullius frugi vel vſus eſſe, atque ex nulla earum emolumentum verum redundare in artem, ſed ſolum Opium naturale, ad ſummum ſuum apicem evectae prorſus ſufficere. Obſtupeſco igitur attente conſiderans, tot viros praeclaros, tot diverſis laboribus, per tot ſecula ſuſceptis, re ipſa egiſſe prorſus nihil, ſed potius confudiſſe Medicinam; namque nulla ex omnibus correctio, licet ſublimiori artificio ſuſcipi viſa, facit Opium eſſe melius, quam id elargita fuerat benefica Providentia. Multa correctionum molimina id vel depravant, vel vi ſua naturali exuunt. In nulla etiam compoſitione pharmaceutica, quam ingreditur Opium, id maiora praeſtat commoda, quam praeſtitiſſet eius ſolius adhibitio. Quam nocent integritati et veritati Scientiae Medicae, radicata altius, antiquitatis auctoritate ſuperbientia, per manus tradita, a maioribus fideliter ad poſteros propagata praeiudicia! Quam difficile habetur, multitudine errantium non abripi in devia et ſyrtes; quam arduum, ſed quam praeclarum navigare contra opinionum torrentes! Phoenomena ſenſubus percipienda, ſibi ſemper et vbique ſimilia, atque elicita ex illis Phyſices et Chemiae ope, ſeveriora ratiocinia cavent vnice, ne fallamur vnquam. Vtrorumque beneficio convincimur, ſagacem et peritum Medicum bona conſcientia negligere poſſe Opium quomodocunque correctum. Reſtituatur ergo intemerato ſuo ſplendori, vana et otioſa arte per adeo longam temporum ſeriem deturpata Natura! Abeant igitur ex reformatae medicinae finibus procul, et perpetua oblivione merſa ia-

ceant abhinc, informia laudana opiata, emorianturque mortuis diu plerorumque architectis; namque in immenſo eorum numero, interque ea quae adhuc oneri ſunt diſpenſatoriis, ne vnum exſtat praeſtantius illo, quo primus concinnavit *Paracelſus*, nominis ſimul faber. In mira eius etymologia explicanda inter alios operam poſuit *Wedelius*. l) Ego quidem non facile interpretarer cum aliquibus vocabulum *laudani* laudandum ex Opio remedium; ſed potius cum *Libavio* m) omne nomen declarandum ducerem barbaricum, et Paracelſicae dementiae apprime conveniens. Valeant vero etiam cum laudanis, Electuaria, Rotulae, Trochiſci, Magiſteria, Pulveres, Pilulae, Eſſentiae, Tincturae, aliaque quaecunque pharmaca compoſita quae Opium ingreditur, a quocunque demum auctore proficiſcantur. Sufficit Medico perito, ad curationes elegantiſſimas et feliciſſimas morborum Opiatis levandorum et curabilium, in forma ſolida Opium naturale purum, in forma fluida, ſolutio aquoſa *Iones*, aut quia haec aegre aſſervatur, vinoſa *Sydenhami*. Ad eam ſimplicitatem reduci poteſt, ſi rigore decenti verum a falſo, vtile ab inutili ſeparetur, enormis Opiatorum remediorum apparatus, cuius indicem ſaltem noviſſe ſat oneroſum memoriae medentis ſtudium habuerim, cum fere vires animi vnius hominis excedat. Levanda igitur adeo nimis ſuperflua farragine repurgata et cultior Pharmacia, negligendaque ſola auctoritate Virorum aliter celebrium in artem introducta eorum pharmaca, Opium mox hoc modo, mox aliter praeparatum, miſtumqne habentia, imo et empyrico ſubinde auſu publici iuris facta et famam nacta. Liceat mihi quaſi loco ſigilli, omnibus quae de vanitate correctionum elocutus ſum, adhuc apponere elegantiſſima verba Cl. *Geoffroy*. n) Hic poſtquam indicem ſaltem correctionum diverſarum ſuppeditavit, ita iudicat: *Cum Opium praeſcribatur, niſi ad ſomnum conciliandum, et doloros levandos, fruſtra illam vim*

l) *Opiol* p. 66.

m) *Syntagm. Arcan. Chym. lib. VIII. c.* 44.

n) *Mat. Med. Tom. II. p.* 704

vim anodynam et ſoporiferam minuere et corrigere tentant. Sibimetipſis contrarii ſomniferum expetunt, et ſomniferum timent; ſomniferum ingerunt, et ſomnifera virtute, ſi poſſent, ſpoliarent. Nil in Opio veneni reconditur, niſi haec virtus. Non igitur correctione opus. Sola purgatio a ſordibus, terra, arena, et aliis inquinamentis, cum quibus ad nos ſolet pervenire, requiritur; nil ab eo reformidandum, modo iuſta doſi et rite adhibeatur.

CAPVT VIII.

Doſes Opii.

§. I.

Poſtquam in antecedentibus phoenomena quae poſt aſſumtum Opium eveniunt, magis vel minus emergere pro corporis humani habitu indicavi, poſtquam deinde correctionem Opii omnem, vt ſecurior forte eſſet vſus, atque illa phoenomena quae periculum vitae involvunt, haud poſt ſe traheret, imaginariam eſſe commonſtravi, iam vt de doſi Opii agam ordo tractationis poſtulat. Sane attendentibus ad praebia illa, quibus nos in medendo vti ſolemus, quorumque ſub exiguo adeo volumine eminentes et heroicos effectus, in omnium ſenſus incurrentes, toties miramur, in ſtuporem abripi debemus, vbi in regionibus orientalibus bene multos homines, Opium ad ſcrupulum vnum, et drachmam integram, imo vero et maiore quantitate deglutire ſine ſenſibili noxa, relatum legimus a Scriptoribus fide digniſſimis. Etenim ex illorum monumentis, quae litteris conſignata dederunt,

Largae doſes Populorum Orientalium, per vim conſuetudinis, easque continuandi neceſſitas, ac cauſae cur ſalva vita ferantur.

runt, certiſſime conſtat, Turcas, Perſas, Arabes, Indos, plerosque, populosque adeo innumerabiles Aſiae et Africae, maxime illos, quibus religio Mahumetana vini vſum prohibet, Opio vti ſaepiſſime, non vt remedio, ſed ad delectationem, ad erigendum animum, ad fugandas curas, ad exſtimulandam Venerem. Ita vero hi homines incipiendo a minoribus doſibus huic ferculo adſueſcunt, vt pedetentim ad drachmam vnam et vltra id capiant, impune prorſus, aut ſaltem, cum tamen torpor, temulentia, et capitis gravitas aliaque incommoda inde ſequantur, ſine vitae periculo. Ita de Aegyptiis narrat *Proſper Alpinus*, o) quod Opio vtantur frequentiſſime, eidemque longo tempore ſic adſueſcant, vt trium etiam drachmarum pondus, aliqui tuto per os aſſumere audeant, aut conſiliandam ſibi hilaritatem, audaciam ad bellandum et promptitudinem ad opus venereum. In regno Iapan ſe adeo reperiiſſe recenſet innumeros ſenes Cl. *Cleyerus* p) qui Opium ad drachmam vnam ſine vllo incommodo in quotidiano vſu habebant, quique a grano vno incipiendo ſenſim ad hanc doſin adſcenderant. Miratus has doſes *Bellonius*, q) periculumque cum ſociis facturus, quantum quis Opii devorare poſſet ſine noxa, militi praeteriano Ianiſſaro ſibi illisque familiari, ſingulisque diebus Opio veſci ſolito, cum in praeſentia omnium devoraſſet drachmam dimidiam, poſtridie drachmam integram dari curavit, quam vnico bolo deglutiit; neque quicquam iis incommodi inde ſenſit, praeterquam quod temulentus quodammodo videretur. Non minus teſtis idoneus *Kaempferus* r) notat, populis orientalibus longa conſuetudine ita familiare reddi Opium, vt drachmam vnam, multi ſine noxa deglutiant. Cur autem cum *Bellonio* et *Kaempfero* s) drachmam vnam, cur cum *Alpino* drachmas tres memoro, dignius hercle notatu eſt, quod *Garcias ab Orta* t) quendam Coraſonem Opium ad drachmas decem ſumſiſſe ſcripſerit. Id autem maxime notabile haberi

o) *Med. Aegypt. lib. IX. c. 1.*

p) *E. N. C. Dec. II Ao. X. obſ. 35.*

q) *lib. III. Obſ. c. XV.*

r) *Amoenit. exotic Faſc. III. p. 644.*

s) *vide et Ioh. Fragoſum Hiſt. Med. exot. c. 12.*

t) *lib I. Hiſt. Arom. c. 4.*

haberi debet, omnes eiusmodi in comedendo Opio helluones, eousque huius conſuetudinis tyrannicae mancipia evadere, vt ſine vſu eius quotidiano tandem vivere neſciant, quin miris ſymptomatibus vexentur, et vitae periculo pene exponantur, niſi ardentiſſime et canina quaſi eſurie expoſcentibus ſuum Opium, vel loco eius vini hauſtus, porrigatur. Animadvertit quippe laudatus *Proſper Alpinus*, u) longa conſuetudine a natura ſuperari Opium, et in alimentum aliquo modo verti, hinc etiam fieri putat, eos qui id quotidie devorare conſueverunt, ſi aliqua die intermittant, eadem hora qua aſſumebant, graviſſima mala incurrere, nulloque alio auxilio liberari, niſi rurſus Opium devorando, aut loco eius vinum creticum, cum aromatibus potando. Dum mari indico in Luſitaniam rediret *Chriſtophorus* a *Coſta*, x) eadem navi vehebantur captivi Turci, Perſae, et Arabes, qui clam aliquantulum Opii ſecum detulerant. Eodem abſumto Turcorum vnus adoriebatur Clariſſimum Virum, Medici provincia in navi fungentem, heu tu inquiens, certo ſcias, niſi mihi et meis ſodalibus Opium praebueris, biduum nos non ſupervicturos. Cum reſponderet ſe Opium non habere, petebat ille pro ſingulis diebus, ceu vnicum remedium hauſtum vini licet naturae contrarium, ſed quoniam vnica ſalus inde pendeat, neceſſario ferendum. Dedit ergo a *Coſta* omnibus vinum, et liberati ſunt. Quam dura vero tandem haec neceſſitas reputetur eiusmodi hominibus, ex *Kaempferi* y) relatione colligere licet, qui ſaepe ſibi oblatos eſſe recenſet, quos a canino Opii appetitu percuraret, ſoſtro centum aureorum promiſſo, ſi hoc citra damnum et vitae diſpendium praeſtiterit. Non vacat iam inquirere fuſius qui fiat, vt enormes eiusmodi quantitates per annos ſingulis diebus deglutiant tot in Oriente homines, ſemper ſuperſtites, quarum vna diviſa inter plures e noſtris, necandis omnibus et ſingulis ſufficeret. Arbitratur inter alios bonus

u) *lib. III. c.* 1.

x) *vide eum de Aromatibus et Medicamentis in India Orientali naſcentibus, vbi de Opio agit.*

y) *Faſc. III. p.* 645.

 Senner-

z) *lib. VI. p.* 289.

Sennertus,[z]) Opium quo Turcae vtuntur, non verum et genuinum eſſe Opium, ſed *Scaligeri* et *Bellonii* auctoritate motus, id ex papavere albo colligi dicit, neque purum, ſed cum aliis rebus miſtum ſumi, maximamque eſſe inter papaver album, et nigrum differentiam. Olim collectum ex nigro, modo quem *Dioſcorides* tradit, hodie vero colligi ex albo putat Simon *Pauli*,[a]) indeque eſſe quod cum album papaver nigro ſit innocentius, hoc ſeculo non adeo exitioſum obſervetur Opium, quam priſco tempore fuit obſervatum. Recentiſſimus Scriptor Cl. *Cartheuſer* [b]) ad hoc argumentum delatus, populos orientales Opium ſine dubio capere mitioris et praeſtantioris indolis opinatur, cum ad nos Europaeos ſaltem deferatur viliſſima Meconii ſpecies. At vero, vere nulla datur inter album et nigrum papaver differentia, quamvis veteribus ita viſum ſit; Opiique perinde ex huius vel illius capitibus ſemper collecti effectus, ab omni aevo ſibi fuere ſimiles; atque praeterea probavit Cl. *Alſton* [c]) Opium ad nos delatum, eſſe veras lachrymas papaveris, ex capitibus inciſis prorumpentes, et aere inſpiſſatas; non ſuccum expreſſum, et extractum, Meconium vocatum, vt communis fere opinio eſt. In noſtris regionibus igitur, prorſus idem olim aſſumſimus, hodieque capimus Opium, ac Aegyptii, Turcae et Perſae etc. imo vero evincit multis rationibus modo laudatus Vir, in noſtris etiam regionibus collectas et ſiccatas capitum papaveris lachrymas, omnes notas transmiſſi ad nos boni Opii exotici habere. Sed de hac materie iam ſufficienter in ipſo principio huius tractatus mei me egiſſe, Lectores mei recordabuntur. Abunde autem nunc ex his omnibus conſideratis liquere confido, ad differentiam inter Opium ipſum Orientalium, ſuis vſibus reſervatum, et inter id, quod ad nos transmitti patiuntur, non confugiendum eſſe, quando rationem indagare volupe eſt, cur illi tantas doſes ſecuri perferant. Maiori

a) *p.* 420.

b) *Mat. Med. Part. I. p.* 514.

c) *l. c. ſect. I.*

iori iure reſpici debet illorum fabrica corporis, victus, cutis rara et mollis, atmoſphaera perſpirationi liberiori favens, de quibus omnibus etiam in antecedentibus locutus ſum. Verum enim vero his omnibus haud poſthabitis, primo ſaltem loco alleganda eſt ſenſim introducta conſuetudo, quae quantum in corpore humano valeat, vix dici poteſt; id quod tamen ſciunt et experiuntur quotidie, rem cum variis individuis habentes Medici Practici. d) Neque ad eam hic ſollicite attendentibus opus eſt aſſerere cum *Sennerto*, e) illos populos omnes facile ferre Opium, quia a Parentibus Opio adſuetis naſcuntur; ſufficit quippe teneriores pueros incipere vſum eius, et a quantitate parva dum adoleſcunt ſenſim pergere ad maiorem, donec tantem maximam ferant ſine noxa, qualem nemo tuliſſet prima vice deglutitam. At illam quam loquor pedetentim introductam conſuetudinem ſi acceſſerit is praeciſe corporis habitus, qui tolerantiae facili Opii reſpondeat, ad eo maiorem copiam tandem vſum extendi poſſe, facile perſpicitur. Norunt Medici vel mediocriter exercitati, non licere ipſis, praeſtabilire doſes remediorum, non licere generoſiorum maxime praeſtabilita praebia ſine diſcrimine omnibus individuis offerre. Sunt qui tartari emetici grana IV. et V. ſat bene ferunt, ſunt quibus duo vel tria hyperemeſes cient aegre compeſcendas. Moventur quidam granis duodecim Scammonii mediocriter, ſed dantur et qui ſex vel quinque granis fortiter purgantur. Ferunt nonnulli repetitas mercurialium doſes, antequam intentata ſubſequatur ſalivatio; novi vero illam a granis duobus, imo vero aliquando vno granulo magno meo taedio in puero proritatem. Verum talia pharmaca per longum tempus et quotidie ſumere haud moris eſt, vt ergo Aſiae et Africae populorum methodos Opio quotidie veſcendi, clarius intelligamus, conſideremus pauliſper noſtrorum Europaeorum Opio Analogo Vino, ſeſe quotidie interdum implentium ſtudia.

d) *vide diſſ. ſub Schulzii praeſidio Halae 1734 habitam de vi conſuetudinis rationaliter explicanda.*

e) *lib. VI. p.* 280.

ſtudia. Diu Germanis ea laus tributa eſt, quod prae reliquis Europae incolis, larga meri generoſioris pocula ſtrenue educant, ſemper ſitibundi, crapulasque heſternas altera die bibendo excutiant. At vero omnibus etiam germanis non aeque obfirmata capita ſunt, vt in ſalutem aliorum ſpumantes pateras evacuando, ſuam ſartam tectamque, viresque mentis illibatas conſervent. Videas a modica vini quantitate brevi pueriliter ineptientes, mutatisque moribus temulentos, rixantes, iraſcentes, delirantes, donec tandem alto ſomno ſepulti iaceant; dum alii numeroſis ingentibusque cyathis mira promptitudine exantlatis, quaſi aquam ſimplicem potaſſent, aut ferreas frontes nacti eſſent, in agendo et loquendo priſtinam prutentiam produnt, atque ad omnia ſua munia obeunda habiles, imo vero quandoque magis idonei conſpiciuntur. Horum naturali robori potentiſſimi vini energiam eludenti ſi conſuetudo iungatur, ohe quam eximios Heroes tum ſenſim natos miraberis, quorum vita nonniſi in vino nocte dieque ingeſto, tandem natitat. Atque quid tandem de aquis vitae ſeu ſpiritu vini dicam, minori longe mole ad Opii vires accedente, quam ipſum vinum, cui alcohol quod ipſi ineſt, ſaltem vires omnes elargitur. Mihi certe interdum per ſeptimanas in vallibus Sudetorum montium haerenti, quorum incole ruſtici, lignatores, textores, linteaque cruda macerantes, et humectata aeſtui ſolis exponentes Operarii, in bibendo alcohole multo magis excellunt, quam noſtram planitiem Vratislavienſis agri habitantes, non amplius mirum fuit, tot populos inebrians Opium magna copia quotidie devorare. Vna die in vno pago ibidem locorum ebibitur amphora integra ſpiritus frumenti, atque ſpiritus quidam artentiſſimus, quem ex ſorbi fructibus largiter creſcentibus parant, qui meas curioſitatis ergo deguſtantis fauces et oeſophagum exigua quantitate incendere videbatur, plenis buccis ab his hominibus

nibus

nibus hauritur. Talia ſpectacula videns recordatus non ſemel ſum eorum verborum, quae legeram apud Cl. *Mead*[f]) *Turcae et Perſae non aegrius tam largas quantitates Opii ingurgitant, quam noſtri Bibaces magnos hauſtus ſpiritus vini communis, hoc efficitur quidem ſe ſenſim et ſenſim ei adſuefaciendo, exorſi primum a parvis doſibus opus habent doſin indies, augere, vt in poſterum ad eundem ſe elevent laetitiae gradum.* Neque immerito hac in materie explicanda, non ſaltem ad vini aduſti potatores, ſed et eos qui fumo nicotianae delectantur provocare animadverti Cl. *Cartheuſer*,[g]) quando illum in principio non adſuetis vehementia pathemata concitare monet, vertiginem, temulentiam, dolorem capitis, vomitum, tremorem membrorum, quae omnia tamen poſtea apud adſuefactos non amplius obſervantur, et iamſi per integrum diem fumus hic hauriatur. Atque ego quoties haec talia meditatus conſpexi duro de robore natos ex plebe operarios, obulos ſuos heſterno labore partos non tueri diu, ſed hodie ſpiritui frumenti et tabaco ſibi comparando impendere, delicíasque has non alternis vicibus, ſed perpetuo coniunctas amare, atque inter alcoholis compotationem, fumum tabaci ſugere alacritatemque animi viresque novas inde ſuis manibus ſperare, toties credidi firmiter, et noſtros Europaeos adſueſcere poſſe Opio quotidie degluttiendo, eiusdemque largioribus doſibus ferendis. Sane mihi inter pinera Sudetorum latitans dies noctesque Lignator, miſerumque ſpiritum ſuum aqua ſimplici et pane ſuſtentans, huicque victui quotidiano frumenti ſpiritum, et tabaci fumum perpetua bellaria iungens, ſique vires findendis arborum truncis ramisque ſufficiant, tenuiſſima ſua ſorte contentus, ſemper mihi viſus eſt ex merito certare poſſe de gloria atque ſi ſuperior habendus non ſit, ſaltem tamen pari paſſu ambulare, cum Turca et Perſa Opii Liguritore.

f) *de Venenis p.* 101.

g) *Mat. Med. Part. I. p.* 613. *et* 614.

Praeſagias vero his dapibus, adſueto, ſubito ipſum ni abſtineat prehenſuram apoplexiam, aut dirum hydropem ante fores eſſe; Dic, cum vxore liberos extremam pauperiem manere; ſurdo tamen narrabis fabulam, nil reſtinguet clamoſam ſitim, niſi alcohol, omnibus viribus ſe orbum eſſe, quin mortem ſibi imminere conquereretur; vt Turca ille coram Chriſtophoro a *Coſta* Opium anxie flagitans, niſi alcohol quotidie indulgeatur. Vidi multoties pinguiori forte gaudentes et perpetua Bachanalia viventes viros, a prandio vsque ad concubiam noctem torrentibus vini ventriculum et corpus ſuum omne inundantes, matutino tempore anxios, languentes, artubus trementes, capite nutantes, ſimulac vero aliquot hauſtus eduxerant, hilares iterum viribusque accreſcentibus reſtitutos, non aliam ob cauſam, quam quia cerebri vaſa diductioni ad certum gradum impletionique adſueverant, qua defficiente totum corpus male habebat.

§. II.

Europaei etiam quandoque magnas doſes ferunt, et per conſuetudinem ferre diſcunt.

Neque tamen opus eſt, vt in comparationibus eiusmodi mutuis, inter Opium, vinum, et alcohol, conſuetudinis magnarumque doſium reſpectu ſubſiſtam; teſtatur quippe ſat frequens experientia, vere inter noſtros Europaeos etiam ſub frigidiori coelo degentes dari homines, qui doſes Opii vltra nobis conſuetas multam extenſas, nondum adſueti tulerunt feliciter largioribusque indies magis adſuevere, vt anus illa Athenienſis apud *Galenum*, [h]) quae auſpicata a minuta portione, paulatim ſe adſuefecit, vt impune devoraret magnam ſatis quantitatem, non Opii, ſed ipſius adeo Cicutae. Facile foret pervolvendo obſervatores Medicos, magnam copiam exemplorum huc facientium compilare, non vero illa opus eſt, operae tamen pretium videtur, curare vt quaedam hic legantur in rei teſtimonium, prout mihi occurunt. Magna ſatis doſis eſt Opii crudi ad gr. XII, ſe tamen eam

h) *de ſimpl. Med facult. lib. III, c. 18.*

dediſſe

dediſſe recenſet *Zacutus Luſitanus* i) in vehemente dolore circa vmbilicum ſine damno. Ipſe vero haemoptyſi et acribus defluxionibus laborans *Schenckius* teſte *Wedelio* k) retulit auditoribus, ſe ſaepius ad ſcrupulum vnum aſſumſiſſe laudanum opiatum, ad inhibendum ſanguinis motum, ſine vllo notabili mentis ſtupore. *Hollerius* l) ex relatione *Rondeletii*, de Hiſpano quodam refert, quod in ſummo aeris aeſtu Opium ad vnciam ſemis ſine vllo damno deglutiverit. De *Banſtorphio* quodam Pharmacopoeo Roſtochienſi refert Simon *Pauli*, m) quod ad levandos dolores arthriticos aliis remediis cedere recuſantes, ſumſerit Opii drachmam integram, pro vna doſi, ſine noxa, cum dein hydropicus obierit, mentionemque ſimul iniicit Iuvenis alicuius, qui ob Luis venerae acerbiſſima tormenta vitae ſatur, ex deſperatione ſumſit drachmam dimidiam Opii, quae tamen doſis non ſaltem non enecuit ipſum, ſed ei ex accidenti vitam prorogavit, poſtquam per diem integrum naturalem et dimidium ſtertuiſſet, vlceribus poſtea non latius ſerpentibus, et doloribus nocturnis mitigatis. Refert porro *Iones*, aliquem panaceam ſuam liquidam ſumſiſſe ea quantitate, quae Opii vncias contineret, ne quicquam tamen mali inde ſenſiſſe. Dum in *Actis Haffnienſibus* n) damna ex electuario *requies Nicolai* vocato, recenſet *Bartholinus*, Foeminam habet Haffnienſem, quae vivere non potuit, ſine quotidiano vſu Opii ad drachmam vnam cui iam pridem a granis incipiendo adſueverat. En in zona ſeptentrionali degentem orientalis genii foeminam! Iungi eidem meretur Generoſiſſimus ille Comes in Sileſia noſtra, licet alio ſub coelo degens, de quo Cl. olim noſter *Sachſius* a *Lewenheim* o) recenſet, quod conſuetudine tandem eo naturam perduxerit, vt ad drachmam vnam Opium ſecure potuerit aſſumere. Novit etiam *VVedelio* teſte p) *VVelſchius* aegrotum, qui ob dolores venereos articulorum, non raro vno die bis ſumſit pilulas ex laudano Opiato, a granis quin-

i) *lib. I. Med. Princ. Hiſt. obſ. 45.*

k) *Opiol. p. 79.*

l) *de Morb. intern. lib. I. c. 6.*

m) *Quadripart Botan. p. 422.*

n) *Vol. II. obſ. 20*

o) *M. N. C. Anno. II. obſ 69.*

p) *Opiol. p. 78.*

que adſcendendo ad drachmam dimidiam, cum Euphoria. Porro in *Miſc. Nat. Cur.* refert *Ludovici* q) Sartorem quendam Italum, per totum quadriennium ob inſomnes noctes laudanum pedetentim ad drachmam dimidiam, largiusque tandem ſine noxa, licet quoque ſine levamine aſſumſiſſe. In iisdem quoque *Miſcellaneis* r) exhibetur Iuvenis, qui ducta vidua brevi contrahebat dolores nocturnos intolerabiles, laudani Opiati minutulis doſibus primo coercendos. His vero irritis ventum ſenſim ad gr. III. IV. V. drachm. dimidiam et integr. Acceſſit tandem ad Opium crudum, ſimili doſi ac tractu temporis ad drachmam vnam integram doſin auxit, quam ſi neglexit, languidus erat, et ad munia inhabilis, ſi ſumeret nocte a doloribus erat immunis; et poſtera die vegetus. Alio iterum loco, de quodam homine refert Gabriel *Clauderus* s) quod vnico interdum die, ter 40. et 50. grana Opii crudi impune devoraverit, et hoc per menſes 18. et vltra continuaverit, degenerante eius complexione aliqua metamorphoſi in turcicam, vel perſicam. Non multo minus eſt praebium granorum nempe 36. quae in vna ſeptimana bis ter ſine damno ſumſit homo delicatulus referente *Charas* t) qui ſimul ſemet ipſum aſſumſiſſe grana 6. Opii, nec ſenſiſſe maiorem proclivitatem in ſomnum, nec debilitatum eſſe, ſed potius corroboratum aſſerit. Aeque liberalis erga Collegam ſuum *Brendelium Wedelio* teſte u) fuit *Rolfincius*, cui aliquando Lipſia reduci cum per plures noctes non dormiviſſet, et aliquo modo ſenſubus perturbatus eſſet, propinavit laudani Opiati grana 6. cuius vſu cum indormiviſſet, per 24. horas et amplius, evigilans ſanitati integerrimae fuit redditus. Atque ſi non in Collegis ſuis hoc experimentum fecit, non dubitavit tamen ipſe *VVedelius* x) in diarrhoeis et dyſenteriis contumacibus, atque vrgentiſſimo dolore ſtipatis, aliis aegris exhibere laudanum opiatum, ad ſcrupulum dimidium, ſi minores doſes nil iuviſſent. Nec timidior exſtitit *Bohnius* y) qui

q) *Dec. I. Ao. III et IV. obſ.* 207.

r) *Dec. II. Ao. X. obſ.* 80.

s) *M. N. C. Dec. II. Ao. V. obſ.* 179.

t) *in Hiſt. Nat. ingred. Th. riacae.*

u) *Opiol. p.* 150.

x) *Opiol. p.* 80.

y) *de Officio M. d. dupl. Part I. c.* 19. *p.* 362.

qui renuente licet primo, deinde vero conſentiente ſuo Collega, foeminae iuvenculae poſt primum puerperium dolore arthritico nocturno moleſtiſſimo vexatae, nil proficientibus aliis, et opiatis in mediocri doſi, haec adeo largiter propinavit, vt intra binas hebdomades Tincturae Opii vnciae tres abſumtae fuerint. Alio tempore z) viro cuidam ob cruciatus brachii intolerabiles, et tandem lethales, per aliquod ſeptimanas dedit fere quotidie 4. 5. vsque ad 7. grana extracti Opii, aliquando ad doloris conſopitionem, nunquam ad ſtuporem; ſimulque Baronem citat, qui per multos annos Opium crudum ſingulis vtplurimum diebus niſi fallitur, vltra drachmam vnam adſumſit. Non puto vero bono conſilio *Ridlini*, Matronam illam quam habet, a) cum ad intenſiſſimos dolores levandos non ſufficeret doſis laudani ordinaria, tandem id ad 9. grana in vſum vocaviſſe, quod tamen et ſaepius quidem, ſine damno factum. De Duce Legionario teſtis eſt Cl. *Berger*, b) quod quotidie ſumere coactus fuerit ſcrupulum vnum Opii crudi, ad mitigandos capitis dolores nocturnos, a morbo venereo contractos. Neque alius farine fuit illa Cephalalgia Centurionis cuiusdam *Boruſſi*, quae remediis aliis obedire renuens tandem coegit ammiciſſimum meum *Habnium*, vt ipſi MP. de Cynogl. ad gr. XII. et XV. porrigeret aegro indies maiores doſes deſiderante, et transmiſſas duas vel tres vnica vice devorante. Vidit duas mulieres Celeb. *Gorter*, c) quarum vna ſingulis diebus aſſumebat drachmam vnam Opii ſine ſubſequente ſomno, altera quotidie drachmas tres philonii romani, etiam ab eo non dormiens, vtraque ſaltem reddebatur temulenta et ebria. *Young* tandem memorat hominem, qui per duodecim annos quotidie quatuor parva cochlearia laudani liquidi ſumere adſuetus erat, ſine ſubſequente ſomno. Lego quoque dum gratioſe dono acceptum ab Ill. van *Swieten Tom. III. Comment.* ſuorum diligenti manu volvo d) ipſum vidiſſe melancholicos

z) *Part. II. c. 6. p. 641.*

a) *lin. Med. Ao. 1696. Febr obſ. 27.*

b) §. 3. *in fine.*

c) *Med. dogmat. p. 21.*

d) *p. 517.*

cholicos, qui adſuefacti vſui Opii, id ad grana quindecim vnica vice ſumſerunt, ac niſi ſic exhibitum fuiſſet, ſibi ipſis violentas manus prae intolerabili anxietate intuliſſent. Sed ſatis probationum, et a nobis Europaeis capi interdum poſſe Opium largo praebio, ſineque notabili damno, praebiumque ſemper per adſuetudinem poſſe augeri: plura exempla apud obſervatores paſſim proſtant,[e]) et ni adductae ſufficerent poſſent facile conquiri.

e) *Videntur Marcellus Donatus Schenckius, Reies, quaeſt. 43. p. 517 quaeſt. 63 p. 816 Giornale de Medicina 1763. Ian: Young Sect. 22. Bradleus Morb. Med. p. 87. Neumann Operum edit. Zimmerm. p. 947 Chequeſanit. infirm. p. 38. 39. Valliſneri III. p. 427 Iuncker Caſus rariſſimus Matronae quae per plures annos largas doſes Opii ſumſit.*

§. III.

Ego vt nil diſſimulem, nonquam in Praxi mea Opium vltra granum exhibui, neque ſuaſor exſtiti aegris meis, vt onerosae et damnoſae conſuetudini augendi indies praebia, ſeſe traderent, quanquam conſuetudinis magnam vim aliunde ſatis cognitam haberem, in fortioribus adeo narcoticis animadvertendam. Dignum memoratu eſt notum fuiſſe *Fontano* f) nonneminem a peſte reſtitutum, et ſomno tunc carentem, qui cicutam eapropter ederat, per aliquod tempus vt Vetula illa Galeni antea allegata. Tandem febre correptus neglexit vſum remedii, et ſomnum recuperare tentavit repetitis Opii doſibus, ſed fruſtra, quoniam natura eius fortiori remedio iam erat adſueta, itaque vt obtineret id quod deſiderabat, redire ad cicutam debuit. Quanquam vero omnino proſtent caſus, haud paucos Europaeorum Opium largius aſſumſiſſe, ſine damno manifeſto quin et interdum cum Euphoria, nulla inde valet ad imitationem concluſio. Clamat potius per omnem Europam, nimis verax fama, et adſuetos longo vſu, eosque qui natali ſolo ſibi deſtinatum viſum a natura Opium tuto aſſumere ſolent, largiore copia indies capta, occidi poſſe, atque ſummo aliquo exemplo id confirmat, quando Conſtantinopoli fatum Principis Mahometis, quadraginta et vnum annos nati, ſucceſſoris deſignati hodierni

Doſibus tamen etiam largioribus necantur.

f) *Reſp. et Curat. Med. p. 162.*

hodierni Turcarum Imperatoris largius ſumto Opio maturatum dum haec ſcribo, publica relatione commemorat. Inter noſtros parum valeret a magnis doſibus Hellebori, Scammonii, Ialappae, Mercurii dulcis, tartari emetici quas aliqui com mode fernnt, ad innocentiam horum remediorum concluſio, qui igitur de Opio valitura eſſet? Conſtat quippe multo numeroſiora dari ex largo Opii vſu funera, licet non ſemper ad ſcrupulos, drachmasque dimidias et integras extenſo, quae conſignata leguntur apud auctores, maxime ſi non ſenſim inducta conſuetudine aucta fuerit doſis, quam fauſti aut innocui eventus exempla; atque numeroſiſſima ſine dubio eorum, qui et mediocribus doſibus Opii necati ſunt, loqueretur triſtis experientia, niſi hos obmuteſcere in perpetuum feciſſet Terra mater. Vir ille apud *Ridlinum* g) ipſe caſtra medica ſecutus, ſumſerat potiunculam, cui tantum quantum pro vna doſi et communiter ſumma addi ſolet, Opii correcti addiderat, coactus autem dolore intenſiſſimo perdurante, intra breve temporis ſpatium bis illam repetierat, a qua ita ſopitus eſt, vt ad extremum vsque diem non expergiſcet. Addit equidem *Ridlinus* in eadem obſervatione, quam *Opiatorum magna doſis et nocens et iuvans* inſcribit, caſum *Matronae*, quae ob ſummos dolores ad grana 9. laudani impune adſcendit, ordinaria doſi nil iuvante, claudit tamen ſapiens ſuam obſervationem his verbis: *Mallem vt damnum ex nimia doſi ſubortum te abſterreret ab Opio in nimis magna quantitate exhibendo, quam vt caſibus vbi talis non nocuit audacior redditus ea peccares.* A ſeptem Opii pilulis, quae forte ſaltem Opio im praegnatae, non purum Opium fuerunt, per errorem deglutitis, e vivis diſceſſiſſe militem ſcripſit *Sanctorius.* h) Catherw. A popl. p. 39. etiam 7. grana lectum intuliſſe refert. Virum robuſtum propter dolores colicos aſſumſiſſe nimis magnam doſin Opii, atque illico circa ventriculum de gravamine intolerabili ac ſtupore conqueſtum, intra 4. horas interiiſſe, recenſet *VVilliſius* i) Derat

g) *lin. Med.* 1696. *Febr. Obſ.* 27.

h) *Meth. vitandi errores lib. VIII. c.* 12.

i) *Pharmac. Rat. Part. I. Sect. VII. c. I.*

derat Medicus quidam, quem artis noſtrae maculam *Wepfe-rus* k) vocat, eius civi cuidam ob tertianam notham caput dolenti, et aſſidue vigili, Opii grana 22. in pilulas formati, atque has in pharmacopolio ſignari fecerat ſatis imprudenter, pilulas pro lubitu ſumendas, quas cum aeger ſenſim devoraſſet, brevi paucarum dierum ſpatio ex morbo rarius lethali decumbens, vitam cum morte mutavit. Puella erat quae ad odontalgiam levandam ſumſerat mane vnam pilulam a muliere datam cum promiſſione dolorem ſopitum iri,l) et nunquam recurſurum; liberavit etiam haec datam fidem, puella namque veſperi exſpiravit, in aeternum manſura libera a quovis dolore. Nolo plura eiusmodi exempla conquirere, interim tamen recentia duo iam adductis adiicere licebit. Foeminae 40. annorum ſatis robuſtae praeſcripſerat Medicus Bolum purgantem,m) loco illius negligentiſſima ancilla vix condonando errore, porrigebat miſerae Dominae ſuae portionem quandam de vnguento, quod haemorrhoidibus dolentibus applicare conſueverat. Conſtabat vnguentum ex Myrrhae drachm. II. Opii drachm. I. et olei roſar. ſemuncia deque eo iam abſumptae erant duae tertiae partes, et vltra, reliquum miſera capiebat. Medicus hora 7. advocatus laborabat fruſtra, namque circa nonam placide moriebatur. Morti etiam proxima et aegerrime ſervata fuit virgo illa, cuius caſum recenſuit Illuſtr. de *Haller* n) quae incauta grana X. Opii aſſumſerat; incidit haec in ſomnum 48. horarum ſpatio durantem, tandem mechanice ad vomitum irritata reſuſcitabatur, et imminens cervici periculum evadebat. Ex his omnibus autem caſibus et innumeris aliis, qui adduci poſſent, illuceſcit facile, doſes medicas Opii ſecuras ſalvaque vita commode ferendas determinaturum, magis ad funera a largioribus prognata, quam ad fortuitos proſperos effectus, a talibus in corporibus idoneis praeſtitos, vimque conſuetudinis reſpicere debere. Ipſe Gabriel *Clauderus* o) per errorem

k) *in Hiſtoriis apopl. Exercit. de loco affecto* p. 235.

l) *Stalpart van der Wiel Obſ. variorum Cent.* I. *obſ* 42.

m) *Alſton. in Act. Edinb. Tom. V. Part. I. Art. XII. Sect. III.* §. 10.

n) *diſſ. Goettingenſi experimenta circa varia venena habente* §. 21.

o) E. N. C. *Dec. II. Ao. V. obſ.* 178.

rorem ſumſit grana 10. Opii cum ſpiritu vitrioli irrorati, adeoque parte ſuarum virium orbati, quam doſin felix ſuperavit, ſed addit recenſioni notabilia verba: *Haec propoſui in favorem Philiatrorum, vt adſueſcant Opio vti neutiquam mente et manu praecipiti. Conſtat mihi nonnullos in re medica non ſuperficiarie verſatos irridere eos, qui in propinando Opio ratione doſeos ſolent eſſe nimis timidi. Magis vero conſultum eſt, peccare in defectu, quam in exceſſu, agitur enim de vita hominum pretioſo Chriſti ſanguine redemtorum. Novi ſane vno plures, qui aſſumta nimia Opii doſi placidiſſime obdormiverunt, quorumque evigilationem liberi et cognati ad hunc vsque diem fruſtra expectant.*

§. IIII.

Doſes Medicae. Dum vero quod nemo niſi imprudens, et coeco impetu et quaſi obnubilatis ſenſubus in amorem Opii ruens, diffiteri audet, anceps hoc pharmacum quandoque maiori doſi neeat, aut non ſaltem hominem ad tumulum quam proxime adducit, tanto magis allaborandum eſt, vt de ſecuris et medicis doſibus conſtet accuratius. Mirum eſt animalia bruta, canes, feles, catos, cuniculos, vt ex experientiis in ſuperioribus adductis apparuit, p) multa maiora praebia Opii tolerare, ſuperſtite vita, etiam prima vice, ſine inducta conſuetudine ſtatim exhibita, quam ferre poſſunt homines. Fortior quippe ipſorum natura quam noſtra, vi aliorum etiam venenorum, in maiore copia aſſumptorum, eludendae habilis obſervatur, quae ſcrupulo ſaepe, et drachma Opii non trucidantur. Prorſus impune animalia ferre ſolent, grana 4. vel 5. ſed ſumma haec doſis eſt, et vltra ſummam iam extenſa, pro hominibus Europaeis Opium ſi grani vnius vel paucorum doſin excefferit, lethiferum, nefas eſſe, aſſeruit *Kaempferus*. q) Poſthabita, et miſſa doſi Orientalium extraordinaria,

p) *vide Analyſin Opii nostr. XV.*

q) *Amoenit. exot. Faſcic. III p. 644.*

r) *Opiol.p.75.* ordinaria, *Wedelius*, r) nobis Europaeis ordinariam eſſe tri-plicem ſtatuit, infirmam, mediam, et ſummam. Infirmam in adultis ponit a gr. $\frac{1}{4}$. ad gr. I; mediam a gr. II. ad III; ſummam a gr. IV. ad V. hanc vero non facile exhibendam dicit. *Alſton*, adultis non adſuetis plerumque a grano dimidio ad grana III, ſed qui eo iam vſi ſunt, ad grana IV. V. et plura praeſcribi, donec deſideratus effectus ſequatur affirmat, s) Cl. *Cartheuſer*, t) in noſtris regionibus doſin ab octava grani parte, ad gr. II, III, IV. adſcendere dicit; ſed iuſtam doſin grana II vel III raro ſuperare debere monet. *Geoffroy* u) in genere Opium intra breve ſpatium ſemi-horae poſtquam aſſumtum eſt, ſuam operationem exerere, maxime ſi ſolutum fuerit, ſimul affirmans, iuſtam doſin grana duo vel tria raro ſuperare dicit. Nollem ego interim alicui facile Auctor eſſe, vt pro doſi vna, adulto licet, et robuſto viro, ſed nondum adſueto porrigerentur grana tria, ad duorum pro vno praebio exhibitionem, in homine qui nullam adhuc familiaritatem cum Opio contraxit, ſumma circumſpectione opus eſſe, ſatis perſuaſus. Semper vidi ſenſibiles et maiores aliquando quam quos expectaſſem effectus, a doſibus infra granum vnum reſtrictis, in iis, qui ex quo vixerant prima vice Opium aſſumſerunt, quos adeo paulo magis extenſae doſes offendere potuiſſent facile. Triſtem Experientiam conſentientem habens Illuſtr. *Baco de Verulamio*, x) Opii grana III. in Europaeis ſpiritus animales eouſque forſan condenſare et fugare poſſe ſcribit, vt nunquam redeant, dum Aſiatici et Africani populi eius longe largiore quantitate ſpiritus potius excitatos, et roboratos habent. Qui quantum ſcio, fere prae reliquis aevi noſtri celeberrimis Practicis, in Opio porrigendo ſatis facilis et largus eſſe ſolitus eſt, Humfredus *Ridley*, vix tamen, vt ex eius obſervationibus patet, vltra granum vnum cum dimidio Opii, pro doſi, in graviſſima cholera ſaltem duo, plerumque vero grana II. in tres doſes

s) *l. c. Sect. IV.*
t) *Mat. Med. Part. I. p. 613.*
u) *Mat. Med. Tom. II. p. 695.*
x) *Hiſt. vitae et mortis.*

doſes diviſa repetitis vicibus, exhibuit. Ita quoque agere conſuevit *Boerhaavius*, y) qui quoties generoſa doſi anodyni opius fuit, grana II. in tria praebia dividi curavit, granumque adeo integrum pro vna doſi non adeo frequenter praeſcribens. Granum vnum correctum inſuper, ex eius mente, in tres partes diviſum, aut in duas amabat optimus Praeceptor *Hoffmannus*, raro integrum granum dedit, dandumque praecepit, conſeneſcens paulo dimidior redditus, et liquori ſuo anodyno multum deferens, in gravi tamen veſicae ſpasmo aliquando granum vnum quotidie circa ſomni tempus ipſum aegro illuſtri ex meis, conſuluiſſe memini. Vltra granum vero aliquibus mortem inducere aptum eſſe Opium, eius diſcipulus Cl. *Schulzius* z) aſſeveraverit. Bene recordor, celebratiſſimum olim apud nos Practicum Cl. de *Helwig* mihi plus ſimplici vice confeſſum eſſe, raro vel nunquam ſe vltra dimidium granum aegris ſuis numeroſis hercle porrexiſſe, et tamen non infelicem fuiſſe in facienda meedicina, ſed vbivis magni aeſtimatum, adhuc hodie bene novit Vratislavia. Atque intra hos terminos, quos ſibi fixiſſe praeſtantiſſimos in medendo artifices conſtat, ſubſiſtere debet Opiatorum exhibitio, niſi caſui et fortunae committere quis aegrorum ſalutem, quam arti et iuditio, maluerit. Sed et hic notari meretur aurea regula *Freindii*, a) nimiam doſin non tam officinali menſura, quam corporis ratione diiudicandam eſſe, in alio quippe humorum ſtatu deſiderari largam doſin, in alio ſufficere mediocrem, in alio etiam minimam nocere, parvosque ab ea effectus ſequi, ampliata nimis carotidum capacitate. Si quid vero eiusmodi acciderit, id medenti potius quam remedio imputandum eſſe. Vt ergo omne ſiniſtrum cauti evitarent, praeclariſſimi Viri nonnulli regulas ſibi et aliis praeſcripſerunt, largiorem doſin vix vnquam vna vice, ſed diviſam et pedentim exhibendam eſſe, ſemper attendendo, an ille effectus eveniat, quem Opii exhibitione

y) *Mat. Med. de dolore pag. mihi* 55. *et alibi.*

z) *diſſ. de Medicamentis Opiatis*, §. 1

a) *Emmenol. Cap XIV. p.* 140.

Medicus intendebat, dein deſiſtendum voluerunt, a continuatione; aut ſaltem longioribus intervallis, vnum vel alterum praebium exhiberi debere, praeceperunt. Inter illos *VVedelius* b) generalem teneri iuſſit cautelam ſemper tutius eſſe, ſi ſubſiſtatur infra ſummam doſin, et praeſtare, repetita potius vice dare remedium, vt voti compos fiat Medicus, quam extrema ſtatim tentando, opprobrium ſibi accerſere. Praecipue autem *Sylvius*, c) magnus ille doctor opiatus, ſe viam oſtendiſſe facilem et commodam reputavit, quam ſecure ſecuturum vnumquemvis edixit inculcati et iterati moniti memorem, Opiata vſurpanda eſſe quantitate minima, et partitis vicibus potius exhibenda, quam ſimul et ſemel, atque omnibus ſic facturis tutam, citam et iucandam praxin pollicetur. Atque methodum hanc partitis vicibus exhibendi Opium, non modo periculo omni vacare, ſed et raro infeliciter adhiberi, ſe expertum dicit *Freindius*. d) Idem conſilium exhibet Illuſtr. van *Swieten*, e) *Hecquetus* f) et *Hambergerus*, g) qui ſi verbi cauſa ſomnus certo a Medico deſideretur, melius circa veſperam omni hora quartam partem grani vsque dum ſomnus ſequatur, quam vnum vel duo grana ſimul porrigi, atque ita hypnotico ſcopo ſatisfieri, narcoticum evitari monet. Nemo poterit negare, magni momenti eſſe, in artis exercitiis, hiſce monitis diligenter auſcultaviſſe, atque pertinaciter inhaeſiſſe; multasque gratias tacitus decrevi ſaepius manibus Cl. *Sylvii*, in cuius operibus primo hanc vtiliſſimam cautelam practicam didiceram. Vidi eam mirum quantum valere in ſubiectis tenerioribus, et in foemellis maxime. ſi enim vnquam in medicina attendi debet tritum illud, quod poteſt fieri per pauca, non debet fieri per plura, in heroicorum pharmacorum adminiſtratione obſervandum eſt. Dum mathematica proportio virium morbi, et virium remedii, Medico Practico exercitatiſſimo determinatu impoſſibilis eſt, et ſapientibus coniecturis doſis pharmaci vi morbi proportionata

b) *Opiol.* p. 50.

c) *Pr. Med. lib. II. c.* 26. §. 28. *et p.* 864. § 784.

d) *Emmenol. Cap. XIV.* p. 114.

e) *Tom. I.* p. 335.

f) p. 239.

g) §. 69.

portionata ſaltem nititur, defectus equidem remedii facile ſuppleri, exceſſus vero et eius vitia difficulter quandoque, quin plane non ſubinde emendari poſſunt. Ad vero magnam exceptionem patitur, ſaluberrimum coeteroquin dividendi doſes Opii conſilium, ſi vrgentiſſimum adfuerit aliquod malum, ſique id praeceps periculum minetur, non diu ſalva vita ferendum, atque a nullo alio interim remedio, quam a ſolo Opio vincentum. In tali caſu ſtatim generoſa doſis Opii poſtulatur, ſimul et ſemel exhibita, iuſta energia actura, cum diviſa, diviſam quoque energiam, et forte nimis ſegnem exereret. Optime igitur Cl. *Rega*, h) Tutius et aeque efficaciter Opium in parva doſi ſaepius repetita et pro rei neceſſitate aliquamdiu continuata, quam in maiore quantitate ſimul et ſemel exhiberi, equidem dicit, ſed appoſite addit, niſi hoc exigat vrgens aliquod ſymptoma. Neque etiam dum minutas doſes laudat van *Swieten*, i) adiicere omiſit eandem quantitatem Opii, maiorem effectum praeſtare, ſimul et ſemel exhibitam, quam ſi detur diviſis doſibus. Magna vero arte, atque ſubacti valde et exercitati Iudicii practici lance expendendum eſt, rebus ita ſtantibus, vt generoſa doſis poſtuletur, quanta eſſe illa debeat, an et quo tempore veniat repetenda, tumque praeſens fere directio Medici, perpetuo obtutu minacis mali violentiam, et validioris futuri remedii energiam, trutinantis requiritur. Ad aegrum cholerica paſſione affectum vocatus *Sydenhamus*, qui enormi vomitione, ſpaſmorum protervia, ſudore frigido, et pulſu vix micante ad incitas redactus iam animam agebat, facile qua erat ſapientia, praevidebat, Opium hic eſſe vnicam ſalutis anchoram, laudani vero doſin ordinariam tantis malis haud ſuffecturam. Dabat ergo guttas 25. laudani liquidi, aſſidebat lectulo ad ſemihoram, vt quaſi e ſpecula pugnam remedii et morbi contue-

h) *Accurat. Med. Meth.* aph. 874.

i) *l. c.*

contueretur, cumque hic ſuperior futurus videretur, atque nec vomitiones nec conſulſiones minuerentur, repetebat remedium doſinque eius augebat, interpoſito tamen ſpatio, vt quid ā iam ingeſto foret ſperandum, prius ediſceret, donec tandem pervicaciſſima illa ſymptomata ſub iugum victoris raperentur. k) Vtinam in ſimilibus caſibus imiteri liceret medicis omnibus Sydenhamianam hanc ſolertiam et dexteritatem! Vtinam in hoc exemplar intuentibus, idem omnibus ſurgeret iudicii vigor! Sed hoc opus, hic labor eſt! Finio ego hic de doſibus Opii meam tractationem, Lectoresque meos adhuc monitos volo, apud Europaeos, et inter eos apud homines non adſuetos, doſes a quarta grani parte ad granum vnum, vnum cum dimidio, vel ad ſummum duo habiles eſſe, et ſufficientes, maxime ſi repetantur, ad omnia phoenomena illa inducenda quae Cap. II. ordine conſignavi, neque ad eadem invitanda maiora praebia requiri.

k) *Operum p.* 372.373.

USUS OPII
SALUBRIS ET NOXIUS
IN MORBORUM MEDELA

SOLIDIS ET CERTIS PRINCIPIIS SUPERSTRUCTUS

A

D. BALTHASARE LUDOVICO TRALLES

MEDICO VRATISL. SERENISS. DUC. SAXO-GOTHAN. CONSILIARIO ET ARCHIATRO, ACADEM. CAESAR. NAT. CVR. ADJUNCTO, SOCIETATIS SCIENT. ELECTOR. BOICÆ, ET OECONOMICÆ SILESIACÆ MEMBRO.

EDITIO ALTERA AUCTIOR.
SECTIO II.

VRATISLAVIÆ.

SUMPTIBUS IOHANNIS ERNESTI MEYERI.

MDCCLXXVII.

PRÆFATIO.

Furentibus longe lateque bellicis turbis, quæ et ſatis graves Almæ Matri Vratislaviæ incubuerunt, trepidantibusque ubique ad dirum Martis imperium Muſis, gravia impedimenta mihi nata ſunt, quo minus pergere alacriter in cœpto opere potuerim. Prodit tandem Sectio illius ſecunda, minus exaſciata quidem, ac forte comparitura erat, ſi placida quiete, bonas literas mirum quantum juvante, frui per temporum aſperitatem licuiſ-

ſet. Illi poliendæ obſtitit ſimul haud parum vacuasque horulas vix indulſit triſtis epidemia, Bellona obſtetricante excluſa, ſtragem inter noſtros valde luctuoſam edens. Si diſtractus, quæ inde multiplicata ſunt, clinicis negotiis, nihilominus candido deſiderio ſcriptis etiam publica commoda pro viribus juvandi non exciderim, habebo de quo ingenuus lætabor. Sentio autem mihi incumbere, ut prolixitatem dictorum et adhuc dicendorum, quæ forte lecturorum multis diſplicitura eſt, exculpem. Ferax argumentum me exponendum ſumſiſſe, nemo intelligentium negaturus eſt; neque poteram aliter, quam ſententias illuſtrium practicorum in exhibendo ægris Opio ajentes et negantes antea adferre, dum eas vel firmare, vel refellere, diſſenſubusque finem facere, in animo habebam. Fruſtra autem hoc ipſum exequi laboraſſem, rectumque quod ad verum ducit iter minus ingreſ-

ſus

ſus eſſem, niſi morbi cujusvis genium et pro cauſarum diverſitate differentem indolem determinaſſem accuratius, niſi genuinas indicationes ſtabiliviſſem, cumque his præſupp ſitis actionem naturalem Opii in corpus humanum comparaſſem, uſumque ejus ſalubrem et noxium hac demum ratione commonſtraſſem. Sed et aliorum remediorum, ad uniuscujusvis ægritudinis medelam felicem directe facientium, mentio injicienda erat, ut pateret, an cum his in eundem ſanitatis obtinendæ finem conſpiraret Opium, an eidem adverſaretur. Factum igitur eſt, ut laboris moles ultra expectationem meam increſceret, quæ ſi aliena etiam complecti rigoroſioribus judicibus videatur, parum ego movebor, ſi ſaltem ea non prorſus eſſe inutilia reputaverint. Nimis vero felicem autorem me habiturus eſſem, ſi, cenſorum indulgentiorum ſuffragiis, hinc inde etiam plura aliquantiſper depre-

hendi eademque penſitatu haud indigna ſtatueretur, quam ipſe liber in fronte promiſerat. Cæterum dabo operam, ut Sectionem ejus tertiam, quæ morbos convulſivos et quosdam chronicos, tum et morbos mentis, morbos infantum, ſenum ac ſexus ſequioris, uſumque Opii topicum et alia nonnulla exponet, ſi Deus vitam et vires conceſſerit, quamproxime evulgem. Scribebam Vratislaviæ, die XXX Septembr. An. MDCCLVIII.

PRÆFA-

PRÆFATIO ALTERA.

Novam editionem Sectionis II libri mei *de Opii uſu ſalubri et noxio* dum parat bibliopola, notatum me, licet ſatis humaniter, video in *Bibliotheca phyſico-medica Gœttingenſi*, quod utilis declarati ab eruditis viris Operis Sectionem primam, poſt annos ſeptendecim elapſos denuo editam, non auctiorem, eodem adeo paginarum numero hoc commonſtrante, in publicum emiſiſſem, quod tamen fieri omnino potuiſſet et debuiſſet. Verum ingenuus confiteri debeo, me de meis ſcriptis ſatis humiliter ſentire ſolitum toto hoc tempore non cogitaviſſe, fore ut denuo liber aliquando imprimeretur; cumque a me practicis laboribus et domeſticis calamitatibus quotidie feſſo poſtularetur, ut ante impreſſionem eum relegerem et addenda adderem, breve tempus huic operæ conceſſum fuiſſe. Præterea etiam nequeo negare, non adeo multa me habuiſſe, quæ adjicerem, quæ tamen vere paſſim adjecta ſunt, ut omnibus conſtabit, qui primam editionem cum ſecunda conferre voluerint, licet hæc, minoribus litteris typis exſcripta, illius molem non excedere videatur. Analyſi phyſico-chemicæ Opii; actioni primariæ ejus in corpus; phænomenorum inde emergentium ætiologiæ expoſitæ; corporis diverſæ diſpoſitioni, effectus de-

determinanti; inutilitati correctionum clarius commonſtratæ; doctrinæ ſuppeditatæ de doſibus: nil inveni, quod adjicerem. Phænomena autem ipſa, in quorum conſideratione accurata cardo rerum dicendarum vertitur, eadem, ut a me deſcripta ſunt, ſine dubio ſemper in poſterum permanebunt, quamdiu Opium erit Opium, et corpus humanum tale permanſurum eſt, quale fuit et eſt. Summa voluptate, quæ in ſincerum veritatis indagatorem et aſſertorem cadere poteſt, me affeciſſent accurata notitia, cum meis conveni-re exacte obſervata, Ill. HALLERI *de Opii efficacia in corpus humanum*, quorum commemorationem in *Novis commentariis Societatis regiæ ſcientarum Gœttingenſis Tom. VII* offendi, niſi vir ſummus gravi et moleſto morbo affectus eam ipſe per 30 menſes, in quibus pauciſſimi dies absque hujus medicamenti uſu elapſi ſunt, in proprio corpore ediſcere coactus fuiſſet. En experientiarum a me conſignatarum catalogum! quibus *Hallerianæ* prorſus reſpondent, ut ipſiſſimis inſignis viri verbis probabo.

I. Opium pulſum cordis et arteriarum, adeoque omnem circuitum ſanguinis, intendit et accelerat.

Poſtquam egregie et nervoſe contra eos diſputarat, qui per experimenta in animalibus capta motum cordis ab Opio minui ſtatuunt, (pag. 2 et 3) ita pergit (pag. 4): *Quæritur, num modica doſis Opii,*

Opii, dum ſenſus acumen frangit, dum dolores et ſecretiones minuit, dum animo tranquillitatem inducit, num idem Opium, dum hæc in parte corporis humani ſentiente perpetrat, una motum cordis incitet, num e contra debilitet? Non quæritur de homine deque animali moribundo, ſed de eo homine, eo animali, cujus cor expedito motui aptum ſit. — Nunc nemini mortalium facile largior fuit opportunitas experiendi, quid Opium poſſit in cordis vi mutanda, dum ſenſum dolentium partium minuit, quam quidem mihi.

um prima vice ſuaſu Ill. PRINGLE, *in Anglia uſum frequentem Opii eſſe aſſeverantis, laudani liquidi guttas 21, quas tribus quartis partibus grani unius Opii pares eſſe cenſet, cum clyſtere ſibi applicari faceret:* (hoc deinde aucta doſi ſæpius factum; notari autem debet, *effectum in univerſum eundem fuiſſe, quando Opium per os aſſumtum eſt*) (pag. 14); *pulſum frequentiorem redditum* obſervavit (pag. 7, 8). Hunc (pag. 13) ſic accuratius deſcribit: *Cum horologium minuta ſecunda enumerans obtinuiſſem, eo uſus ſum ad metiendum effectum Opii. Doleo certe, quod non eo tempore utile præſto fuerit inſtrumentum, quo Opii effectus erat manifeſtior. Nunc pulſus meos mane ſoleo 75 ad 80 in minuto primo numerare. Sic pulſus ad 86 duabus ab Opio horis ſolent augeri, et aliquanto plures a paſtu eſſe, Opii vero effectu deferveſcente ad 75 redire. Cum forte errore mihi ni-*

mia doſis eſſet ſubdita, pulſus vehemens erat cum febre. Tandem colligens obſervata pronunciat: *Opium vires cordis auget, pulſumque frequentiorem reddit* (pag. 14); *majori doſi vehementem, et febrem, cum intenſa ſiti animique affectibus vehementibus* (ibid.).

II. Opium calorem corporis naturalem auget. A primo clyſtere opiato applicato, Vir Illuſtris *calorem aliquem ſiccum, non ingratum, ſecundum dorſum deſcendentem perſenſit* (pag. 8); repetitisque experientiis edoctus aſſerit, *quod Opium univerſum corpus calefaciat* (pag. 14).

III. Opium ſanguinem rarefacit.

Hic effectus ex duobus præcedentibus neceſſario ſequitur, neque ſpeciali probatione indiget.

IV. Opium reſpirationem citatiorem et difficiliorem reddit.

Hoc phænomenon ita Ill. HALLERUS deſcribit: *Noctu, etſi corpus meum in dormiendo cum pedibus angulum pene rectum faciebat, reſpiratio tamen laborabat, ut ſurgere, ambulare, per horas, juſcula bibere cogerer, ut ipſum demum ſubinde ſanguinem exſcrearem* (pag. 10); *dum ad Opii uſum redeundum erat, tantum ad alternos dies uſum reſtrinxi, ut multa humectatione pectori proſpicerem* (pag. 12).

V. Opium ſangninem determinat verſus caput.

Ex præcedentibus et ſubſecuturis phænomenis hoc ſponte intelligitur.

VI. Opium

VI. Opium pacat animum eumque exhilarat, atque alacrem et audacem reddit.

Somni loco tranquillitatem ſummam et mentis ſerenitatem ſenſit HALLERVS (pag. 8), quam fuſius ſic exponit (pag. 12): *Pone me Opium ſumſiſſe hora 10 ante meridiem, ita enim fere ſoleo, continuo ſerenitas animo redit; et ſi prius, quod frequens eſt, friguſculum percipiebam, nullum deinde percipio. Spes cum Opio animo redit, ſumma ad laborem alacritas, etiam quam in juventute major.*

VII. Opium temulentiam cum torpore inducit.

In ſtuporem ſomnolentum proclivitatem ſenſit Vir Illuſtris (pag. 10).

VIII. Opium naturale acumen ſenſus obtundit et minuit, eoque præter naturam aucto natos dolores ſedat.

Negari non poſſe, ſcribit (pag. 2): *Opium ſenſus acumen frangere. Dolorem ab irritata veſica natum demum integre ſuſtulit, ut ejus vix veſtigia ſupereſſent* (p. 8); *ſenſum doloris retudit, demum ſuſtulit integre, quem in glande penis per 6 menſes ſatis acrem* perceperat (pag. 14). Aliquando cardialgiam, intolerabili dolore et inquietudine per aliquot horas ſe excruciantem, laudano, ad 90 guttas intra tres horas ſumto, quaſi incantamento ſanavit HALLERVS (p. 16).

IX. Opium vires motui animali famulantes debilitat.

Id ego multis experientiis probavi. Contrarium expertus videtur Ill. HALLERVS, qui *Opium vires muſculorum augere* ſcribit (pag. 14). Sed curatius penſitanda ſunt ea, quæ antea ſcripſerat (pag. 10): *Ubi vis Opii deferbuerat, ita languore aliquo animus tentabatur, ut ad omnes labores, omnia demum negotia inertius accederem, non ſomniculoſus, in ſtuporem tamen ſomnolentum pronus, cum diſplicentia mei rerumque omnium, ut nihil mihi porro exoptabile videretur, nil de quo luberet cogitare.* Addit: *Eæ horæ triſtiſſimæ quidem cedebant novæ Opii doſi, cum qua ſolita lætitia, ſolitæ perſpirationis augmentum et priores corporis vires redibant.* Quis hic non videt, reditum virium corporis ſupponere antea depreſſam muſculorum animalium, vimque iterum, poſt aliquam per Opium incitationem temporariam, deprimendam. Porro ſic HALLERVS (pag. 12, 13): *Opii vi conſumta, una animi vires corporisque labaſcunt, ut ad corpus exercendum minus ſim alacris; maxima doſis facit languorem univerſi corporis* (pag. 14).

X. Opium ſomnum invitat, interdum in ſoporem altum, quin apoplecticum, extenſum.

Quoad ſomnum ab Opio induci ſolitum, non omnibus individuis eum ſine diſcrimine induci, nec ſine diſcrimine vel placidum vel inquietum, notare ego non oblitus ſum. Videamus, quid evenerit Illuſtriſſimo Viro. *Nunquam*, ſcribit, *ejus no-*

noctis obliviſcar, ſub quam clyſter opiatus injectus eſt. Vix ſubierat, cum ſomnus ea diei hora ex naturæ imperio imminens diſſipatus eſt. Somni loco oborta tranquillitas ſumma (pag. 8). *Somnus nullus eſt ante primam alteramque a media nocte horam, niſi eum ſyrupo papaveris albi, ad duas uncias ſumto, advocaverim, quod ſæpiuscule ſoleo* (pag. 12). *Magna doſis Opii ſomnum non accivit, ſolitam vero tranquillitatem ſubito reddidit, quomodo iratum mare, ventis ſilentibus ſubito pacatum, poetæ deſcribunt* (pag. 16). Notat tamen pag. 10, *ab Opii vi deferveſcente natam in ſtuporem ſomnolentum proclivitatem.*

XI. Opium dormientibus inſomnia, vigilantibus phantaſmata et deliria, producit.

Opium capere adſuetus, Illuſtris Vir *noctem ſerenam et tranquillam ſe expertum* recenſet, *et etiam cum inſomnio lætum animum* (pag. 12). At cum prima vice opiatum clyſterem infundi feciſſet, *ſomno imminente diſſipato, ſub finem demum noctis primum irrequietus ſomnus, cum iracundo ſomnio, irrepſit oculis, ſed ei gratiſſimus ſucceſſit, qui naturam ſuaviter reficeret* (pag. 8).

XII. Opium ſtimulos venereos infert.

De his ita HALLERVS (pag. 16): *Opium, quod inter aphrodiſiaca Turcæ recenſent, omnino ejusmodi effectum edit, ut in ſene, ab his deliciis alieniſſimo, tamen ejusmodi motus revocet, quales calida juventus ab idea voluptatis percipit. Quæ quidem*

adnotatio porro confirmat vim Opii motum ſanguinis incitantem.

XIII. Opium excretionem cutaneam promovet, alias autem ſeroſas compeſcit.

Iterum excerpo propria verba HALLERI: *Lotii impetus conquievit, tribus vel quatuor horis nullus ad mingendum ſtimulus* (pag. 8). *Urinæ frequentia et copia minuebatur* (ibid.); *ab aucta doſi lotium integre ſuppreſſum* (pag. 9).

Manifeſto vidi ſecretiones omnes aquoſas minui, ut perſpiratio ſola increſceret; hanc enim ex leni calore cutim occupante facile diſtinguebam. Sed mucus narium ceſſabat, mucus aſperæ arteriæ negabat affluere, ut laryngis ſenſus ſiccus eſſet, cum aliqua raucedine et ſiti (pag. 9). *Dixi ab Opii uſu aſperam arteriam ſiccari, ut in ipſo larynge ſentirem mucum deficere, ut exſcreatus a prima juventute familiaris ceſſaret, ut mala hactenus vix percepta ſerio me terrerent. Siccus larynx erat, ut, quando maxime volebam, nullum humorem poſſem conando laryngi reddere, quod moleſtiſſimum erat ſymptoma* (pag. 10). *Opium diminuit ſecretiones aquoſas inteſtinorum, ventriculi, viæ urinariæ, ſolam perſpirationem urget cutaneam, quæ una augetur, dum reliquæ ſupprimuntur* (pag. 14).

XIV. Opium functioni ventriculi inimicum eſt.

Feſtivo die cum mecum mei liberi granderent, Opio me contra inciviles lotii ſollicitationes munire volui.

lui. Non bene ceſſit experimentum. Flatus ventriculum mirifice diſtenderunt, ut demum vomitu me levarem (pag. 8). *Meticuloſius in augenda doſi, non niſi neceſſitate aliqua ad hæc incrementa coactus accedebam. Ventriculus enim vim Opii ſentiebat in principio, quo eo utebar, magis, nunc minus. Flatus naſcebantur per inteſtina, quibus anus exitum negavit; iidem in ventriculo colligebantur, tanto nonnunquam cum incommodo, ut cardialgia et demum vomitus ſuccederet. Neque iis temporibus infrequens fuit, cibos ranceſcere, ut nidoroſi ructus de ventriculo adſcenderent* (pag. 9). *Ventriculo Opium moleſtius eſt et frequentiam facit ructuum nidoroſorum* (p. 14).

XV. Opium alvi libertatem inhibet.

Dum augenda doſis erat, conſtipatam alvum metuebam; flatus enim naſcebantur per inteſtina, quibus anus exitum negavit (pag. 9); *clauſus ſphincter ne flatui quidem exitum permittebat* (ibid.). *Pone me Opium ſumſiſſe hora 10 ante meridiem, verſus horam quintam poſt meridiem flatus incipiunt ad ſphincterem pervenire et ægre tranſire, ſtricto pene orificio; rarumque eſt aliquem viam ſibi aperire. Altero die flatus invaleſcunt et libere nunc redduntur; alvus vero pertinaciter fæces retinet, quam ſoleo clyſtere, ſubinde etiam ſale medio, ſollicitare, ne unquam vetuſtæ fæces nimium ſiccentur* (pag. 12). *Alvus hora fere 46 poſt aſſumtum Opium ſponte reſpondet. Duræ autem ſunt*

fæces

fæces, et quidem adeo duræ, ut nullus inſpirantis conatus eas per anguſtias ſphincteris expediat, triſtisque me juſſerit neceſſitas, ſpatula et cochleari excrementa expedire prædura ſummo meo cum incommodo; idque infortunium perpetuum eſſet, niſi pridie antiquas fæces clyſtere eſſem emolitus (pag. 13).

Et nunc *Hallerianarum* obſervationum *de efficacia Opii* mearumque exactam convenientiam! Novum ergo robur et maximum pondus adjecit Vir Illuſtris toti operi meo de Opio, quod magno meo honore laudavit publice; *) namque ſtabilitis a me experientiis ſingulis, Opii efficaciam eloquentibus, omnia ſuperſtruxi, quæ deinde de ejus uſu et abuſu docui. Faxit Deus, ut dura neceſſitate quotidie Opio utendi Præſtantiſſimus Vir careat tandem! Nil inde boni tandem expectandum eſt. Sint Angli in eo porrigendo liberales! Moneat vero eos lugubre exemplum viri ſummi, *Lord* CLIVE, qui, ob dolores inteſtinorum Opium frequenter capiens, demum apoplecticus mortuus eſt. Nunc autem auctior et emendatior in publicum prodeat hæc Sectio II, de qua non ſine aliqua fiducia ſpero, fore ut medici juniores et veterani, Opium nimis in deliciis habentes, ſi eam legere et lectam ſerio perpendere non detrectent, fructum in ſe redundare ſentiant, quod toto corde in ægrorum ſalutem exopto. Vratisl. die 10 April. 1777.

*) *Memoires ſur les parties ſenſibles Tom. IV. p. 128; in Elem. phyſiol. paſſim; et in Comment. Acad. ſcient. Goetting. Tom. VII. p. 14.*

CAPVT

CAPUT I.

Hæmorrhagiæ.

§. I.

Non alio fine ediſſerui juſto ordine omnia phænomena, quæ Opium in corpus ingeſtum inſequuntur, horumque ætiologiam tradere allaboravi in Operis mei Sectione prima, quam ut praxin medicam in exhibendo Opio certiorem et feliciorem facerem, conditionesque omnes accuratius determinare poſſem, quando in morborum curatione id vere indicatur; quando ab ejus uſu abſtinere præſtat; quando hic vere periculoſus et damnoſus deprehenditur. Huic ſane momento omni Sapientiſſimos Viros nondum penitus ſatisfeciſſe perſuaſus ſum, quare pro viribus jam dabo operam, ut conſideraturus potiores ægritudines, uſum et abuſum hujus remedii ex fundamentis hactenus ſtabilitis deductum, clariſſime oſtendam. Ita vero conſtabit evidentiſſime, tum nocere Opium ſemper, ubi effectus ejus per phænomena expoſita evenientes, ſive eos omnes velit Medicus, ſive nolit, non quadrant genio, et tempori, et aliis circumſtantiis morbi; juvare autem, ubi

Opium in Sanatione hæmorrhagiarum, a Practicis commendatur.

 ubi

ubi effectus illos volunt veræ indicationes therapevticæ. Initium tractationis faciam ab hæmorrhagiis, ad quas compeſcendas maxime ſi rebelles fuerint, omnes uno ore Medici Opiata commendant, ne illis adeo exceptis, qui alioquin eadem reformidant, et abeſſe pene ab apparatu medicinali cupiunt. Supervacaneum equidem videri poſſet, ex Practicorum ſcriptis huc facientia teſtimonia operoſe congerere, verum ut eo clarius conſtet, quantum Opio in ſanatione hæmorrhagiarum tribuatur, in medium producere aliquos haud tædet, eosque potiſſimum cum cura nominare expediet, quos ut duces ſuos ſequitur fere omnis hodiernorum Medicorum exercitus. Ut apud alios longe antiquiores, quos nunc miſſos faciam, ita apud RIVERIVM, ſi omnia capita, quæ de variis hæmorrhagiis is conſcripſit, evolvantur, nullum habebitur, quo peculiari ſuo encomio anodyna remedia haud condecorata legantur. *Excretiones ſanguineas Opiata potenter ſiſtere*, ſcripſit etiam WILLIS.[a]) Non minus *periculoſiores ſanguinis effuſiones per quæcunque loca, per alvum, per veſicam, per nares, per os, per uterum frequenter a vi Opii compeſci*, profitetur ETTMVLLERVS,[b]) plenaque laudibus pro hoc fine habentur ejus Opera practica. Opium quoque VALENTINI[c]) *hæmorrhagias ſedare* aſſeruit. Obloquens aliquibus qui aliter forte ſtatuunt, *totum orbem medicum credere*, dicit WEDELIVS,[d]) *Opium eſſe κολλητικὸν τῶν φλεβῶν adeoque ſanguinem ſiſtere, ut mane altero a prægreſſo illius uſu viſus fuerit conſiſtere, et exitum recuſare ſanguis, dum aperiebatur vena. Opium decore præparatum hæmorrhagiis adhibitum inſigniter conducere* aſſeruit SIMON PAVLI.[e]) *Magno damno hominum ut aliis morbis, ita et haemorrhagiis pene enectorum negligi*, DAN. LVDOVICI[f]) teſtatus eſt. *Evacuationi cuivis ita et ſanguinis, niſi adſit contra indicatio, ſubvenire Opium*, cenſuit THOMSON,[g]) idque *ſanguinis profluvia ſedare* etiam notavit

FREIND.

a) *Pharm. Rat. Part. I. p. 185.*

b) *Diſſ. de Vi Opii diaph. C. I.* §. 4.

c) *Muſ. Muſeor. p. 272.* §. 5.

d) *Opiol. p. 158.*

e) *Quadripart. Botan. p. 423.*

f) *in Pharm. moderno ſeculo applicanda p. 367.*

g) *Diſſertatio-num p. 126.*

FREIND. [h]) *Ut in morbis variis acutiſſimis ita quoque hæmorrhagiis deſperatis maximum uſum Opium præſtare,* dixit HECQVET. [i]) GEOFFROY [k]) *hæmorrhagias ab æſtuante ſanguine oriundas Opio compeſci* non minus aſſeverat, quare et illud in periodicis hæmorrhagiis, iis nempe, quæ ad ſolemnes evacuationes ſpectant, et ſanitati proſunt, non dandum eſſe præcipit. Non abhorrent ab horum omnium ſententiis præcepta Cl. HOFFMANNI, [l]) qui licet nunquam in exhibitione anodynorum liberalis ſit, tamen ubique, ſi haemorrhagia aliis cedere renuat, illa remedia admittit et commendat. Quin *Opium et Semen Hyoſcyami cum omnibus compoſitionibus, quæ hæc ingrediuntur, magna virtute gaudere* ait, *ſanguinem et omnes ſpecies hæmorrhagiarum ſiſtendi.* [m]) Atque in eo apprime ſibi conſentientem habet HEISTERVM, [n]) qui *in caſſum uſurpatis aliis ad Opiata confugiendum eſſe* dicit. Inter diſcipulos Magni BOERHAVII Cl. de GORTER [o]) in hæmorrhagiis ſanandis, poſtquam varia impetum minuentia allegavit, ad eundem finem facientia refrigerantia et abſorbentia, etiam Opiata citat. Deinde quoque Cl. SCHREIBER [p]) in hæmorrhagiis ex cauſa interna obortis ſanandis, remediis refrigerantibus Opium ad latus ponit. Non minus paſſim in Tractatu ſuo Opium hæmorrhagiis ſedandis idoneum eſſe remedium dicit YOUNG, ſuumque cum aceto acerrimo præparatum exhibuiſſe hæmorrhagiis laborantibus refert. [q]) Dum vires Opii in morbis variis recenſet, hæmorrhagiarum quoque non obliviſcitur ALSTON, [r]) paſſimque ad has compeſcendas valere hoc pharmacum affirmat, eapropter et uſum in ſalutaribus ſanguinis profluviis abeſſe debere monet. Satis opinor, jam patet, quam unanimi conſenſu peritiſſimi Viri ſibi pulchros effectus in hæmorrhagiis coercendis ab Opio promittant. Sed plura dicam! Ipſe infenſiſſimus Anodynorum alioquin hoſtis Celeb. STAHLIVS cum omnibus aſſeclis eadem in gravioribus ſangui-

h) *Emmenol. Cap. XIV. p. 139.*
i) *p. 247. 248.*
k) *Mat. Med. Tom. II. p. 695. et 710.*
l) *videantur in ejus Med. Syſt. omnia Capita de hæmorrhagiis.*
m) *Med. Conſult. Tom. IV. Germ. p. 253.*
n) *in Comp. Med. Pract. C. VII. §. 12.*
o) *Comp. Med. p. 139. §. 24.*
p) *in introductione germanica ad cognoſcendos et curandos morbos Sect. II. c. 24.*
q) *p. 174. ſeq.*
r) *l. c. Sect. III. init. et circa finem Sect. IV. in fine.*

ſanguinis eruptionibus exhibenda ſuadet; namque in omnibus generibus earum apud NENTERVM, ALBERTI, IVNCKERVM et alios poſt pulvillos temperantes incaſſum datos, crocum martis, ſpec. de hyacinth. et MP. de cynogloſſa commendari nemo ignorat. Neque ignotum eſt, ad compoſitiones ſpecificas remediorum hæmorrhagiis cohibendis deſtinatorum, præcipue narcotica tracta fuiſſe, quo nomine celebris eſt HEVRNII pulvis, quem in Commentariis ad aphoriſmos HIPPOCRATIS [s]) deſcripſit, ex adſtringentibus ſemineque hyoſcyami et papaveris præparandus, ipſique HOFFMANNO probatus. [t]) Magnæ quoque famæ ſemper fuit potio SYLVII poſt aquas falſo pro adſtringentibus habitas, corallia, lapidem hæmatiten, et acetum, laudanum Opiatum complectens, quam non ſemel ut ab HOFFMANNO *) ita et HEISTERO [u]) laudatam memini. Sylvianæ prorſus ſimilem potionem, ſaltem ſine aceto, et loco aquarum fatuarum ſuccum millefolii depuratum recipientem, laudanique granis iij prægnantem, in hæmorrhagiis ſemper præſto eſſe debere, et reliquis pharmacis non reſpondentibus exhiberi, vult PITCARNIVS. [x])

s) *lib. V. aph. 50.*
t) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. I. c. 5. p. 117.*
*) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. I. c. V. p. 113.*
u) *in Comp. Med. Pract. C. VIII. §. 13. et in Obſerv. Medico-Chirurgicis multis locis.*
x) *Elem. Med. lib. II. c. XVIII. §. 33. 44.*

§. II.

Hæmorrhagiarum ingenium, et ad earum Therapiam facientes veræ indicationes.

Temerarium videri poterat, et prorſus paradoxum, tot in arte exercitatiſſimis Viris, et pluribus hercle a me non nominatis, ſuffragiis ſuis in eandem ſententiam unanimiter conſpirantibus contradicere. Sed juvabit reſpicere accuratiſſime ad phænomena generalia ab Opio ſumto evenientia, geniumque hæmorrhagiæ, cauſarumque ejus et verarum indicationum indolem cum illis phænomenis ſedulo conferre; tuncque conſtabit inconcuſſa veritas caſtæ experientiæ practicæ omnino concors. Omnis hæmorrhagia non ab inſtrumento lædente extrinſecus admoto oriunda, (nam talis potius ad chirurgiam ſpectat) ſed ab internis cauſis prognata, ponit primo vaſorum loci affecti laxitatem nativam, vel mala diæta aut morbis prægreſſis inductam,

vel

vel ſaltem præ partibus aliis minus robur nativum, id eſt diſpoſitionem partis præviam. Neque hæmorrhagia fit, niſi vaſa hæc diſpoſita, id eſt, aliis minus fortia, vel ſolutionem continui patiantur ſubito, vulnusque adeo exhibeant, vel erodantur ſenſim, vel dilatentur ultra ſuetam diametrum, quod maxime arteriis ſecundi generis evenit, ſanguinem tum loco ſeri ſui admittentibus et emittentibus, per oſcula nimis hiantia. Veteres non male organica vitia *ἀναστόμωσιν*, *διαπήδησιν*, *ῥῆξιν* et *διάβρωσιν* allegabant, licet circuli vitalis ignari eſſent. Hæc triplex conditio vaſorum a me adducta, ſine qua nulla hæmorrhagia poſſibilis eſt, neceſſario ponit cauſam continuitatem vaſorum ſolventem, ea erodentem, et dilatantem. Cauſa hæc eſt ſanguis ipſe nimius, rarefactus, diſſolutus, acris, determinatus præcipue in partem affectam magis, quam in alias. Huc autem determinatur vel a ſtimulo heterogeneo quovis, reſidente in ipſa parte affecta et affluxum alliciente, vel ab impetu majore humorum in partem illam excurrente. Impetus major fit aut per motum univerſalem circulatorium auctum, aut per ſpaſmum, aut per obſtructionem aliarum partium. A ſpaſmo nempe (quem fere ſemper in omnibus partibus externis dominantem occaſionem dare hæmorrhagiis putat HOFFMANNUS *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 6.*) dum coarctata ſunt, aut ab obſtructione occluſa aliarum partium vaſa, per quæ libere ferri debebat ſanguis, manente priſtina ejus mole, is non minus majori impetu ruit ad partem affectam debilem, in qua ſupponitur minima reſiſtentia ac a circulo aucto, ibique per rupta, eroſa, diducta vaſa prorumpit. Atque ad hæc enarrata momenta redit omnis ſpecies hæmorrhagiarum, quæ a plethora, diæta lauta, calida, acri, a motu corporis nimio, febre, oriuntur; et acrimonia varia, ſcorbutica, morbilloſa, varioloſa, peſtilentiali atrabilaria, eryſipelacea, epidemica ſpecifica laborantibus; deinde debilibus, ſenſibilibus, ad ſpaſmodicos motus proclivibus,

 tandem

tandem viſcera obſtructa habentibus, hepaticis, lienoſis, tuberculis pulmonalibus adfectis, adeo familiares obſervantur. Ex horum omnium conſideratione jam conficitur, ſi cohibitionem hæmorrhagiæ nil vetat, quando nempe non critica eſt, gravioresque ægritudines avertere apta, eo in cura reſpiciendum eſſe, ut vaſa ſanguinem plorantia ſeſe coarctent et claudant. Verum ut hoc impetretur, pro differentia cauſarum enarratarum primariae intentiones erunt: *1. plenitudinem minuere*, 2. *impetum moderari et revellere*, 3. *acrimoniam corrigere*, 4. *irritamentum hærens in parte affecta delinire et tollere*, 5. *ſpaſmos ſopire*, 6. *obſtructiones reſerare*, de quibus omnibus dicetur in ſpeciali hæmorrhagiarum tractatione. His adduntur quidem vulgo aliæ adhuc indicationes de incraſſandis humoribus, ne hi elabi facile per ora vaſorum queant, et de adſtringendis et occludendis vaſis, ne eruptionem ſanguinis permittant. Verum licet communis praxis coagulantium et adſtringentium uſum in hos fines valde urgeat, iis tamen potiri ſollicita illorum adhibitione neutiquam datur. Sane hæc talia utut ſæpe juvent, ſi immediato contactu agant in vaſa læſa externa, tamen ne quidem ſemper juvant, multo minus autem hæmorrhagiæ medentur, ſi interno eorum uſui committatur vaſis adſtrictio, vel liquidi coagulum. Eleganter Illuſtr. *van* SWIETEN[a]) *Si hæc remedia*, inquit, *dum ſanguini immiſta per vaſa fluunt, has vires haberent, an non prius conſtringendo pulmonis vaſa minima, vel coagulando ſanguinem mortem inducerent, impedito ſanguinis per pulmonem tranſitu, antequam ad locum affectum pervenire poſſent.* At vix fluunt per vaſa ore aſſumta adſtringentia et incraſſantia, ac coagulantia; ſi enim hac virtute vere pollent, prima actione ſua obſtruunt et conſtringunt vaſorum lacteorum venularumque abſorbentium in inteſtinis oſtiola, atque ita ſibi ipſa portas occludunt, per quas ad ſanguinis oceanum pergere deberent. Sique dilutum ſatis cum largo vehiculo adſtringens in vaſorum ſyſtema

a) *Comment. ad aph. Boerh.* 219.

ma admittatur, adductis et ad conſtrictiones ſollicitatis iis, quæ primo attingit, ſæpe augebit impetum circuli, ut martialia omnia evidenter faciunt, atque majori adhuc copia ad partem adfectam debilem ruere ſanguinem faciet. Saltem talia durante hæmorrhagia exhibita non facile proderunt, tantoque minus, quo major eſt morbi impetus. Sedata autem eadem ejusmodi remediis pars affecta roboranda eſt, ne malum revertatur.

§. III.

Opii vires imaginariæ in coercendis hæmorrhagiis confutatæ.

Jam his omnibus præmiſſis ſollicite inquirendum eſt, quid pro impetratione indicationum, quas ſuppeditavi quæque ſolæ genuinæ ſunt in medela fluxuum ſanguinis, ſperare liceat ab Opio, ejusque effectibus in corpus humanum, per expoſita phænomena notis. Sed antequam huic inquiſitioni me accingam, videamus paucis, quid ſibi inde promiſerint Clariſſimi Viri. Exiſtimant quidam cum WEDELIO [a]) humorum acrimoniam corrigendo Opiata conſulere poſſe hæmorrhagiis, eam nempe incraſſando. Quotusquisque vero ſerio attendens credet, maſſæ toti omnium humorum acri ſuppoſitæ, reſpondere incraſſans ad granum forte unum exhibitum? Quotusquisque medicorum neſciet, omni ſpecificæ acrimoniæ deberi ſuum ſpecificum antidotum, cum univerſale omnes acrimonias corrigens detur nullum, niſi fuerit emolliens et demulcens? Opii vero emollientem et demulcentem vim probaverit nemo, neque ſpecificam ejus vim vel uni ſpecificæ acrimoniæ adverſam aliquis facile adſtruxerit. Imo vero, quomodo remedium ſanguini fervorem inducens, venerem ſtimulans, pruritum in cute excitans, atque in ſe vere acre et urens, incraſſans haberi et corrigendæ ulli acrimoniæ ſervire queat, vix bene capitur. Multi boni viri Opio vim eſſe figendi et coagulandi ſanguinem exiſtimarunt, ut in ſuperioribus ſub Experientia II. expoſui; igitur non mirum eſſe, *quod ſanguinem et reliquos humores quodammodo ſpiſſiores reddendo Opium hæmorrhagias*

a) *Amœnit. mat. med. p. 505. 506.*

b) *Muſ. muſ. p. 272. §. 5.*

c) *Mat. med. p. 505. 506.*

d) *Sect. III. §. 9. et 12. circa finem.*

e) *Diſſertationum p. 126.*

f) *Emmenol. Cap. XIV. p. 139.*

gias ſedet, edixit VALENTINI. b) Eousque autem Opiata eſſe κολλητικά, fluxilitatem ſanguinis figentia, atque iſchæma ſibi perſuaſit WEDELIVS, c) ut poſt eorum uſum ſanguis e vena ſecta minus fluxiſſe ab eo obſervatus ſit. Inter recentiſſimos ſcriptores ALSTONVS, d) qui pro virtute Opii ſanguinem coagulante totus militat, et attenuantem non vult agnoſcere, ab illa omnem fructum in hæmorrhagiis deducere videtur, quando aſſerit, impoſſibile fore, ut adeo proſperos effectus in illis ederet Opium, ſi vere ſanguinem attenuaret. At vero primo falſa eſt vis Opii ſanguinem inſpiſſans, cum certo rarefaciente et attenuante humores potius inſtruatur; ſi vero etiam per hypotheſin ſanguinem inſpiſſaret, vanum tamen eſſet inde expectare conſopitionem hæmorrhagiarum, ut in fine §i antecedentis monui. Doctiſſimus THOMSONVS et FREIND a virtute diaphoretica Opii, quæ non gratis ſupponitur, ſed utique veriſſima eſt, vim ejus hæmorrhagias cohibendi deducunt. Prior *evacuatione largiore per ſudorem aut diaphoreſin conciliata, depleri ſanguinis vaſa* memorat, e) *indeque quod reliquum eſt quantitate diminutum ex arteriis expeditius tranſire in venas, ſicque evacuationem ſiſti* dicit. Poſterior *perſpiratione largius provocata, et humoribus per poros cutis evacuatis, fieri a parte affecta revulſionem* autumat. f) Doleo vero ego, non conſideraviſſe egregios Viros, Opium ad propriam ipſorum mentem eſſe diaphoreticum admodum calidum, ſanguinemque incitans et expandens, omniaque talia ſive conſiderentur ut diaphoretica ſive minus, diſſuaderi potius a practicis ſagacibus in hæmorrhagiarum medela. Non neſcire hi poſſunt, diaphoreſin ab Opio evenientem maximam partem eſſe effectum antea ab eodem Opio accelerati circuitus, rarefactique ſanguinis. Si ergo ponamus hæmorrhagiam ab augmento circuli et orgaſmo oriundam, in curatione ejus id medicamentum, quod neceſſaria ſua actione circulum et orgaſmum auget, talem hæmorrhagiam potius debebit intendere,

tendere, quam minuere per diaphoreſin poſt motum ſanguinis celeriorem & orgaſmum inductum, demum enaſcentem. In hoc igitur caſu antea faciendum eſſet malum, ut deinde eveniret bonum. At vero, quodſi etiam bonum malo ex quo oriretur eſſet majus, ſane hæc diaphoreſis, ut ipſi Cl. Viri contendunt, non niſi revellendo curaret hæmorrhagiam. Non negari igitur poterit, meliora fore alia evacuantia, æque revulſionem præſtitura, quæ agunt ſine aucto circulo, ſine inducto orgaſmo, qualia ſunt VS. et purgatio antiphlogiſtica. His per experientiam multum boni præſtatur in hæmorrhagiarum ſanatione, ergo omnino omni reſpectu merebuntur Opio præferri, tantoque magis, quo magis Opium agens eorum actioni circulum et orgaſmum, dum revellunt, ſimul minuenti e diametro contrariatur.

Verum forte audiendi erunt illi, qui prodeſſe Opium in ſedandis fluxibus ſanguinis aſſerunt, *quod furibundos ſpiritus coerceat, et motuum exorbitantium impetus pacet*, ut WEDELIO,[g] VALENTINI,[h] ETTMVLLERO paſſim, HECQVETO, qui toties ad erethiſmum nervorum ſedandum Opium extollit, multisque aliis videtur. Secundum hæc principia Opium univerſale habetur omnium excretionum, omnium motuum exorbitantium in corpore frænum. Sed ſatis per phænomena in antecedentibus conſtitit, Opium coercere potiſſimum eas excretiones, quæ extra leges circulantium humorum locantur, non alias, excretionemque ſudoris movere, moto celerius per vaſa ipſo ſanguine; atque idem pharmacum quosdam motus ſaltem non omnes coercere, quosdam vero potius intendere. Princeps ſæpe in medela hæmorrhagiarum indicatio eſt, circulum humorum motumque adeo cordis et arteriarum debilitare, id quod autem ab Opio impetrare haud licet. Commendant equidem hoc et eum in finem ſat multi. WEDELIVS[i]) aliquoties laudatus, dum non uno titulo Opium laudat, ſed polychreſtas ejus vires iſchæmas extollit, id *impetum exituri ſanguinis* *coercere*

g) *l. c.*

h) *Muſ. muſ. p. 272. §. 5.*

i) *Amœn. mat. med. lib. II. Sect. II. c. 19. p. 505.*

coercere et figere dicit. WILLISIVS [k]) in hæmorrhagiis hypnotica et opiata convenire affirmat, *ad cor vehementer nimis pulſans ſufflaminandum.* ETTMVLLERVS Opium hæmorrhagias reprimere dicit, *quod ſanguinis impetum motivum nonnihil cohibeat.* [l]) Cum his facere omnino debent medici omnes, qui in ea verſantur ſententia, Opium reapſe vires circulantes compeſcere et minuere, ac ſimul refrigerium ſanguini inducere, quorum catalogum ſub experientia I. et II. in ſuperioribus adduxi. Illi quippe vi hujus hypotheſeos cum Cl. GEOFFROY [m]) pro tardo pulſu ab Opio reddito militantes, prona conſequentia urgere coguntur, Opium hæmorrhagias ab æſtuante ſanguine oriundas ſiſtere. At vero accuratiſſime conſiderata phænomena ab Opio deglutito emergentia luculenter docent, Opium circuitum ſanguinis accelerare et calorem intendere; quare in omni hæmorrhagia, quæ a circulo aucto et calore pendet, æque abſonum erit porrigere Opium, quam commendare vinum, ſpiritum vini et ſalia volatilia. Atque ex his ſimul patet, minus appoſite uno eodemque tempore, una eademque formula, ubi nempe ſola intentio de circulo minuendo et orgaſmo temperando, nullaque alia locum habet, exhiberi ægro conjunctum nitrum et Opium, quamvis hoc in praxi quotidiana præeuntibus magni nominis artificibus ita fieri ſoleat. Ego veritati litans unice, palam ajo, Opium potius proritare et augere poſſe hæmorrhagias, tantum abeſt, ut minuat; atque ut hoc meum aſſertum ſuum valorem adipiſcatur, vrgeo ſemel iterumque, id, licet communibus placitis repugnet, ſuperſtructum eſſe experientiis generalibus, effectus Opii in corpus ſemper ſibi ſimiles docentibus. Nemo mihi opponat obſervationes practicas ſanatarum hæmorrhagiarum ſub uſu Opii; caſu quippe, dum aliorum ſimul adhibitorum pharmacorum actio actioni Opii præpollebat, hoc tum non nocuit, quando vere haud profuit. Evictiſſimas experientias propoſui in ſuperioribus, Opiumque aut

k) *Pharmaceut. rat. Part. II. Sect. III. cap. II. p. 217.*

l) *Diſſ. Cap. I. §. 15.*

m) *Mat. med. Tom. II. p. 695.*

deſinere antea debet eſſe Opium, aut motum et calorem dum certo auget, motui nimio et calori debitis hæmorrhagiis auxilium adferre nequit. Neutiquam fallor, ſalva res eſt! Magnique adeo Viri, dum ſuis ſententiis ipſi contradicunt, veritatem quam propono, ſimul egregie præter voluntatem ſuam confirmant. Auſcultemus pauliſper THOMSONO, quem pro Opii virtute hæmorrhagias ſiſtendi militantem antea in medium produxi, qui tamen ipſe ſequente pagina id confutat, quod in antecedente aſſeruerat. *Tantum abeſt,* inquit, *ut Opium re vera adſtringat, ut potius fluxus, qui a ſanguine expanſo fiunt, moveat; hinc optimi exiſtit uſus in partu et puerperiis pellendis. Neque id medicis expertis ignotum. Egomet Opio puro, nulla mixtura peregrina adulterato, feliciter aliquoties rem expertus ſum. Neque dolor urgebat quiſpiam, ut eidem leniendo inſerviret, aut inde deſumeretur indicatio. Neque mirum, cum haud alia verum fortiori operetur ratione, cum caſtoreo, borrace et hujusmodi volatilibus aliis, quæ ſanguine expanſo puerperia movent.* [n]) n) *Diſſ. p. 127.* Prorſus eadem ratione FREIND, *cum ſanguine attenuato fiat uberior ſpirituum generatio, et proinde impetus cordis fortior, augeaturque ad vaſa plenitudo, menſes et lochia provocare Opium* ſcribit. [o]) Liceat mihi cum THOMSONO o) *Emmenol. Cap. XIV. p. 139.* et FREINDIO, quorum ſane aſſerta hic adducta cum eorum antea a me memoratis minime conciliari poſſunt, ſimul in medium producere ſibi etiam contrarium HECQVETVM. [p]) p) *p. 247. 248.* Collaudat hic Opium in acutiſſimis et deſperatis hæmorrhagiis, et circulum refrænare paſſim dicit, interim tamen alibi WEDELIO haud adſtipulatur, et non *κολλητικὸν τῶν φληβῶν*, ſed verius multo *ἀναςομωτικὸν τῶν φληβῶν* Opium ſalutans, ita ſcribit: [q]) *accuſatio vulgaris contra Opium,* p) *p. 184. 185.* *quod figat ſanguinem, quod illum cohibeat, quod retardet circulationem, evidenter falſa eſt, quoniam poſt motum majorem quem ciet in ſanguine, cujus ſudor ſufficiens teſtimonium eſt, dubitari nequit, quod Opium non rarefaciat potius ſan-*

guinem quam condenſet. Obſervarunt adeo practici, quod inflammet faciem, aut quod minimum illam extraordinario rubore tingat; alii quod aperiat vaſa, quare mictum cruentum cauſatur, imo vero quod excitaverit hæmorrhagiam lethalem aperiendo venam altera die poſt phlebotomen datum. Hæc phænomena an probant, quod Opium vaſa claudat, aut potius quod aperiat et exitum ſanguinis proritet? Certe in curatione chloroſeos ſapienter mixtum cum aloe, marte et ſimilibus aperitivis evacuationem menſtruam deficientem inſtaurat. Equidem fateor ego, quæ de mictu cruento deque vena aperta poſt phlebotomen ab Opio habet HECQVETVS ex HOFFMANNO [r]) et BORELLO, [s]) non ita comparata eſſe, ut plenam fidem ſtatim promereantur, cum fallaciam non cauſæ ut cauſæ videantur arguere, unde et bini hi caſus recte refelluntur a SIMONE PAVLI [t]) et WEDELIO. [u]) At vero ſi poſt phænomena, quæ evidente et conſtante experientia monſtrant, Opium accelerare circuitum, ſanguinemque rarefacere et calefacere, certum ſimul per experientiam eſt, Opium eſſe remedium emmenagogum; ariſtolochicum et antichloroticum, certum etiam opinor erit, Opium non convenire hæmorrhagiis, a moto, rarefacto, calidoque ſanguine excluſis et ſuſtentatis; namque talibus caſtoreum, borracem et aloen, quibus par virtus eſſe dicitur a THOMSONO et HECQVETO, ac ipſi Opio, nemo bonus practicus facile oppoſuerit. Addo adhuc, crocum per experientiam menſes et lochia movere, et largiore quantitate datum nimiam ſanguinis expanſionem, narcoſin et hæmorrhagias exorbitantes teſte Cl. CARTHEVSER [x]) excitare: quando nunc inter crocum et Opium multorum effectuum in corpus intuitu ſumma datur analogia, ad hæmorrhagias proritandas etiam Opium par futurum, et vim ſuam ἀναςομωτικὴν, (a LINDESTOLPIO [y]) coagulum ſanguinis ab Opio ſupponente, gratis in dubium vocatam,) exerciturum erit. Namque ſi Opium, turgore ſan-

r) *Lib. II. de medic. offici-nal. c. 169.*

s) *Cent. IV. obſ. 57.*

t) *Quadrip. Bot. p. 421. 422.*

u) *Opiol. p. 158. 159.*

x) *Mat. med. Part. I. ſect. XI. Cap. IV. §. 5.*

y) *De Venenis. p. 610.*

ſanguini inducto et motu ejus progreſſivo celeriore reddito, valet efficere, ut plethora menſtrua excluſa is per arterias uterinas ultimas elabatur, poterit etiam efficere, ut plethora alia poſita elabatur per partes alias, ſi harum vaſa ponantur habere in corpore minimam reſiſtentiam atque ita conſtituta, ut exitum facile concedant. Mirum eſt, Cel. GEOFFROY Opio vim adſcribere ſiſtendi hæmorrhagias a ſanguinis æſtu exortas, ut dixi, et tamen alibi [z]) expreſſis verbis id non dandum velle illis, qui ſummam patiuntur ſanguinis plethoram, ne a ſubita ſanguinis expanſione hæmorrhagia ſuperveniat. Quodſi igitur hæmorrhagia a ſanguinis æſtu et expanſione ſummaque plethora jam adſit, an tum quadrabit Opium et ſiſtet hæmorrhagiam, quam per easdem cauſas ciere aptum habetur? Nonne clarum eſt, duo hæc aſſerta Cl. Viri inter ſe pugnare? Cel. YOUNG pulchre docet, durante ſomno naturali, totum corpus intumeſcere; humores accumulari, attenuari, rarefieri, plethoram aliquam ingenerari; omnia incommoda a plethora pendentia augeri, quare et hæmoptyſis ſæpius matutino, quam alio quovis diei tempore, ingruat. [a]) Cum igitur effectus Opii in corpus eosdem eſſe, imo vero majores, ac ſomni naturalis, paſſim aſſerat et probet, diſſuadere omnino Opium debuit pro curatione hæmorrhagiarum, quippe quæ inde facilius evenire et ingraveſcere queunt, quam a ſomno naturali. Unica ergo earum cauſa excepta, quam in ſequentibus videbimus, adhibitioni ejus prorſus contrariatur. Capite 40. de remedio quodam opiato loquens, ſincere fatetur, ſe id primo pro utili declaratum contra hæmorrhagias ſemper in promptu habuiſſe, ſed uſu ejus ſæpius fuiſſe deceptum. Sufficit Ill. BUCHNERO [b]) auctus ab Opio motus progreſſivus et vis ejus ſtimulans concluſioni, faciles inde futuras hæmorrhagias. Quomodo igitur ſecus ſentientes vim iſchæmam ejus probare

z) *mat. med. Tom. II. p. 710.*

a) *Tr. de Opio practicis obſervationibus ſuperſtructo c. II.*

b) *Diſſ. de Opio §. 49.*

queant his poſitis et ſtantibus iis omnibus, quæ ego adſtruxi hactenus, ipſi videant.

§. IV.

Opii Vires iſchæmæ veræ, valde limitatæ.

Nos quando retroſpicimus ad §. II. ſtabilitas generales et veras indicationes therapevticas hæmorrhagiarum, atque quando ex §. III. modo dictis intelligimus, Opium nec coagulum inducere ſanguini; nec diaphoreſi mota juvare; nec plenitudinem minuere et revellere; nec acrimoniam ſanguinis corrigere; nec ſpiritus ſiſtere univerſaliter; nec circulum debilitando moderari impetum; idque inſuper obſtructionibus viſcerum reſerandis vix deſtinari poſſe perpendimus; multas et præcipuas intentiones illico cadere videmus, ſub quibus Opium dicari poſſet hæmorrhagiarum prudenti medicationi. Nulla igitur vera indicatio amplius ſupereſt ex omnibus adductis, quam illa, quæ ſpaſmos ſopire, et irritamentum in parte affecta hærens delinire jubet. Atque ſub his conditionibus ſolis quadrabit Opium hæmorrhagiarum ſanationi, nunquam aliter. Hinc vero toties juvat, quando doloroſa ſenſatio concurrit, aut ad minimum tenſio membranoſarum partium, qua verſus locum, ubi ſanguis erumpit, ejus nixus urgetur; vel quando in parte illa, cujus vaſa ſanguinem eructant, aliquid adeſt, quod ea vellicat et coarctationi eorum obicem elabenti ſanguini poſituræ reſiſtit. Atque hoc ipſum momentum practicum prae multis aliis magnis practicis promiſcue Opium ſanandis hæmorrhagiis deſtinantibus, et ad cauſas earum non ſemper bene attentis, quamvis non ubique ad id reſpiciens, tamen intellexiſſe videtur ETTMVLLERVS. [a]) *Hæmorrhagias*, inquit, *reprimit Opium ſenſum in parte, ex qua effluit ſanguis, vellicantem mitigando, adeoque* (pulcherrimum dictu) *illis ſaltem hæmorrhagiis proprie convenit, quæ occaſione ſenſibilioris irritationis aut excitantur, aut continuantur, aut ſaepius recidivant, quas inter acrior ſanguis non ultimas tenet, vel quæ occaſione inordinatorum ſpaſmorum in vaſis ſanguiferis ſubinde*

a) *Diſſ. de virtute Opii diaph. Cap. I. §. 15.*

inde accidunt. Bene quoque JONES fluxiones ab alicujus partis ſenſibilis irritatione pendentes compeſci Opio ſcripſerat, quod aſſertum merito ad ſanguinis fluxiones extendendum eſt. Sed multo accuratius hoc arduum momentum introſpexit et dijudicauit YOUNG.[b]) Poſtquam nempe antea edixerat, ſe Opii in curatione hæmorrhagiarum adhibitione ſaepius fuiſſe deceptum, ita loquitur: *tamen illæ hæmorrhagiæ, quæ per irritationem ſuſtentantur et augentur, vere per opium, qualicunque modo præparatum, magis quam per vllum aliud remedium inhibentur, ita, vt ad minimum id optimum pharmacum tum eſſe videatur; quo ipſo ego ſine dubio deceptus ſum, vt aliquam præparationem Opii pro ſpecifico haberem, quod autem vere tum ſaltem evacuationem ſanguinis minuit, quando irritationem lenit, quæ ut cauſa ipſam producit.* Rectiſſime etiam GEOFFROY, licet perperam antecedente pagina aſſeruiſſet, Opium hæmorrhagias ab æſtuante ſanguine oriundas ſiſtere, illud *quasdam hæmorrhagias* cohibere affirmat *mat. med. Tom. II. p. 696.* quod ſub ea reſtrictione quam urgeo, omnino verum eſt, vix autem aliter. Atque hæc de Opii uſu in hæmorrhagiis in genere conſideratis ſufficiant. Jam brevibus percurram omnes earum ſpecies, atque ubique poſthabitis aliis ſcopis, quibus neutiquam ſatisfacere aptum eſt Opium, præcipue ad bina hæc momenta, nimirum ſpaſticas ſtricturas in remotioribus partibus ſanguinem ad locum affectum copioſius determinantes, irritationemque in ipſa parte affecta, ſollicite attendam, largiarque et probabo, ſi alia remedia ſedantia blandiora, quæ nil vitii illius habent quod Opio ſimul adhæret, id eſt, quæ ſanguinem non ſimul commovent et turgere faciunt, non ſufficiant, omnino Opio ſedativorum ſummo opus eſſe, niſi forte contraindicaverit debilitas ſumma. Exulare enim tum Opium volunt practici circumſpecti fere omnes, atque non ſine gravibus rationibus. Non equidem metuendum eſt cum WILLISIO c)

b) *l. c. C. 49.*

c) *Pharmaceut. Rat. Part. I. Sect. VII. c. II. p. 93.*

ne

ne ſtatim cordis molimini, ſanguinis rivum perexiguum et præ exiguitate vix continuum laborioſius volventi, ſufflamen et remoram imponant Opiata; nam Opium vires cordis certo auget. Verum eapropter id non convenit, quia vires animales et naturales minuit, atque per ea quae Sect. I. Cap. VI. §. 3. adſtruxi, debilibus et debilitatis tuto exhiberi nequit.

§. V.

Hæmorrhagia narium.

In ſpeciali hæmorrhagiarum tractatione initium facio ab *hæmorrhagia narium.* In ea ſananda favent certe Opio practici ad unum omnes, hoc remedium vel majore affectu, vel mediocriter amantes; quin hoſtes ejus Stahliani MP. de cynogloſſa permittunt et exhibent. Quantum et veteris ævi, et ad recentius vergentis medici Opio dederint, conſtare poteſt ex PISONE, qui ſi neceſſitas vrgeat, hyoſcyamo, Opio et Opiatis recentibus utendum dicit. [a]) Inter recentiores RIVERIVS, [b]) ſi affectus hic fuerit contumaciſſimus, aliis omnibus irritis, ad narcotica veniendum eſſe, laudanumque ad grana tria vel etiam quatuor tum exhibendum principem locum obtinere, ſine conditione ulla quoad cauſæ differentiam addita docet, ſaltemque cavendum eſſe monet, ne ægro valde debili exhibeatur, calorque nativus (ex hypotheſi nempe de frigida qualitate Opii) non prorſus ſuffocetur. Tali quoque hæmorrhagiæ pertinaciſſimæ, ægro licet jam ſatis debili exiſtente, cum brevi deinde moreretur, LENTILIVS [c]) oppoſuit electuarium, cui inerat ſemen hyoſcyami et philonium romanum; atque poſtea potionem cum bolo armena, ſanguine draconis, lapid. hæmat. et laud. opiat. Ita quoque Cl. HEISTERUS [d]) ſtudioſis duobus narium hæmorrhagia laborantibus dedit potionem cum aceto deſtillato et laudano opiato et alteri adhuc pulverem, ſem. hyoſcyami habentem. Narcotica in deſperatis caſibus non contemnenda eſſe etiam edixit Celebris Chirurgus BELLOST. [e]) Ipſe HOFFMANNVS perſiſtente pertinacius va-

a) *de cognoſc. et curandis morbis lib. I. c. 47. p. 285.*

b) *Operum in fol. p. 230. B.*

c) *Miſcell. I. p. 164.*

d) *Obſervationum medico-chirurg. 207. et 511.*

e) *Chirurgien d'Hopital Pharmac. Chirurg. c. 5.*

validiore ſolidorum impetu aliquot grana MP. de cynogl. offerri jubet. [f]) In ſenum adeo hæmorrhagiis narium CeLeb. FISCHER [g]) non diſſuadet VSnem et ſcarificationes; interim, quod mirum, Opii uſui provido et alvum ſubducentibus plus tribuit. Facile mihi foret ire per practicorum ſcripta numeroſiſſima, atque plura teſtimonia adferre, quantum illi Opio in fluxu ſanguinis e naribus tribuerint. Sed adducta ſufficientia ſunto. Nil iam dicam, in quavis hæmorrhagia narium ante omnia ſerio cogitandum eſſe, an illa vere cohibenda ſit, an minus, ne damna gravia intempeſtive conſopitam inſequantur. Bene quippe criticam a ſymptomatica et morboſa diſtinxiſſe juvat, multumque intereſt ſerio cogitaviſſe, morbos capitis graviſſimos, febresque et deliria febrilia hæmorrhagia narium et præcaveri, et ſolvi ſæpe, quæ omnia toties HIPPOCRATES pater in *aphoriſmis* et *coacis prænotionibus* inculcavit. At vero quando, his probe ut decet penſitatis, ſiſti quoque talis hæmorrhagia poſtulat, cum quandoque, licet non ita frequenter, ex unica forte narium arteriola tantum cruoris profundatur, vt ni opportuno tempore flumen conquieſcat, aut cachexiæ et hydropi aditus pandatur, aut ſyncope, ſingultu et convulſionibus ſupervenientibus moriatur æger, quæſtio naſcitur ſeria, an inter alia remedia ſanguinem ſiſtere apta, Opium eundem in finem exhibere conveniat. Opium per experientias I. II. III. V. accelerat circulum; ſanguinem calefacit et rarefacit, rarefactumque copioſius determinat ad caput; an, dum poſito accelerato circulo, poſito calore ſanguinis, poſitaque determinatione ejus ad caput, toties hæmorrhagia narium excluditur, hæc eadem omnia vult vera ejus medela? an contrarias potius indicationes formare jubet? Sane per illas experientias vel ſolum Opium habile potius judicari debebit ad ciendas hæmorrhagias narium, quemadmodum in diſpoſitis analogi vini potus illas ciet, atque vere easdem per Opium ingigni experientia loquitur. Teſtis idoneus eſt

f) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. I. c. I. p. 17.*

g) *de Senio ejusque morbis Cap. II. § 28.*

HOFFMANNVS, qui de ſanguinis rarefactione et determinatione majori per arterias ad caput, impeditioreque hujus reditu per venas verſus cor ab uſu Opii verba faciens, exinde etiam perſpicuam eſſe rationem dicit, quare poſt Opiata turgeant et inflata ſint capitis vaſa, facies rubicunda evadat, et hæmorrhagiæ narium quandoque inſequantur. [h]) Mirum ergo, ipſum hæc bene intelligentem nihilominus in *Medicina ſyſtematica*, nil juvantibus emulſionibus papaveraceis, perſiſtente pertinacius validiore ſolidorum impetu, deſcendendum voluiſſe ad efficaciora, ad aliquot grana MP. de cynogloſſa. Rectius, crediderim, cum et Cl. BÜCHNERVS Opium, quia congeſtiones ad caput facit, quia motum progreſſivum ſanguinis auget atque ſimul ſtimulante vi inſtruitur, per ſe facile hæmorrhagias narium proritare poſſe affirmet, [i]) id minus idoneum in hoc morbi genere remedium habebit medicus ſagax, imo vero potius et noxium, et aliis indicatiſſimis remediis contrarium ſtatuet. Quid enim! nonne nitroſis et acidis, quæ toties orgaſmum refrænando juvant, eum inducendo contra nititur Opium? Nonne operationem felicem et citam VSis revulſoriæ, pediluviorum, alvumque laxantium, quibus humorum nixus optime a ſuperioribus corporis partibus avocatur, turbat et bonam partem eludit, impetum eorum ad caput determinando, alvique ſimul ſeceſſum retardando? Nonne abſonum eſt, epithematibus refrigerantibus externe uti pro appulſu humorum ad ſuperiora infringendo, et interne dare remedium, quod appulſum eo vergentem denuo cieat? Nonne ergo Opium pugnat cum omni pharmacorum ſupellectile, qua hæc ægritudo oppugnanda eſt, quicquid etiam boni de illo ſibi promittant practici? Ego certe, ex quo hæc bene intelligere incepi, neglexi penitus Opium, quoties mihi hæmorrhagia narium ſiſtenda obvenit; atque non raro miſſo eo, illam etiam valde impetuoſam obedientiam præſtitiſſe VSi ſi opus repetitæ, acidis, nitroſis, emulſionibus, purga-

tioni-

h) *Diſſ. de Operatione* §. 18.

i) *Diſſ. citata* §. 48. 49.

tionibus antiphlogiſticis, clyſmatibus ſolis memini. Sunt hæc remedia præcipua, quæ ſuadet SYDENHAMUS,[k]) qui magnus licet alioquin Opii fautor hic de laudano ſuo liquido tacet, ſaltemque emulſiones, quæ plus ad demulcendum et refrigerandum quam ad ſopiendum valent, et Syrupum de meconio collaudat, tantumque anodynum exhibet finita operatione præmiſſi cathartici, ut ipſi in more poſitum eſt. Omnia autem interna pharmaca ſi forte haud juverint, neceſſitate urgente una ſalus in topicis adſtringentibus, aluminoſis, vitriolaceis, ſaturninis turundæ beneficio applicatis. Melius horum ſolutiones aquoſæ applicantur, quam pulveres naribus inflantur, ut multi veterum et recentiorum volunt, quia hac forma facile ad fauces penetrant, ſcreatumque et tuſſim excitant, concuſſioneſque impetuoſas quieti ad curationem neceſſariæ adverſas. Prodeſt quoque ſpiritus vini naribus attractus. Sed ſi in mora periculum, præſtantiſſimum remedium et ſæpe præſentiſſimum eſt turunda flexilis ex cereo ejus longitudinis, ut certo attingat os cribroſum, eumque præciſe locum, ubi ſe retrotrahere neſcia arteriola ſæpe ad mortem uſque ſanguinem eructaret. Huic loco ſi applicare noverit manus perita turundæ apicem ſtyptico liquori intinctum, in momento quandoque ſiſtitur profluvium. Atque tali immediato contactui, qui ſpiritui vini cum narium interiori ſummitate hianteque arteriolæ oſculo intercedebat, potius tribuo ſanationem puellæ, cujus hiſtoria in *Actis Nat. Curioſ.* legitur,[l]) quam ſpiritui vitrioli cum laudano liquido interne exhibito, quod prorſus contrario modo ac ille operatur, ſimul illius admiſtione caſtratur, atque adeo minus commode eodem tempore cum illo propinatur. Neque etiam huic miſturæ ſanatio poteſt tribui, nam eveniente ſternutatione, poſt 24. horas rediit hæmorrhagia ad integram libram uſque, ſed ſolo alcohole naribus iterum attracto in totum ſiſtebatur, nullo laudano amplius uſurpato. Ex his vero, quæ ediſſerui hactenus, niſi omnia

k) *Operum p. 85. et 780.*

l) *Vol. VI. obſ. 20.*

 me

me fallunt, clariſſime perſpicitur, raro vel potius nunquam hæmorrhagiæ narium convenire Opiata, namque illæ conditiones, ſub quibus ſolis hæmorrhagiis in genere Opium cum ratione opponi poteſt, ſpaſmus nempe in remotioribus partibus et irritamentum in loco affecto, vix ſubſunt. Quomodocunque irritamentum quoddam in interioribus narium hærens et affluxum ſanguinis alliciens concipiamus, ejus actioni Opium aſſumtum nil demere poſſe ſtatim convincimur, certe acrimoniæ ſanguinis et ſeri ſuppoſitæ haud medetur. Largior, ſtricturas in imo ventre et in artubus ſuperioribus et inferioribus multum velificari poſſe geneſi hæmorrhagiæ narium, natamque omnino poſſe ſuſtentare; ſed in primo caſu blanda ſubductio alvi, clyſmataque emollientia, in altero pediluvia blanda humores ad exteriora revocantia, Opiatis merebuntur præferri, juvamenque certius nil noxæ metuendæ immiſtum habens pollicebuntur. Illis vero, quibus, notante inter alios FERNELIO et HEVRNIO, ob jecur imbecillum et ſcirrhoſum ſanguis ſæpius ex naribus fluit, atque eapropter hydrops imminet, neque minus lienoſis eandem hæmorrhagiam patientibus, remediis viſcera obſtructa reſerantibus et acrimoniam in humoribus dominantem corrigentibus ſubveniendum erit unice, ſi ulla ſpes ſupereſt, cum cæteroquin ſymptomatica hæc hæmorrhagia nec Opio, nec aliis auſcultet.

§. VI.

Hæmoptyſis. Pergo ad *Hæmoptyſin*, quæ non confundi debet cum illa hæmorrhagia, quando, præcedente titillatione, doloreque lancinatorio et ardore circa uvulam, ex faucibus nulla comitante tuſſi ſanguis non floridus, non ſpumoſus, ore ejicitur, cum ſcreatu, vel ſimplici ſputatione, qualem ſanguinis fluxum ſub *hæmorrhoidum oris* nomine deſcripſit Cl. noſter de HELWICH.[a]) Vera hæmoptoe ſemper tuſſim comitem habens ſedem ſuam figit in larynge, in ipſa trachea, in membrana bronchia cingente, in ipſo parenchymate

a) *Hiſt. Morb. Vrat. ao. 1701. p. 49. ſeq.*

mate pulmonum. In primis tribus caſibus ſanguis excernitur paucus, floridus, at cum muco remixtus, in ultimo multus, floridus, ſpumoſus, et per brevia intervalla. Nonnunquam per annos affligit hæmoptoe indemnis, talesque hiſtorias notabiles bene multas collegit Illuſtr. BÜCHNERUS: [b]) fœminisque aliquando pulmones et trachea abeunt in uterum ejusque vaginam, dum ſtatis periodis menſtruis cruorem ſine ſanitatis labe tuſſi rejiciunt. Videtur tum ſaltem ſubeſſe ſummorum apicum arterioſorum membranam illam, quæ ſuperficiem tracheæ et bronchia inveſtit, perreptantium dilatatio tanta, ut loco ſeri perſpirabilis ſanguinem transmittant, et in cellulas eructent. Quando vero profundius ex pulmonis ſubſtantia erumpit cruor, recte PITCARNIO [c]) præeunte, qui hæmorrhagias omnes ad vulnera refert, hæmoptoe dicitur *vulnus pulmonis*, ſolutionem continui vaſorum ejus et arterioſorum adeo involvens. Hujus morbi medelam ſi addiſcere voluerimus apud practicum quemcunque, vix ullum evolvemus, qui Opiata haud ſuadeat, ne Stahlianis exceptis, quibus MP. de cynogloſſa maximopere arridet. Sunt, qui Opio ne quidem contenti ſemen hyoſcyami potius eligendum eſſe duxerunt. Id in hæmoptyſi utile declarant *Miſcellanea Nat. Cur.* [d]) neque dubitavit HOFFMANNUS [e]) conſilium ſuppeditare, in rebellibus ſtricturis ad ſemen hyoſcyami cum nitro et camphora remixtum recurrendum eſſe, quod omnibus aliis Opiatis palmam præripiat. Semen hoc in doſi exigua reliquis interpolatum non eſſe rejiculum, ſcripſerat quoque Cl. noſter de HELWICH, [f]) quamvis addat in doſi non excedendum, neque continuo id exhibendum eſſe, aliter enim ægrum ſtupidum reddi. Omni interim tempore etiam Opium hæmoptyſi oppoſitum fuiſſe certum eſt. *Philonium* ad hæmoptyſin fuiſſe adhibitum ex GALENO conſtat. [g]) Opiatam *theriacam* convenire ſanguinem per ſputa rejicientibus, ſive ex pectore ſive ex pulmone eductio fiat, jam

b) *A. N. C. Vol. IV. obſ. 117. in Schol. vide et Hoffm. Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 46.*

c) *de diviſione Morborum Diſſertationum Med. p. 172. 173.*

d) *Dec. I. Anno 3. p. 34.*

e) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 40.*

f) *Hiſt. Morb. Vrat. A. 1699. p. 34.*

g) *de Comp. Med. lib. IX. c. 4.*

aſſeruit

h) *Tetrab. IV. Serm. I. c. 96.*

i) *de cognoſc. et curandis morbis Lib. II. c. 6. p. 347.*

k) *Pharmaceut. Rat. Part. II. p. 81.*

l) *Opiol. p. 72. et 79.*

m) *Med. Ind. lib. III. c. 12. pag. mihi 83.*

n) *Comp. Med. Pract. Cap. VIII. §. 18.*

o) *M. N. C. Dec. I. A. IV. et V. obſ. 207.*

aſſeruit AETIVS.[h]) Deinde apud PISONEM[i]) verba leguntur: *Licet narcotica infeſta ſint, tamen hæc quoque admiſcentur medicamentis ad hæmoptoicos, ut ſiſtant ſanguinem, qui ad affectum vas defertur, in quem uſum ℈ij vel ʒj philonii romani, aut perſici cum adſtringente vino aut aqua plantaginis adhibere conſuevimus, idque bis ter urgente ſanguinis profluvio, ubi vires imbecilliores non fuerint.* Proſtant etiam variæ compoſitiones cum adſtringentibus et emplaſticis Opium continentes, hæmoptoicis dicatæ, inter quæ a longo inde tempore adhiberi ſuetos *Trochiſcos de Carabe* nominare liceat, quos adhuc diſpenſatorium Viennenſe hoc nomine commendat. Inter recentiores autores WILLISIVS[k]) errore ſuæ hypotheſeos abreptus hypnotica moderata et imprimis diacodiata cum fructu porrigi dicit, quia cordis motum ſufflaminando ſanguinem deferbeſcere cogant. De SCHENCKIO, qui ipſe hæmoptyſi et acribus defluxionibus laborabat, recenſet WEDELIVS,[l]) quod trochiſcos opiatos perpetuo ſecum portaverit, multis annis effectum eorum ſalutarem in proprio corpore expertus, et alibi de eo refert, quod ſæpius ad ℈j aſſumſerit opiatum laudanum, ad inhibendum ſanguinis motum ad pulmones, ſine ullo notabili mentis ſtupore. BONTIVS[m]) nihil æque prodeſſe in hoc morbo ſcribit, quam extractum ſuum croci, (Opio impraegnatum) quod non tantum ſanguinis ſputum ſiſtat, ſed et tuſſim ſedet. Si malum valde urgeat, nitratis granum dimidium vel unum laudani opiati, MP. de cynogl. vel aliquid de ſemine hyoſcyami adjici debere præcipit Cl. HEISTERVS.[n]) Quin et ad prophylaxin multum facere Opiata Clari Viri teſtantur; ita enim LVDOVICI[o]) eorum continuatione per plures annos imminentem tenerioribus hæmoptyſin inhibitam eſſe memorat. Multum quoque, quod ſilentio præterire nolo, deferunt laudano in cura hæmoptoes Celeberrimi Galliæ Medici, ut paſſim videre eſt in *Conſultationibus ſelectis* multorum medicorum clariſſimorum

Aca-

Academiæ Montis peſſulanæ Pariſiis gallice 1748. editis. Ita ſtatim *Tom. I. in Conſult. XX.* electuarii ex ſubadſtringentibus parandi doſi matutinæ octo, et veſpertinæ 12. guttæ tincturæ anodynæ adduntur, atque *in Conſult. XXX.* ſyrupo de roſis ſiccis per ſeptimanam adhibendo mane granum dimidium et veſperi integrum laudani adjiciendum eſſe injungitur; ut alias in reliquis tomis inveniendas conſultationes taceam. Verum enim vero ſalvis his omnibus magnorum virorum ſententiis attentius conſiderandum eſt, illis ſubjectis, quibus cruor maxime adundat, vaſis interim per ætatem ulteriorem extenſionem recuſantibus, morbum hunc præcipue eſſe familiarem; totiesque ab omni cauſa, quæ circuitum acceleratum ſanguinis ejusque expanſionem ciet, in diſpoſitis, id eſt vaſa pulmonica laxiora, anevriſmatica varicoſa habentibus, excludi. Hoc dum nemo medentum negaverit, dumque ſimul falſum eſt, Opium circulum moderari ejusque exceſſum refrænare, atque e contrario potius certiſſimum habetur, illud impetum circuli intendere et ſanguinem rarefacere, graviſſimum dubium ſtatim naſcitur, an Opium vere hæmoptyſi quadret, an non potius ad vulneratum pulmonem magis urgeat et propellat orgaſticum a ſe redditum ſanguinem. De vana exhibitione remediorum adſtringentium pro obtinenda conſtrictione ſauciorum vaſorum loquens BOERHAAVIUS, [p]) *Hæmoptoë, inquit, adſtringit ſe ipſam, ſi modo motus ſedetur*; atque ejus veſtigia legens Ill. van SWIETEN [q]) ſonticæ ægritudinis vaſto alioquin remediorum apparatu oppugnari ſolitæ medelam brevibus exhaurit, dum conſolidationem vaſorum unice pendere ſcribit ab illis, quæ pacatiſſimum ſanguinis motum per vaſa efficere valent ſimulque blandiſſimam humoribus indolem præſtant. Sane hac ſola ratione præcavebitur vulneris inflammatio et eam inſequens ſuppuratio, a qua infauſta hæmoptoes pediſſequa phthiſis emergit. Quid autem ad has intentiones pacandi, motum ſanguinem expandens & fortius

p) *in lectionibus in Noſocomio habitis, quæ annectuntur Commentario in Aphoriſmos præter ejus voluntatem edito.*

q) *Tom. II. p. 483.*

tius per vaſa protrudens Opium? Quid ad blandam humorum temperiem remedium, pruriente acrimonia eos imbuens? Quomodo cum illis, quæ impetum circuli ad pulmones excurſurum vere mitiorem efficiunt, cum quiete muſculari ſumma, cum VSe, in hunc finem bis, ter, quater, ſuadente BOHNIO, [r]) BENNETTO, [s]) SYDENHAMO, BOERHAAVIO, HOFFMANNO, ASTRUCIO, [t]) COHAVSENIO [v]) repetenda, ut ſimul præcaveatur phthiſis, Opium conveniret? Nonne Opium circulum intendens, alvum ſiſtens, pugnat in ſua operatione cum revellentibus pediluviis, clyſmatibus et alvum leniter ducentibus, quibus ſolis ſanatam hæmoptoen HOFFMANNVS [x]) vidit? Quomodo convenit hoc orgaſticum pharmacum cum ant-orgaſtico nitro? quo ſolo hæmoptoen curari poſſe STAHLIUS [y]) aſſeveravit, atque eidem ſuffragatus Cl. noſter de HELWICH. [z]) Certe hactenus ponderata momenta abeſſe potius volunt a ſanatione hujus morbi omne Opium; meminique bene, me ſine eo haud raro ægris meis ſat obedientibus profuiſſe. Inter eos non mediocri copia ſanguinem ſpuentem, virtute, meritis et doctrina vere Illuſtriſſimum Supremæ Curiæ Sileſiacæ Præſidem VSe ter intra octiduum inſtituta, potione mannata alternis diebus exhibita, emulſione nitrata cum ſyrupo papaveris, tandem pilulis ex extr. corticis, victuque tenuiſſimo, blandiſſimo, ac quiete ſumma injuncta, me in publica commoda in integrum, quæ DEI eſt gratia, ſanaſſe, ſumma animi voluptate recordor. Talibus etiam ſolis ſine adhibito Opio ceſſit, poſt tres annos elapſos revertens ſed mitiori impetu malum, poſtquam neglecta aliquamdiu VSe, in publico conſeſſu alta voce per duas horas Vir Eximius peroraſſet. At vero, his omnibus ita omnino ſe habentibus, datur tamen in curatione hæmoptoes aliquod ſymptoma, quod non ſolum locum Opio idoneum facit, ſed et illius exhibitionem vehementer quandoque urget, ex irritamento nempe hærente in loco affecto, quod in hæmor-

r) *Diſſ. de Hæmoptyſi.*

s) *Theatr. Tabid. p. 85.*

t) *de Morb. Ven. l. IV. c. 8. p. 412.*

u) *A. N. C. Vol. IX. app.*

x) *Med. Syſt. Cap. de Hæmoptyſi obſ. 3.*

y) *in Obſerv. phyſ. chym. medicis curioſis p. 464.*

z) *Hiſt. Morb. Vrat. A. 1699. p. 36.*

hæmorrhagiis quibuslibet ſi adſit omni modo indicare Opium §o. IV. indicavi, oriundum. Scilicet ſumma ſenſibilitate et irritabilitate præditæ ſunt, ut omnis a ſummitate ſua aſpera arteria, ita et ejus propagines bronchiales veſiculæ et cellulæ. Quodſi nunc vaſcula minutiſſima retis malpighiani, aut vaſa pulmonis majora per continui ſolutionem rumpantur, exſtillans perpetuo ſanguis perpetuam creabit titillationem, ſed hæc titillatio excitabit tuſſim, indivulſam hæmoptoes paulo gravioris comitem, quæ dum violenter concutit totum pectus, ſanguinem majori vi et copia advocabit in locum vulneratum; igitur vaſa magis adhuc dilatabuntur et diſrumpentur, unde neceſſario malum per ipſam tuſſim ſemper reddetur deterius. Maxima ergo cura providendum, ſi finem ſputo ſanguinis impoſitum optemus, ut ſedetur et præcaveatur inanis et nocentiſſima hæc tuſſis. In hac re certe magnum verſatur curationis artificium. In hunc finem ergo valde utile eſt ægro, toto corpore quieſcere, atque non ſaltem a validioribus pulmonum exercitiis, ſed adeo a loquela, ſibi ſolerter cavere. Mirum, quantum rigidum ejusmodi ſilentium ſuaſu meo equidem laxius propoſitum profuit Illuſtriſſimo cuidam Comiti, Canonico Moguntino, dum Vratislaviæ apud inclytam ſuam familiam commoraretur, hæmoptoe graviſſima adfecto. Non ſemel tum mihi in mentem veniebat durum obedientiæ votum quorundam religioſorum, licet eorum ordini æger meus haud adſcriptus eſſet, quibus in cœnobio ſibi obviam euntibus nulla alia confabulatio permiſſa eſt, quam ut ſibi invicem mutuo alloquio occurrant: *Memento mori.* Meo Canonico, poſtquam pulmonis ſui conditiones ipſi vivis coloribus depinxiſſem, alta mente repoſta manebat vitæ non aliter ſervandæ memoria, niſi pulmo quieſceret, ut adeo mortis amarorem a ſe averruncaturus religioſæ taciturnitati totum ſeſe lubens devoveret. Neque concepta ſpe uterque noſtrum excidebamus, ille quippe tuſſim hac ratione

multo leviorem experiens, ſopito ſanguinis fluxu cum ſanitate iterum in gratiam redibat, licet ipſe Illuſtr. van SWIETEN conſultus ab Agnato Vindobonæ degente nil boni, præcipue ob pectoris fabricam a ſanitatis legibus recedentem, auguraretur, iteratas VSes et ſanguinem blandiſſimum præſtantia conſolidæque ac plantaginis decoctum cum ſyr. diacodii, nulla Opii mentione injecta, commendans. Certe diæta parca, tenuiſſima, blandiſſima et demulcentiſſima, ac præcipue lactea, gelatinoſa omnia et lenientia, emulſiones, ſyrupi blandi, tragacantha, gummi arabicum, ſperma ceti, oleum amygd. recens et ſevera abſtinentia ab omni acri in cibo et potu, eximium emolumentum præſtant. His nempe non raro tuſſis egregie fallitur; quodſi autem ea non ſufficiant perenni et clamoſæ coercendæ, confugiendum omnino ad ſopiens ſummum Opium, non obſtantibus ejus effectibus nonnullis, quos in corpore neceſſario exerit, indicationibus aliis therapevticis vere contrariis, quibus interim minuendis aliorum remediorum ſimul indicatorum et adhibitorum, VSis, nitri, revellentium omnium, vis par habetur. Namque plus ſine dubio noceret ægro clamoſa tuſſis, ab Opio certius quam ab alio remedio componenda, quam ab Opio neceſſario adhibendo inducta ſimul rarefactio ſanguinis et circulatio auctior nocitura eſt, VSe et nitro ſimul uſurpatis multum coercenda. Quamvis vero etiam hæc ita ſeſe habeant, nihilominus tamen probe ponderare debet medicus, quando et quousque Opio vere ſit opus. Memori nempe mente ſemper tenendum eſt, ſi foret poſſibile, ut vera hæmoptyſis eſſet ſine tuſſi, Opium ab ipſa ſola ſine hoc ſymptomate nunquam indicatum iri. Tantum enim abeſt, ut hoc remedium reſpectu ad tuſſim omiſſo, morbum ipſum minueret, cum potius ſua propria virtute, ſua agendi ratione, hæmoptyſin invitet et cieat. Notat expreſſis verbis magnus cæteroquin Opii fautor HECQVETVS,[a]) quibusdam ægris Opium datum excitare hæmoptyſin;

a) p. 116.

ſin; en ergo hæmoptyſin effectum rarefactionis et augmenti circuli! en rationem ſufficientem, cur morbo in ſe ſpectato non æque conveniat, ac urgenti ſymptomati conjuncto morbum pejorem reddere apto. Atque ne gratis hæc dicta videantur et ſpeculationes olere, liceat mihi commemorare hæmoptyſin, duobus medicis Opio non minus ac HECQVETVS faventibus ab hoc remedio vere inductam, quorum teſtimonia omni exceptione majora ſine dubio habebunt lecturi. Deglutiverat veſperi per errorem de miſta ex Opio pulveriſato et ſpiritu vitrioli pulte grana 10. Gabriel CLAVDERVS. Hæc 10. grana ob admiſtum ſpiritum vitrioli habuerunt forte ſaltem 6. grana Opii, et illa ſex grana Opii, quia ſpiritus vitrioli evidenter Opium caſtrat, conſiderari poſſunt tanquam grana 4. vel tria Opii intemerati. His in ſuavem ſomnum actus eſt per tres horas, nilque mali ſenſit præter aſthma cum dolore in ſcapula. Sed in lecti pulvinari inventæ ſunt unciæ tres vel quatuor ſanguinis tunc congrumati. Re perpenſa, concluſit CLAVDERVS, ab Opio circulum in pulmonibus adeo fuiſſe turbatum, ut vas aliquod rumpi fuerit coactum, quod ſi majus fuiſſet, mortem ſine dubio induxiſſet. [b]) Eundem effectum in ſemetipſo etiam animadvertit Cl. YOUNG. [c]) Sumſit pro tuſſi, qua infeſtabatur, placanda gtt. XX. laudani liquidi, et bene dormivit ſine tuſſi. Altero mane cum rediret tuſſis, ſumſit doſin eandem. Accepit poſtea 30. guttas et per longius tempus dormivit, ſed facies erat turgidior, cutis calidior et ſiccior, lingua albida et pectus oppreſſum. Hæc doſis raucedinem ſimul induxit, licet ſileret tuſſis, ſimul reſpiratio valde impedita reddita fuit, donec tandem ſanguinem ſpueret. Sepoſuit igitur in deliciis habitum hoc ſuum remedium, tuſſimque VSe, leni diaeta, ſpermate ceti et melle pacare ſtuduit. A laudano largius clyſmatibus admiſto, etiam poſt reſpirationem difficilem redditam, ſanguinem aliquoties exſpuit Ill. HALLERVS. [d])

b) *Ephem. N. C. Dec. II. A. V. obſ. 178.*

c) *Treatiſe on Opium p. 29. ſeq.*

d) *Götting. Gelehrte Zeitung 1776. No. 149.*

Nemo

Nemo lectorum meorum mihi objiciat, ſaltem nimias doſes Opii, ut apud CLAVDERVM et YOUNGIUM, ita et forte apud ægros HECQVETI, hæmoptyſeos fuiſſe autores, quæ adeo a mediocribus non obortura fuiſſet. Enim vero, ſi major doſis poteſt excitare, quæ nondum aderat, hæmoptyſin, jam præſentem mediocris poterit intendere; et dum etiam ſopita tuſſi YOUNGIO nata eſt, clarum redditur, etiam irritamento in pulmonibus cohibito, per vim Opii in ſenſum agentem, pergere actionem ejus in ſanguinem, quem commovet, turgere facit, et vaſis ſuis eſſe oneri, ut crepent. Memoratu digniſſimum eſt, Illuſtrem BOERHAAVIVM in aphoriſmo, quo de hæmoptoes medela tractat, [e] nullam prorſus mentionem ſedantium ipſiusque Opii injicere, neque in conſultationibus Vol. I. Caſu XX. quamvis Volum. II. Caſu II. ſyrupum papav. tincturam Opii et adjectum balſamicis lenibus laudanum commendaverit. Verum quæ mens hoc in argumento fuerit ſapientiſſimo Viro, alio loco elegantiſſime expoſuit. [f] *Tuſſis*, inquit, *in hæmoptoë quantum fieri poteſt impedienda per Opiata, ſine quorum ingenti vi nunquam aggredi debemus morbum. Tuſſis ob nervos pulmonis irritabiles augeret vaſorum diſruptionem, ergo Opiata debent dari ea copia, ut impediatur tuſſis.* Hactenus largam ſatis exhibitionem largiri et commendare BOERHAAVIVS videri poterat, ſed addit ſagax, *quo vero minori copia Opii hoc effici poteſt, eo melius*, eoque ipſo niſi fallor innuit, proprie ad morbi naturam, quatenus illa ſine tuſſi concipitur, neutiquam Opium pertinere. Neque etiam SYDENHAMVS [g] ſuum laudanum hic laudat, ut alibi ſolet, ſed ſaltem ſyr. diacodii Opio multo mitiorem, cujus ſolius uſu ſeſe ſæpiſſime hæmoptyſin curaſſe ZAPFFIVS [h] aſſerit. Minus vero recte pronunciavit BONTIVS, [i] Opium et ſanguinis ſputum ſiſtere et tuſſim ſedare, cum dicere potius debuiſſet, id tuſſim ſedare et eapropter ſanguinis ſputum ſiſtere. Ad tuſſim utique maximopere valet,

minime

e) 1200.

f) *in lection. Noſocomii caſu de hæmoptyſi.*

g) *Operum p. 362. et 782.*

h) *in Obſerv. p. 46.*

i) *l. c.*

minime vero ad hæmorrhagiam in ſe ſpectatam. Quodſi enim curanda obveniret vera hæmoptoe ſine tuſſi, per expoſitá in antecedentibus Opio plane non opus foret, licet in tali perperam ſemen hyoſcyami exhibuerit, et gratis omnino, WEDELIVS.[k]) VS. ſine dubio, repetita etiam, princeps eſt remedium in ſanatione hæmoptoes. Monet ergo cap. 39. quo ſibi oppoſitos effectus Opii et venæ ſectionis exponit Cl. YOUNG, quando utroque remedio opus eſt, tutius multo Opium exhiberi, ſi præmiſſa fuerit VS., ſeque ſolere majorem quantitatem ſanguinis emittere, quando Opium exhibere intendit. Largitur deinde ultro, Opium bonum omne, quod VS. præſtarat, deſtruere videri, tamen ſubinde ſibi contrariantibus his remediis opus eſſe ait, ut præſens irritatio tollatur. Quodſi autem hæc a ſola plethora, vel univerſali, vel in una quadam parte pendeat, Opium minus utile futurum affirmat. Non niſi ergo multa cautione, etiam pro urgente tuſſi placanda, hæmoptoen patientibus, et non ſine aliis commodis remediis ſimul adhibitis, id poterit præſcribi.

k) *E. N. C. Dec. I. An. II. obſ. 45.*

§. VII.

Vomitus cruentus.

Sequitur ordine *vomitus cruentus.* In hoc morbo non per vaſa brevia venoſa ad ramum ſplenicum ſua liquida ablegantia ſanguinem effundi in ventriculum, ut contra leges circulationis, quæ motum retrogradum in venis ignorant, a nonnullis creditum fuit, ſed potius ex apicibus minutis arteriolarum deſinentium in vaginulas cruſtæ villoſæ illum efferri, ſat certum eſt. Cauſæ cur nixus ſolito fortior cœliacis, gaſtricis meſaraicis arteriis, quæ eum et quandoque in duodenum et reliqua inteſtina effundunt, harumque extremitatibus capillaribus incumbere incipiat, apicesque ultimos dehiſcere faciat, ſunt: vel cruor nimius, ob alias ſolemnes excretiones ſanguineas impeditas coacervatus, et huc determinatus; vel ſpaſmi in partibus membranaceis ſenſibilibus imi ventris, quibus turbato per ejus viſcera

 omnia

omnia circuitu, ſanguis copioſius urgetur intra tunicas ventriculi; vel obſtructiones ventriculo vicinorum viſcerum, hepatis maxime et lienis, quæ dum obicem ponunt progreſſuro ſanguini per arterias eorum et venam portarum, neceſſario efficiunt, ut aucta vi is arietet in arterias ad ventriculum et inteſtina tendentes impulſuique tum facilius cedentes. Si ſanguis in horum et illius cavum effuſus ſpiſſus valde et atrabilarius ſit, adeſt morbus Hippocratis niger. Nolo inter cauſas reticere ſanguinis eminentem acrimoniam, draſtica pharmaca et venena, quibus intus vaſa ventriculi eroduntur. Curatio igitur vera in paroxyſmo requirit, ut nixus cruoris in arterias ventriculi minuatur et avertatur, ut cauſæ rodentes intus et affluxum ſanguinis allicientes obtundantur et enerventur, ut effuſi ſanguinis in cavum corruptela præcaveatur, et excluſio decens maturetur. Extra paroxyſmum opus eſt, ut oſtiola nimis patula in ſuperficie villoſæ tunicæ firmentur et cauſæ, a quibus cruor determinabatur verſus ventriculum et inteſtina ac in ipſa eorum cava, decenter oppugnentur. Liquet ergo, in paroxyſmo VSem palmarium eſſe remedium, vixque unquam eſſe omittendam, niſi ab acri ſtimulo intus in ventriculo hærente morbus oriatur, quamvis et tum ſæpe prodeſſe queat; deinde etiam clyſmata blanda ſumme neceſſaria eſſe, ad motum periſtalticum qui inverſus eſt deorſum revocandum; ad revulſionem præſtandam, alvum ſolvendo et vaſa laxando; ad ſanguinis grumos eliminandos. Porro clarum eſt, nitroſa, potumque demulcentem, frigidiuſculum, aquam ſæpe ſimplicem cum ſucco citri, granatorum, ribeſiorum et aliis acidis blandis, quæ ventriculo ſimul grata nauſeæque vomibundæ adverſa ſunt, acrimoniæ irritanti, æſtui et orgaſmo, ac corruptelæ optime occurrere. Tandem perſpicitur, fracto impetu cum cremore tartari rheum parvis doſibus ſæpe datum reliquias grumoſas blande eliminare, ac oſcula dilatata in interiori ventriculi ſuperficie adducere et

corro-

corrobare. Bene memini, horum omnium et topicorum quorundam, aceti potiſſimum vinique rhenani foris applicati beneficio, me ſæpius pulcherrime ægris profuiſſe, quamvis horrendam copiam cruoris vomitu rejicerent, ſuperatoque paroxyſmo hæmorrhoides et menſes deficientes decenter invitando, ac infarctus viſcerum, ſi reſerationi locus erat nondumque eorum ſcirrhus aut corruptio aderat, ſuccis herbarum recentibus, melle, ſero lactis, ſapone veneto, ſalibus, aquis mineralibus, rheo diu uſurpato; martialibus oppugnando, collapſæ ſaluti feliciter conſuluiſſe. Tutus vero Opio prorſus in medela carui, neque ad ideam morbi ſatis attentus aſſequi potui illud exhibendi neceſſitatem. Certe ægritudinis ingenium non bene intelligit, atque prætervidet veros fines in medendo, qui excretioni ſanguinis ſopiendæ, et convulſivo motui ventriculi ſiſtendo, cui juſto tempore alioquin egregie inſervit, hic Opium deſtinat; prorſusque turpiter peccat, qui alia pharmaca indicatiſſima omittit, ſoli illi medelam confidens. Namque a diductis intra tunicas ſuas excurrentibus arteriis ſanguineque intruſo nunc turgidis, et pondere extravaſati ac in grumos concreſcentis cruoris ad præternaturalem motum irritatur ventriculus. Si ergo ſanguinis affluxus haud minuatur, et impetus revellatur, hæque arteriæ ſic intra ſuetam ſuam diametrum reducantur, atque hac ratione plorare cruorem haud deſinant, Opium excretionem et vomitum haud compeſcet, ſed potius rarefactioni majori et aggeſtioni anſam dabit, cum non ſemel vaſa ventriculi ſanguine turgidiſſima viſa ſint in animalibus et hominibus Opio necatis. Tantum igitur abeſt, ut Opium ſuperare queat nauſeam et vomiturítionem, a membranarum ventriculi nervearum diductione per vaſa infarcta et a grumis ſanguinis in ejus cavo hoſpitantibus pendentem, ut potius rarefactionem augendo has moleſtias augeat; quin ſi ad tempus motum ventriculi convulſivum cohibeat Opium, grumos detinebit diutius, at-

que dum alvinam functionem retardat, eorum excluſioni neceſſariæ contrariabitur; ſique alvus diutius obſtructa eſſe pergat, putrilaginoſæ illorum corruptioni et malis inde ſecuturis anſam dabit. Neque hic reticendum eſt, quod HOFFMANNUS [a]) præcipue monet, Opium etiam non convenire virium dejectioni, quæ nunquam non in hoc morbo præſto eſt; multo vero minus ejus uſus ſalubris erit, quando quod rarum non eſt lipothymiæ perpetuæ vomitiones concomitantur, atque æger pallidæ mortis imaginem geſtat. Fateor ultro, concurrentes anxietates, cardialgias et ſpaſmos doloroſos in hypochondriis, eousque interdum increſcere, vomitionesque adeo immanes exiſtere, ut aliunde levamen vix impetrandum videatur, quam ab Opio ſolo. At vero inſignem hic fructum ſubinde edunt emulſiones blandæ, et clyſmata ex emollientibus herbis cum melle et oleo crebrius injecta, a quibus nullus effectus indicationibus veris contrarius ut ab Opio metuendus eſt, ſed potius ſanguinis ſtrangulati in vaſis membranas ventriculi et inteſtinorum perreptantibus libertas impetratur, et conſtrictiones in ſolidis relaxantur. Si vero hæc remedia parum ſuffecerint, cogitandum probe, Opium ſaltem palliare hunc morbum poſſe, ſi nimis urgeant ſymptomata, ſed ad curationem ejus aliis prorſus ſubſidiis opus eſſe. Idem hoc diligenter notari debet, ſi a corroſivis ingeſtis malum oriatur; ſedat equidem Opium tantiſper motus a veneno irritante naſcentes, ſed venenum interim agere pergit pro ſua natura. Melius ergo conſulitur tali ægro per demulcentiſſima remedia acrimoniam involvere apta; minimum hæc nunquam omittenda ſunt, ſi in ſummo motuum impetu Opium adhibeatur. Proficuum tamen hoc cum illis interdum deprehenditur, ad ſtimuli in ipſo loco affecto reſidentis energiam eludendam, quando ab illo ſolo ventriculi membranas nerveas intus ſollicitante eruptio cruoris in ejus cavum pendet. Profui anodyno tempeſtive exhibito duabus

a) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. I. cap. III. p. 75. §. XI.*

puellis menſium emanſione laborantibus, licet adeſſet ſufficiens plethora, quarum una ob cardialgicas et hypochondriacas tenſiones purgans acre, altera alio tempore ob ſimilia incommoda emeticum ab incauto artifice ſiniſtro conſilio acceperat. Utraque hyperemeſin ſat rudem experta ſanguinem tandem vomere incipiebat, non mediocri quantitate. Statim infundi curavi clyſma emollientiſſimum, exhibui lac tepidum cum pauco ſacharo, laudanique liquidi idoneum præbium porrexi, deinde tumultu multum ſopito poſt pediluvium ſanguinem ex aperta pedis vena paulo largius detraxi, atque ita minax malum ſuſtuli, menſibus in una ægrarum poſt aliquot hebdomades ſponte prodeuntibus, in altera ſemicupio et leniſſimorum emmenagogorum ope feliciter prolectis.

§. VIII.

Tranſeo ad *mictum cruentum*, eumque præcipue, qui renum vitio contingit. In his modo ex tubulis bellinianis impetu affluxus ſaltem dilatatis, modo ex ipſis vaſis rubris ruptis et vulneratis ſanguinem effundi certum eſt. Cauſæ dilatantes vaſa, vel continuitatem eorum ſolventes reducuntur 1. ad plethoram et evacuationes ſanguineas ſolemnes ſuppreſſas, cum laxitate renum individuali; 2. ad circulationem auctam per febrem et corporis exercitia valida, cruorem ad renum viſcus determinantia, ut ſunt curſus, equitatio, vectio rudis in curru; 3. ad calculum aſperum in renibus latitantem, et per corporis exercitia commotum; 4. ad acria ingeſta, eaque præcipue quæ ſpecifice diuretica habentur, ſanguinemque copioſius ad renes dirigunt, vel et foris applicita, quorſum cantharides referri debent; 5. ad acrimoniam ſubtilem ſanguini inhærentem vaſaque exedentem, ut varioloſam, morbilloſam etc. 6. ad renum abſceſſus et ulcera parenchyma eorum abſumentia; 7. ad violentas externas contuſiones ab ictu valido vel lapſu in regione lumborum maxime. His cauſis omnibus enarratis, *Mictus cruentus.*

ſi formatis ſtudio exquiſitiſſimo indicationibus quærantur contraria remedia, erunt ea: ſumma corporis quies, VS. repetita, revellentia per alvum, purgantia corroborantia vel lenientia, maxime rhabarbarum et manna, quam in ſe ipſo expertus adeo laudat SYDENHAMVS [a]) et in ſimilibus caſibus commendavit BOERHAAVIVS. [b]) Accedunt nitrum, emulſiones, lac et ejus ſerum, mucilaginoſa, oleoſa, aquæ ſelteranæ. Hisque omnibus præmiſſis, renibus laxis corroborandis, ſauciis ulceroſis conſolidandis, deinde inſervient remedia ſubadſtringentia, conſolida, equiſetum multis laudatum ab auctoribus, [c]) cortex peruvianus, rhabarbarum toſtum, atque pulcherrime acidulæ ſpadanæ ac ſchwalbacenſes, niſi grandior in renibus calculus delituerit. [d]) Sed nulli indicationum formandarum reſpondebit Opium, ſi effectus hujus omnes in corpus humanum, et cauſas diverſas morbi contuitus ſedulo fueris. Neque enim doloribus hic levandis opus, nam cruor effuſus in renes fere mingitur ſine dolore, niſi coactus in grumos diutius hæſerit in veſica, ob molem ſuam tranſire ſphincterem et urethram impos. Vix igitur bene concipitur, quomodo cum aliis WEDELIVS [e]) favere Opio in medela mictus ſanguinei atque aſſeverare potuerit: *notiſſimum eſſe, in hac excretione cruenta ſedanda apprime convenire Opium.* Sane cum variis aliis præſtantiſſimis medicis id in mictu ſanguinis graviſſimo variis formis præſcribere haud dubitavit Celeb. HEISTERVS. [f]) Eundem tamen morbum ab Opio enatum ſe obſervaviſſe ſibi viſus eſt ZWINGERVS, [g]) contra quem multis diſputat SIMON PAVLI. [h]) Nolo me huic præciſe controverſiæ immiſcere; nolo quoque meam facere recenſionem BORELLI, [i]) qui de croco Opio analogo narrat, quod equi copiam ejus portantes mictu cruento perire ſoleant. Neque animus mihi eſt conquirere aſſerto Cl. LINDESTOLPII [k]) ſufficientia teſtimonia, crocum largius ſumtum ſanguineum urinæ profluvium produxiſſe

aſſe-

a) *Operum p. 702.*

b) *Conſult. Vol. I. caſ. 44. et 46.*

c) *vide Helwich Hiſt. Morb. Vrat. A. 1701. p. 284. et Miſc. Nat. Cur. Cent. V. obſ. 60. Commerc. Litt. Norimb. A. 1733. hebd. 36.*

d) *Syd. Operum p. 701. et 707. Boerh. Conſult. caſu XII.*

e) *Opiol. p. 159.*

f) *Obſerv. Medico-Chirurgico-Anatom. germ. editarum 665.*

g) *Prax. p. 529. §. 15.*

h) *Quadrip. Bot. p. 421. 422.*

i) *Cent. IV. obſ. 35.*

k) *de Venenis p. 577.*

aſſerentis. Noto vero cum cura, unumquemvis, rem ut decet æſtimare et dijudicare aptum, perſuaſiſſimum eſſe debere, in plethoricis, exercitatis, vinoſa diæta utentibus, febrientibus, hæmorrhoidariis, plus dotis ineſſe Opio circulum intendenti et rarefactionem ſanguinis proritanti ad mictum cruentum invitandum, quam ex ſuo ingenio virium poſſidet ad eam inhibendam. Id ſane docent phænomena omnia clariſſime, quæ ejus uſum perpetuo inſequuntur, ſanguinis motum et calorem auctum ſenſibus exhibentia. Namque licet excretionem urinæ ſenſum ſtimuli imminuendo ſiſtere queat Opium, non tamen ſiſtere poterit excurrentem ad renes ſanguinem, ſed eum potius magis æſtuantem redditum et magis ſolutum eo determinabit, ubi effuſione jam præſente minor datur reſiſtentia. Recolo, dum hæc ſcribo, pretioſam mihi ſed triſtiſſimam ſimul memoriam adempti conſuetudini meæ et familiaritati, diroque mictu cruento ex vivis ſublati, Amiciſſimi HAHNII. Poſtquam antea bene longo tempore rudem contuſionem in lumbari regione perpeſſus eſſet Vir Optimus, e curru ſuo quo quotidie pernicibus equis ad ægros ſuos vehebatur deſcendens, ſubito largam ſanguinis copiam ſine dolore excernebat, repetitisque deinde profuſionibus enormibus defatigabatur per annum et quod excurrebat. Atque quoties effuſus in veſicam cruor ibidemque moras nectens polypos effinxerat, infandos dum eos eniti laborabat cruciatus, omnibus partus doloribus ſuperiores experiebatur; ac tandem arroſa etiam et excoriata veſica, perpetuo ſenſationes moleſtiſſimas ſuſtinere debebat. Agebat ex proprio et aliorum conſilio, quæ agi poterant, neque obliviſcebatur ſuorum Opiatorum, quæ inſomnes aliter noctes ſibi depoſcebant; attamen eheu! nec his, nec multiplicibus aliis præſidiis, reverſiones repetitas præcavere poterat, ſed iis ad incitas redactus et hydropicus tandem fatum præcox ſubire tenebatur. Flagitarat a medicis ſummis, Illuſtr. van SWIETEN, HALLERO et ami-

 ciſſimo

ciſſimo ſuo antagoniſta WERLHOFIO, ſincerum conſilium, quod illi condolentes lubenter ſuppeditabant, nullus vero eorum vel verbulo Opii mentionem injiciebat. Suaſerat van SWIETEN decoctum rad. conſolidæ et plantaginis latifoliæ cum interpoſita ſubinde manna in lactis ſero ſoluta. HALLERVS venæſectionem, victum perfecte vegetabilem, uſum diuturnum rhei toſti affini malo diabeti ſuperando paris, lac, ſerum ejus, emulſiones. WERLHOFIVS VSem, corticem peruvianum, aquas ſpadanas, mannam in ſero lactis ſolutam, ſerum lactis pro potu, diætam lacteam, decoctum equiſeti, hirudines ſi opus et injectiones in veſicam. Sed omnia agebantur in caſſum, nimis radicato jam morbo, cujus forte ſanationem in principio obſtinata quies corporis, ad omnes ægrorum preces inexorabilis, quibus in ſui ipſius damna nimis facilis erat Vir in humanitate et amicitia exercenda ſummus, multum juvare potuiſſet. Quantum vero quies corporis ſine pacante alioquin Opio valeat, congruis præſidiis appulſum ſanguinis ad locum affectum minuentibus adjuta, poſt fata Hahnii vidi cum voluptate, ſaltem per acerbam convictionem, et ipſi eam fructuoſam futuram fuiſſe, multum minuta. Colica prægreſſa ſine aliis, quæ anſam malo dediſſe poterant, excreverat ſine dolore cum urina quantitatem largiſſimam ſanguinis vir quinquagenario major, robuſtus, plethoricus, vinoſæque diætæ paulisper indulgens. Abundantiam ſolam accuſabam et irrita forte molimina hæmorrhoidum, neque calculum in rene aſperum latitare credebam, cum nullus motus corporis fortior prægreſſus fuiſſet. Secta vena intra octiduum ter in brachio, ſingulis diebus mane datum rheum ad drachmam unam, pomeridiano tempore emulſio nitroſa. Victus adhibitus lenis, tenuis, demulcens, pro potu hydrogala, minuta ſenſim copia ſanguinis excreti, ſed ejus excretione omni nondum ſilente. Poſtmodum ex rheo et ſucco catechu pilulæ aliquoties de die deglutitæ, potatumque decoctum equiſeti

et

et conſolidæ cum melle, veſperi datus pulvis nitroſus. Ita ſeptimo die profluxit urina leviter ſaltem ſanguine tincta, octava prorſus naturalis; die duodecima vena iterum ſecta, et per 6. hebdomades accedente bona diæta pilulæ cum decocto in uſum vocatæ, ſicque, dum omnino quieti indulgebat, non interim in dorſo cubans ſed in latere alterutro, et per diem ſedens aut rarius in conclavi leniter obambulans æger, in integrum reſtitutus, immunisque a tanto malo εὔσαρκος et viribus pollens adhuc ſupereſt, niſi quod arenulas ſubinde excernat, quarum geneſis læſioni continui relictæ et minutulis forte ulcuſculis debetur. Quamquam vero mictum cruentum inſanabilem prorſus ſtatuam, niſi recenſitis remediis ſanetur, vixque aliud verum pharmacum ſupereſſe poſt illam ſuppellectilem exhibitam credam, nollem tamen interdictum omni uſui Opii, ſimul uſurpandi, ſi princeps locus affectus veſica fuerit et ejus ſphincter, atque ſanguis paucus nigricans cum conatu ſummo, cum dolore et ardore in pube, cum tenſione et preſſione in perinæi regione, paucis, cum ſpaſmorum triſti comitatu inter mejendum exprimatur; id quod ab anomaliis hæmorrhoidalibus ſubinde accidit, atque ubi eroſa et ulceroſa veſica cum calculo aſpero in eadem deliteſcente æger laboraverit. Hiſce in caſibus, quanquam ad ſpaſmorum ferociam placandam, ab epithematibus et clyſmatibus emollientibus atque ab internis gelatinoſis, emulſivis, oleoſis plurimum auxilii ſit expectandum, non tamen alienum erit ipſis Opium adjeciſſe ad irritationis ſenſum in loco affecto quantum fieri poteſt componendum, qui horribilem veſicæ teneſmum ciet, ſanguinem adhuc magis alliciendo æque nocivum, ac in ſanguinis excretione per pulmones a bronchiorum nervoſorum irritatione enata inanis tuſſis nociva haberi debet. Fere oblitus eſſem ſymptomatis, quod et in mictu ſanguineo renali Opium ſibi vindicat. Accidit quippe interdum, ut depluente confertim ex rene ſanguine is ureterem ingreſſus coaguletur, atque in

eo grumoſus hæreat illis præcipue in anguſtiis, ubi inter veſicæ tunicas pergens ureter tandem cavum ejus intrat. Generantur tunc mala nephritidem calculoſam referentia, peſſimaque inter conſtrictiones doloroſas omnium partium urinæ ſecretioni, itineri, aſſervationi et excretioni ſervientium enaſcitur iſchuria, quæ ægrum capitali periculo exponit, niſi cum emollientibus oleoſis, foris et intus exhibitis, Opium antiſpasmodicorum ſummum in auxilium vocetur. Feci olim medicinam cum conjunctiſſimo Hahnio, theologo inter primos noſtri miniſterii, qui a multis annis mictu ſanguineo renali per intervalla laboraverat, jam vero eodem miſerrime affligebatur. Namque urinæ loco ſaltem tabus purulentus cum cruore pauco, atro et grumis excernebatur, ægerque ſimul moleſtiſſimo vexabatur ſingultu. Moriendum omnino erat, morbo ad ſummam nequitiam evecto, clyſmata interim oleoſa, emulſiones et laudanum ſubinde datum ut aliis incommodis, ita et ſingultui, quem a grumo ureteri inhærenti et veſicam inire prohibito deducebamus, levamen aliquod adferebant.

§. IX.

Hæmorrhoides nimiæ. Deferor ad hæmorrhoidum fluxum nimium. Docet pathologia cum fidelibus morborum hiſtoriis, exceſſum fluxus hæmorrhoidalis oriri 1. ab accelerato circulo ſanguinis et orgaſmo inducto plethoricis, huic fluxui adſuetis, per exercitia valida corporis, per potus ſpirituoſos, per pathemata animi, per medicamenta acria et calida; 2. ab impedito regreſſu ſanguinis per venas hæmorrhoidales et meſaraicas ſæpe varicoſas, ac venam portarum, propter debilitatem vaſorum et viſcerum, et eapropter inſequente nimio decubitu, affluxu et nixu ſanguinis arterioſi in inteſtinum rectum; 3. ab infarctu et obſtructione pertinaciore viſcerum, præcipue hepatis. Has cauſas, a quibus omnis fluxus hæmorrhoidalis nimius excluditur, ſi conſideraverimus attentis oculis, mirandum omnino, quomodo unquam ad il-

lum

lum Opium quadrare reputatum fuerit a viris peritis. Expreſſis verbis interim bonus SENNERTVS [a]) in hoc mali genere theriacam, recentem philonium, requiem Nicolai et laudanum opiatum commendat; atque Cl. CHESNEAU [b]) inter medicamenta nimias hæmorrhoides ſiſtentia, laudanum ſi opus fuerit per triduum iterandum recenſet. Conſtitit autem ex §. 3. huius capitis, Opium inter alios effectus ſuos quos edit, etiam reſpondere operationi aloes, myrrhæ, croci; horumque remediorum vires ſi illis admiſceatur intendere, cumque iis menſes et lochia promovere. Verum omnia emmenagoga et ariſtolochica, ſi exhibeantur viris, promovent fluxum hæmorrhoidum, nimisque notum eſt, aloes et myrrhæ uſum intempeſtivum viris diſpoſitionem ad hæmorrhoides inducere, quemadmodum virgunculas nondum menſtruatas ad catameniorum fluxum diſponunt, puerperisque fluxum lochiorum promovent. Detur ergo Opium emmenagogum hæmorrhoidario, qui exceſſum circuli et orgaſmum ſanguinis nimium motu corporis vehementiore, vino, aliisque vitiis in diæta commiſſis, fluxumque adeo hæmorrhoidalem ſueto profuſiorem accerſivit; quis quæſo dicta omnia probe cognita tenens, calido, orgaſtico, profluxum ſanguinis ex utero movente pharmaco, calorem et orgaſmum ſanguinis hæmorrhagiamque inteſtini recti conſopitum iri, ſibi imaginabitur? quotus quisque ſagaciorum non introſpiciet, juvamini potius quam levamini huic hæmorrhagiæ fore Opium? Ponatur vero, illam ut a plethora et calore, ita et ſimul pendere a debilitate vaſorum et viſcerum refluxum ſanguinis venoſi verſus hepar et cor retardante, an huic reſpondet Opium? Perpendamus obſecro, Opium debilitare ventriculum et inteſtina, atque minuere ſimul et extinguere pene ad tempus motum eorum omnem periſtalticum; perpendamus, venas inteſtinorum omnes excurrentes per eorum tunicas pergere in ramum dextrum venæ portarum, quis non videt, imminuta periſtalſi

a) *Med. Pract. Lib. III. p. 424.*

b) *Obſervat. p. 344.*

ſtalſi inteſtinorum tanto magis languidum fore refluxum ſanguinis? Jungamus adhuc huic conſiderationi, Opium occludere alvum, hanc vero occluſam vel ſolam, eapropter quod ſcybala indurata et in inteſtini recti cavitate collecta ſua mole premente iter venoſi ſanguinis remorentur, hæmorrhoidalem fluxum ſæpe ciere et juvare, an ergo id remedium commode opponetur ejus exceſſui, a debilitate viſcerum et retardato per ea circulo natales ducenti? Bene jam WEDELIVS, [c]) licet in hæmorrhoidibus nimiis vi expultrice irritata laudari Opiata ſcribat, maximam tamen in eorum exhibitione requiri circumſpectionem monuit, ne alvus conſtringatur, alias cauſas cur vere obſint prætervidens. Melius vero in fluxu hæmorrhoidum Opium prorſus rejecit YOUNG, [d]) quia alvum inhibet et faeces indurat, ſanguinem expandit, caloremque et aeſtum in inteſtino adauget. Quid vero tandem praeſtaret Opium, ubi per debilitatem viſcerum generata jam fuit eorum obſtructio, chronicusque prorſus et habitualis redditus fluxus hæmorrhoidum in cachexiam tendit et hydropem? Sane cui tandem fini hic id deſtinari poſſit ab artifice medente, me quidem latet penitus, cum ipſum viribus a fluxu largiore fractis exhibitum, ut recte monet WALDSCHMIDIVS, [e]) eas penitus convellat et œconomiam animalem ita labefactet, ut ſi non ſubitanea, tamen lenta ſequatur mors, cachexia comite.

c) *Opiol. Lib. II. Sect. II. cap. V. p. 123.*

d) *c. XVII.*

e) *Monit. medica circa Opii uſum p. 19.*

Ego in hæmorrhoidibus nimiis ſanandis occupatus, quoties a ſola plethora commota circulique celeritate inductum fuit profluuium, quiete corporis, diæta tenui, VSe, manna, tamarindis a mercuriali præcipue laudatis, cremore tartari, rheo, nitro, emulſionibus, id ad mediocritatem reduxi. A laxitate viſcerum excluſum et diutius adfligens correxi quandoque ſolo uſu rhei ſat diuturno, parvis et repetitis doſibus; alio tempore martialibus lenibus in copioſo vehiculo aquoſo, vel ſero lactis, vel carnium juſculis exhibitis.

bitis. Hisque præſidiis etiam viſcera non nimis obſtructa utcunque aperta præſtiti; quanquam ſucco taraxaci recenti, decocto radicum aperientium cum oxymelle et ſale quodam, pilulis ex ſapone et rheo, vino rhenano aperientibus ſpeciebus et marti infuſo, ipſique cortici peruviano circumſpecte adhibito, ac tandem aquis mineralibus pyrmontanis, ſpadanis, juſtæ laudes omnino debeantur. Si a nimia ſanguinis jactura vires conciderint, omni Opio ſepoſito ſecutum conſilium, quod ſuppeditat HARRIS,[f]) ſpiritumque vini vel aceto calido ſpongiæ ope ano admoto fluxum me feliciter ſtitiſſe, lætus recordor. Ad eosdem fines vinum rubrum gallicum cum malicorio coctum proficuum deprehendi, interdum decoctum radicis biſtortæ aut tormentillæ lenius, fortius elota antea alvo inteſtino recto injiciendum curavi non ſine fructu, licet omnia hæc externa fontem mali non aggrediantur. Paucis dicam, miſſa fere feci Opiata omnia, in hoc affectu aliis interim medentibus, quibus ea præſcribere ſolemne erat, apud ægros meos haud infelicior. Recordor viri ſexagenario majoris per aliquot hebdomades, quoties alvum deponeret, largiſſimo ſæpe fluxu hæmorrhoidum laborantis, inſuper vini potui adſueti ſineque eo eſſe nolentis, qui tamen ſola VSe in brachio, nitro et rheo plus ſimplici vice levamen obtinuit. Dantur interim caſus ubi Opio carere haud poſſumus, nempe ubi ſtimulus adeſt in inteſtinis effluxum ſanguinis per recti arterias concitans et ſuſtentans. Vir erat inter noſtros arte tinctoria celebris, cui praeter neceſſitatem frequentius exhibitae pilulæ ſtahlianæ, famam paſſim tum nactæ, plethoram ad ani vaſa determinando juveni adhuc hæmorrhoides moverant cœcas et fluentes. Lauta diæta uſus crebriorem et copioſiorem fluxum ſæpe expertus erat, tanto magis in habitum degenerantem, cum has pilulas et movere ſuppreſſum et moderari excedentem ſibi perſuadens medicus easdem liberaliter ſumendas commendaſſet. Inducebat autem tandem

f) *Obſ. X.*

per annos durans hæc ſanguinis arterioſi floridiſſimi eruptio cachecticum ſtatum, omniumque viſcerum abdominalium et ſimul inteſtinorum atoniam ſummam. Hujus vitio fere ſemper quoties cruor erumpebat ſimul aderat diarrhœa torminoſa, cum indicibili egerendi conatu, quo tanto magis ille ad rectum invitatus et detruſus effuſiſſimas hæmorrhoides concitabat. Quicquid tum agerem, nihil impetrabam, niſi ad Opium confugerem; hujus vero quarta vel tertia pars grani cum ſcrupulo uno rhabarbari toſti aliquoties per intervalla exhibita ſæpius malum in juſtos terminos redigebat, cum quo tamen ad vitæ finem colluctari æger tenebatur. Verum et ſine alvino fluxu quandoque doloroſæ tenſiones in abdomine colici cardialgicique quid habentes Opiata poſtulare videntur; ipſeque HOFFMANNVS, [g]) licet cautiſſime cum iis mercandum eſſe utpote inſaniam adeo inducere aptis moneat, tamen quando atrox dolor et ſpaſmus ſub prima lumborum vertebra nimiam ſanguinis effuſionem movet eaque propter placandus eſt, maſſam pilularum Wildeganſii commendat. At vero ſi omnia decenter expendantur, omnes hæ ſtricturæ ſpaſticæ oriuntur a venis meſenterium et inteſtina perreptantibus mirum quantum debilitatis, atonicis et varicoſis, ſanguinisque regreſſui ea propter minus faventibus, quales deſcripſit PISO *de morbis a Colluvie ſeroſa.* Ab his ſanguine fartis fibræ nerveæ et membranæ ſenſiles premuntur, tenduntur et ad criſpationes et conſtrictiones ſollicitantur. Quare patet, VSem et nitrata cum remediis diluentibus et attenuantibus majorem opem promittere, quam Opiata ſenſum parumper hebetantia, ſed morbum ipſum cum ſuis cauſis eundem relinquentia vel et plane augentia, niſi dolor enormis et alia ratione non leniendus hæc ſimul poſtulaverit.

g) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. I. c. 4. p. 98.*

§. X.

Hæmorrhagia uterina, ad quam per-

Luſtranda adhuc ſupereſt hæmorrhagia uterina, et quidem ſine reſpectu habito ad abortum, ad molam et lochia nimia

nimia; nam de his ſeorſim agere animus eſt, quando de uſu et abuſu Opii in morbis gravidarum et puerperarum verba facturus ſum. Loquor igitur jam ſaltem illum fluxum ſanguinis ex utero, qui citra has conditiones evenit nimius viresque deſtruit, vel tempore juſto menſium prodiens, vel extra hoc tempus citius pro ratione periodi et copioſius erumpens; aut qui perdurat diutius, abortu jam facto et polypoſis concretionibus in utero natis diu jam excluſis, licet hoc ipſum rarius eveniat. In ejusmodi uteri hæmorrhagia graviore medici fere omnes unanimiter ad Opium confugiendum eſſe ducunt. Qui ex inſtituto de morbis mulierum integrum tractatum conſcripſit RODERICUS a CASTRO,[a]) dum de menſium fluxu nimio agit, *quodſi ne his quidem laudatis*, inquit, *fluxus ſedetur*, *ad narcotica veniendum*, *qualia ſunt requies magna*, *philonium*, *vel pilulæ ex chalcanto*, *Opio*, *thure*, *maſtiche*; addit tamen dominante praejudicio abreptus cautionem, hæc omnia, quia ſanguinem quaſi congelant, non niſi urgente neceſſitate exhibenda eſſe. Porro neminem practicorum latet, quantum inter eos tribuatur ad cohibitionem hæmorrhagiarum uterinarum pulveri HEURNII, quem in commentario ad aphoriſmos Hippocratis ad libri V. aphoriſmum 50. deſcripſit, cum adſtringentibus et camphora, Opio fortius ſemen hyoſcyami habentem. HORSTIUS,[b]) *menſibus ſuperfluis*, ſcribit, *omne reliquum medicamentorum genus eludentibus dextre per correctum Opium ſuccurritur*, *quod amatiſſima mea conjux experiebatur*, *quæ mortis fere faucibus hoc modo per Dei gratiam eripiebatur*, *fervore ſanguinis ad temperiem uſu laudani redacto*. Deinde etiam bonus SENNERTUS,[c]) ſi fluxus menſium valde urgeat, ad narcotica ſyr. de papavere, theriacam recentem, philonium, laudanum opiatum, trochiſcos de carabe cum Opio, deveniendum eſſe monet; atque talia urgente neceſſitate etiam commendat RIVERIUS.[d]) Non minus Opiata magni facit ETTMULLERUS,[e]) trochiſcos

peram commendari ſolet Opium.

a) *Part. II. Lib. I. c. 5.*

b) *Epiſt. Med. lib. II. Sect. XVI. quæ de uſu laudani agit p. 581.*

c) *Lib. IV. p. 173. 177.*

d) *Lib. XV. cap. III. p. 373.*

e) *Operum capite de nimio fluxu menſium.*

chiſcos de carabe et pulverem LINDANI ex adſtringentibus, croco et laudano opiato compoſitum proponens, qui hujus continuato uſu innumeras mulieres menſium nimio fluxu laborantes ſe reſtituiſſe ſcripſit. Prorſus vero divinum remedium Opium eſſe in immodicis menſibus, pronunciat WEDELIVS.[f] Notum quoque eſt Lentilianorum Operum, *Eteodromi*, *Miſcellaneorum* et *Iatromnematum* lectoribus, Cl. autorem, celebrem ſane dum viveret practicum, in hæmorrhagiis uterinis laudanum opiatum, pilulas Wildeganſii aliaque anodyna frequenter adhibuiſſe. Præter laudatos auctores et CHESNEAU [g]) laudano favet, caſusque hæmorrhagiæ uteri ejus doſi ſanatæ recenſet. Neque Stahliani abhorrent ab Opiatis in ſanandis his ægritudinibus; JVNCKERO in tabulis ſuis MP. de cynogl. et COSCHWITZIO [h]) præter hanc laudanum opiatum, hyſtericum, theriacam Andromachi et cœleſtem commendante. Sane tot clarorum medicorum aſſertis et adductis ſimul experientiis vix videtur aliquid ſolidis cum rationibus opponi poſſe. Verum ut eorum placita ad juſtum examen revocari poſſint, ante omnia attenta conſideratione opus eſt, quomodo ſe habeat Opium ad naturalem illam excretionem ſanguineam ex utero, quæ catameniorum nomine ſexui ſequiori ſolemnis eſt. Illius intuitu Opium aut eam retardabit et cohibebit, aut promovebit et juvabit, aut neutrum efficiendo erit adiaphorum. Retardant menſes et ſupprimunt illa omnia, quæ ſanguini lentorem ingignunt et momentum ejus imminuunt, maxime ſi vaſa uterina ponantur arctiora per ſuam naturalem fabricam, aut accedente qualicunque cauſa conſtricta. Promovent, quin et maturius puellis cient menſes, ea, quae plethoram inducunt, quæ ſanguinem attenuant et rarefaciunt, vimque circuli intendunt, ſi vaſa uterina ponantur minus reſiſtentia et ſatis patula.

f) *Opiol. Lib. II. Sect. II. p. 7.*

g) *Obſervat. p. 358. et 360.*

h) *Diſſ. de fluxu menſium immodico. §. 27.*

Nunc

Nunc quando his ita ſe habentibus perpendimus, Opium ſua natura intendere ſanguinis circuitum, augere calorem ſanguinis, rarefactionemque eidem inducere, ſimulque ſi ſpaſmodicæ adfuerint in abdomine ſtricturæ eaſdem relaxare, et villis uterinis temporariam aliquam paralyſin inferre; quotusquisque eſt, qui non ſtatim introſpiciat, Opium nec adiaphorum eſſe ratione menſium, nec eos retardare, ſed inter emmenagoga eminentem locum promereri, fallique illos mirifice, qui ſuppreſſionem aut imminutionem ab eo etiam ſub ipſo fluxu exhibito metuunt. Sane non opus habebat GEOFFROY [i]) cum aliis, ut ab Opio dando dehortaretur, dum fluunt menſtrua. Rectiſſime potius, poſtquam cum veteribus AETIO *Tetrab. IV. Serm. I. c. 96.* theriaca credita eſt menſtruas purgationes ciere, in ſua *Emmenologia* aſſerit FREINDIVS, [k]) ſanguine attenuato, uberiore copia ſpirituum generata, et proinde impetu cordis fortiore reddito auctaque ad vaſa humorum plenitudine, Opium menſes provocare. Atque eapropter illud catalogo emmenagogorum ſapore et odore acri pollentium, ſalque volatile attenuans et ſtimulans prodentium, gentianæ, myrrhæ, aro, abſynthio, rutæ, pulegio, addidit, quin in eodem primo loco poſuit. Imo vero adhuc alio reſpectu emmenagogam Opii vim patere FREINDIVS declaravit, [k]) namque diaphoretica omnia reſolvere ſanguinis cohærentiam dicit, ut facilius is per poros ſecerni queat; igitur inter emmenagoga utramque paginam facere diaphoretica contendit, ex quibus cum nullum ſit Opio potentius, ſatis conſtare dicit, id menſibus movendis haud inepte adhiberi. Hæc autem, quæ FREINDIVS ita eloquitur, confirmant omnes illi auctores, qui ariſtolochicam Opii virtutem extollunt, quos §o 3. jam adductos infra ſuo loco majori numero adferam. Atque dum in antecedentibus, cum hujus capitis §. 3. de hæmorrhagiis in genere agerem, abunde probatum dedi, Opium omnes fluxus a ſanguine expanſo pendentes ciere, ſatis ſimul

i) *Mat. med. Tom. II. p. 710.*

k) *Cap. XIV. pag. mihi 139.*

l) *p. 142. vide et p. 143. 146.*

mul conſtare opinor, id neceſſario etiam inter illos menſium fluxum movere debere, maxime cum ad illum natura ipſa et in corpore fœmineo fabrica uteri jam vergat, quemadmodum et re ipſa fieri auctorum teſtimoniis practicis ibi comprobavi. Hæc cum ita omnino comparata ſint, atque ex ipſa nativa Opii dote et actione ejus phyſica in corpus humanum neceſſario pendeant, lubens fateor, me non capere, quomodo hactenus nimio et exorbitanti fluxui menſium et hæmorrhagiis aliis uterinis competens et proficuum pharmacum Opium haberi potuerit a medentibus, eruditione et praxi celeberrimis. Facile vero clarum eſt, ob receptam ubivis ſententiam de univerſali virtute Opii fluxiones ſiſtendi, cum SENNERTO [m]) et aliis multos practicorum ſtatuere, narcotica ut alios fluxus ita et hæmorrhagias, et inter eas etiam uterinam ſiſtere, cum tamen illa vis coercendi fluxus ſuis limitibus conſtricta ſit. Videtur equidem una provocatio ad virorum praxi celebrium repetitas experientias, Opium profuiſſe hæmorrhagias uterinas graves patientibus mulierculis, multum ponderis habere contra illa omnia, quæ ego urgeo. At vero per rerum naturam impoſſibile eſt, ut unum idemque remedium poſſit modo juvare modo impedire fluxum, modo determinare ſanguinem ad uterum, modo non determinare et avertere potius ab ejus vaſis. Auſcultemus WEDELIO, [n]) *menſes ſiſtentia ſunt*, inquienti, *quæ motum ſanguinis refrænant, orgaſmum humorum et rarefactionem concentrant, fluxilitatem tenuitatemque coercent et acrimoniam ac impetum tollunt.* Applicentur autem jam hæ dotes ad Opium, atque dum prorſus contrariis id ipſum inſtrui, omnia poſt ejus uſum emergentia phænomena docere certi ſumus, dumque ex illis contrariis dotibus etiam menſium cohibitioni contrarium effectum conjicere tenemur, judicemus, an loco antea allegato idem WEDELIVS [o]) jure aſſerere potuerit, *Opium eſſe divinum remedium ad ſiſtendos menſes;* anne potius ſibi ipſi contrarietur, unumque aſſertum altero refellat.

m) *Prax. Lib. IV. p. 173.*

n) *Amœnit. mat. med. p. 196.*

o) *nempe Opiol. Lib. II. Sect. II. c. 7.*

lat. Nil video quo excuſari queat, niſi hoc unum, quod veros naturales effectus Opii in corpore humano non bene cognitos habuerit; his quippe perſpectis cohibitio menſium ab eo expectanda illico cadit. Certe quoties Opium hæmorrhagiam uterinam cohibere viſum eſt, toties, aliquibus ſaltem caſibus exceptis, alia remedia ſimul uſurpata, actionibus ſuis actioni Opii ſuperiora, levamen attulerunt; ſolum prodeſſe nequivit unquam, ut vinum prodeſſe nequit, quod in cruentis uterinis profluviis, niſi valde dilutum et adſtringens ſit, commendari vix memini. Ut illis ægris, quas habet CHESNEAU, manifeſte revulſiones et alia pharmaca eodem tempore vel antea adhibita ſalutem attulerunt, quamvis Cl. autor ex præjudicio uni laudano illam tribuat, ita et de aliis multis mulieribus quæ cum Opio varia remedia uſurparunt idem dicendum eſſe, firmiter ſtatuo. Neque tamen etiam ſine omni exceptione medici clari ad apparatum medicamentoſum, hæmorrhagiis uterinis deſtinandum, Opium referunt. Tacet prorſus de laudano ſuo liquido SYDENHAMUS [p]) curationem fluxus menſium nimii exponens, ipſumque ſyrupum de meconio, cujus meminit, neutiquam fluori ſanguinis deſtinat, ſed noctibus poſt purgationem ſuo more ſaltem exhibendum jubet. Neque etiam ad idem mali genus varia poſt VSem tonica et adſtringentia laudans MEAD, [q]) Opium, licet alibi ipſi ſæpe commendatum, eorum catalogo inſerit.

p) *Operum p. 538. 762.*

q) *Monit. med. p. 158.*

§. XI.

Id quod fuſius probatur, limitibus arctioribus remedio poſitis;

Ut veritas aſſertorum meorum communi ſententiæ adverſantium clariſſime pateat, ſciendum eſt, cauſas ejusmodi hæmorrhagiarum de quibus jam loquor fere fundari in plethora commota, et orgaſmo menſtruo diætæ variis vitiis eminentiore reddito; in generis nervoſi ſenſibilitate et mobilitate, inque vaſorum uteri laxa debilitate. His nempe omnibus fit, ut per venas uteri ſerpentino et tortuoſo ductu procedentes tardius ſanguis refluat, quam pro affluxus copia

pia ille cor verſus fluere debebat; quare tum apices arteriolarum extremi ab incumbente ſibi nixu diducuntur, cruoremque in uteri et vaginae cavum eructant, idque vel conſertim et copioſius, vt vitæ præceps immineat periculum, vel parcius quidem, ſed per multas hebdomades, donec tabi, cachexiæ et hydropi acceſſus pandatur. Jam primo loco pono hæmorrhagiam uteri, ſoli plethoræ et orgaſmo ſuos natales debentem, cordatusque quæro ex omnibus doctis practicis, an tali curandæ reſpondeat Opium, nec ne? Mihi certe inſigne paradoxon videtur, Opium, quod ſanguinem celerius provolvi, rareſcere, incaleſcere facit, quodque hac ratione menſes ciet, iis tamen omnibus non obſtantibus, ſi circulatio naturali auctior, calor auctior, rareſcentia auctior nimios effecerit, hos et cohibere debere. An enim poſſibile eſt, ut naturali jam celerior circulus, aucta adhuc celeritate cohibeatur? ut incaleſcentia et rarefactio ſanguinis, naturali jam major, adhuc majore reddita infringatur? Nonne aſſeri poterit jure, Opium eadem ratione tali hæmorrhagiæ curandæ haud convenire, ac aloe, myrrha, crocus, ſalia volatilia omnesque plantæ aromaticæ haud conveniunt. Aliter vero ſeſe res habet, quando fœmellis ſenſibilitas et irritabilitas ſumma nervorum dolores et ſpaſmos in abdomine hyſtericos inducit, quibus nixus ſanguinis ad uterum intenditur, tunc enim, ſi nil juverint emulſiones oleoſæ, et nitrata, et liquor anodynus Hoffmanni et clyſmata demulcentia, ad potentiſſimum antiſpaſmodicum et antihyſtericum Opium confugiendum erit, aliis agendis decenter actis. Non minus ſi in utero ipſo hæſerit aliquod irritans et ſtimulans, affluxumque et effluxum ſanguinis ciens, de quo argumento alibi dicam, ſenſum ſopiendo et effectus aucti ſenſus inhibendo, proderit hoc pharmacum. Mulieri Judææ gravi terrore perculſæ et inter lipothymias, palpitationes cordis, tremores, præcordiorum anxietates, fluxionem ſanguinis copioſam ex utero patienti, ad ſedandas

ſy-

ſyſtematis nervoſi commotiones, antiſpaſmodicis ſubvenien-
dum cenſuit HOFFMANNVS, [a]) deditque cum fructu ſin-
gulis tribus horis pilulas ex extr. fl. chamom. millef. croco,
caſtoreo, camphora et aſa fœtida, quibus omnibus Opium
analogum et ſuperius commode adjici potuiſſet, quod ad
ſpaſmos et dolores, ſi concurrant, placandos alibi commen-
daverat. [b]) Opium ipſum autem Cl. YOUNG [c]) in effuſa
ſanguinis excretione menſtrua, quæ ab irritatione exoritur,
quam hoc pharmacum lenit, recte omnino probat, licet id
ſaltem pro palliativo declaret, quoniam eo ſepoſito fluxus
redeat. Mulierem habet, quæ juſto citius ſuos menſes
cum ſummis doloribus in dorſo et abdomine experieba-
tur, eosque copioſiſſimos. Huic Opium ſolamen attulit,
atque cum periculum faceret, an ſine Opio eſſe poſſet, ta-
men redeuntibus doloribus cum copioſa hæmorrhagia
cogebatur, ut denuo ad illud recurreret. In menſibus ni-
miis et fluxu ſanguinis poſt abortum, ſi dolor ventris vel
circa lumbos ſimul adfuerit et excretionem auctiorem
ſemper præceſſerit, Opium omnibus adſtringentibus præ-
ferendum eſſe, bene notat WHYTT. [d]) Venio ad laxa
et debilia vaſa uteri. Illi conditioni, quod vero ego minime
expectaſſem, Opium optime convenire exiſtimat YOUNG. [e])
Namque diſertis verbis in languore generisque nervoſi de-
bilitate, aut ſi elaſticitatis defectus in vaſis cauſa copioſi
profluvii exſtiterit, hoc pharmacum optime ſe commendare
ſcribit. Tum enim, quando humorum circulatio lenta eſt
atque debilis, extremitates frigent, et tonum ſuum amiſe-
runt nervi, animumque ægri deſpondent, nullum ſe co-
gnoviſſe remedium dicit, quod palmam præripiat Opio. Sa-
ne YOUNGIVS hic contradicit fere omnibus auctoribus,
utpote quorum optimi in ſummo profluvio, et debilitate
ſumma inducta, Opium prorſus abeſſe volunt, quod in ge-
nere omnibus debilibus et a quacunque cauſa debilitatis
haud congruere, ipſe probatum dedi. [f]) Nullo nempe effe-

a) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. I. c. V. p. 121.*

b) *loc. cit. p. 12.*

c) *cap. 15.*

d) *Nerven-krankheiten. c. 7.*

e) *c. 15.*

f) *Sect. I. Cap. VI.*

ctu Opii evinci poteſt, quod generis nervoſi debilitati proſit, multo minus phænomena uſum inſequentia demonſtrant, quod elaterem vaſorum rubrorum reſtituat. Id equidem certum eſt, quod circulationem augeat et calefaciat; adeoque circulationi lentæ et frigori durante hæmorrhagia convenire videtur. Tunc vero et convenirent omnia calida volatilia, ſpirituoſa et vinum, quæ tamen omnia nemo cautus medicus ſuaſerit; nam expanſis fluidis, vaſisque uterinis ſimul manentibus debilibus, quæ Opium non roborat, potius perduret fluxus neceſſum eſt. Id conficitur ex ipſis Youngianis principiis; explicat etenim vir egregius actionem Opii ex natura ſomni, et dicit, quod ſub eo ob rarefactos humores hæmorrhagiæ oriantur. Deinde ab inanitione quando circulatio lenta eſt reddita, non rarefacientibus, ſed replentibus, nutrientibus, ſenſim ingeſtis, ac frictionibus ſuſtentanda et incitanda eſt, topicisque adſtringentibus profluvio obex ponendus. Ita ſane procedendum volunt medici ſummi, omnia ſtimulantia et calida cardiaca in ejuscemodi caſibus rejicientes, [g]) quia paucum illud ſanguinis, quod reſtat in corpore, per vaſa partis affectæ ad mortem uſque expellerent. Ego ut nil diſſimulem, in hæmorrhagiis uterinis curandis, quando ex iis principiis quæ expoſui nil mihi indicare uſum Opii videbatur, ſine eo non contemnendos fructus aliorum pharmacorum beneficio obtentos recordor. In acutiſſimis et impetuoſiſſimis per uterum cruoris profuſionibus pulſu forti et magno ſtipatis, atque adeo ab exceſſu circuli et rarefactione ſumma humorum excluſis, quiete ſumma corporis et animi injuncta, poſt VSem, potiones nitratas cum cremore tartari, foris ſimul applicato aceto, multum boni præſtitiſſe novi. Aliquando etiam per potum aquæ frigidiuſculæ ſpiritu vitrioli acidulatum cum ſyr. pap. rhœad. aut per infuſum roſarum ſaturatum cum inſtillato pauxillo vitrioli ſpiritus, aut per emulſiones nitratas et diacodiatas vota ægrarum explevi. His pharmacorum ge-

g) *Vide Boerh. in Comment. ad aph. 234. No. 4. et van Swieten ad hunc locum.*

neribus

neribus e diametro contrariari Opium convictus reputavi, neque intelligere potui, quomodo HOFFMANNVS[h]) Heurnii pulverem hyoſcyamum habentem exhibendum judicare potuerit, quando pulſus arteriarum eſt celer et vehemens; namque tum hyoſcyamum et Opium ob vim circulum accelerandi ipſis inſitam nullo modo convenire perſuaſus ſum. Sed impoſuit ſapientiſſimo viro ſua hypotheſis, talia anodyna circuitum retardare; quare et meliorem eſſe Heurnii pulverem aſſeruit, ſi nitrum ipſi adjiciatur. Nulli ergo fœmellarum profluvio uterino cruento laboranti unquam exhibui Opium, niſi concurrerent dolores et ſpaſmi abdominales, aliquisque in utero teneſmus excretionem intendens et juvans. Hunc, ut recte notat YOUNG,[i]) ſanguis extravaſatus aliquando in cavo uteri proritat, tanquam corpus peregrinum irritatione ſui expulſionem urgens. Opium autem, ut addit, lenit hanc irritationem, ita ut per moram ille coaguletur, licet deinde exſpirante Opii actione ſarcina coacervata novam irritationem cieat, doloresque recrudeſcere faciat, donec his eliminata ſit.

Verum forte Opium foemellas ſanguinis per uterum fluxu exhauſtas et debiliſſimas juvat, tanquam inſigne cardiacum? Mortis faucibus jam inhærentem ob nullam aliam cauſam, quam ob ſummam ſanguinis jacturam, ſuam conjugem Opio ſervatam, ut in antecedentibus notavi, memorat HORSTIVS. Nolim veritatem ſervatæ vitæ impugnare. Fallitur autem optimus vir turpiter, quando credit, hoc eveniſſe ob fervorem ſanguinis ad temperiem uſu laudani redactum; longe alia cauſa debuit ſubfuiſſe. Cel. YOUNG in ea verſatur ſententia,[k]) quando virium lapſus, debilitas nervorum, vel defectus elateris in culpa eſt, quod hæmorrhagia perduret, Opium ipſam inhibiturum, dum virium debilitati medetur. Aegram habet, in qua penuria virium tanta erat, ut omne encephalum cum facultate memoriae perturbatum ſummam melancholiam minaretur. Dedit

h) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. Sect. I. c. 5. p. 117.*

i) *c. 40.*

k) *c. 15.*

 ipſi

ipſi mane et veſperi 30 guttas laudani liquidi, magno cum fructu ſuaſitque ſimul uſum cereviſiæ fortis, non lupulatæ. Metuebat ipſa ægra, ne his hæmorrhagia augeretur, quam recte omnino pro cauſa ſuæ debilitatis habebat. Verum credebat YOUNG, debilitatem eſſe cauſam hæmorrhagiæ, quia quamdiu hæc perdurabat, circulatio lenta erat et languida; atque vere poſt uſum Opii et cereviſiæ melius ſeſe habuiſſe ægram, quam ullo alio tempore, notat; inque caſu lentæ et languidæ circulationis, frigore extremorum, flacciditate nervorum, palpitante ob timorem corde, et animo dejecto, nullum aliud cardiacum Opii vices ſupplere poſſe, cenſet. Ego interim vix credo, quanquam Opium circulum languentem excitet ut calidum cardiacum, id vires ipſas deperditas reſtituere, debilitatem nervorum juvare, et defectui elateris conſulere. Ad alia in his caſibus tutius et certius recurrendum eſſe, ſtatuo. Summopere vero cavi ab Opio, ſi pharmacis quæ modo laudavi nil proficientibus, ligaturisque ac immiſſione artuum in aquam tepidam fruſtaneis, vires ſub largiſſimo fluxu fatiſcerent, adeo ut lipothymiæ ingruerent, et convulſionum ab inanitione adeo male jam HIPPOCRATI[l]) audientium, brevi oborturarum juſtus metus eſſet. Tum certe, cum Opio damnoſo futuro alia omnia fruſtranea et vana futura, nullamque ſpem ſupereſſe intellexi, niſi in blandis nutrientibus indeſinenter hauſtis et in remediis illis, quæ oſcula vaſorum uterinorum debilium et laxorum, ſanguinique effluenti reniti eapropter neſcientium quantocyus clauderent, ut in rebelli hæmorrhagia narium adſtringentia topica. Eapropter bene memor obſervationis Cl. HARRIS,[m]) aſſertique eidem annexi, ſpiritum vini rectificatum calide cum pannis laneis admotum ſiſtere poſſe pertinacem menſium fluxum, quando nulla medicamenta deſtinatum ſcopum attingunt, atque narcotica non ita tuto ex ejus mente ſunt adhibenda, egregium virum aliquando ſecutus ſum, atque ſalutem quam ſpondet impetravi. Alio tempore epithematibus ſubfrigidis, ex aqua, ace-

l) *Sect. V. aph. 56.*

m) *Obſervationum, quæ libro de morbis infantum adjectæ habentur, decima.*

to, nitro et ſacharo Saturni, curationem perfeci, ſed coegit etiam me ſumma neceſſitas, ut ipſi vaginæ ſubadſtringens topicum indi facerem. Paſſa erat abortum uxor dilectiſſima ſenatoris e noſtris, vixque vires recipere inceperat, cum animo mota horrendum profluvium ſinceri ſanguinis ex utero experiretur, nihilo polypoſi aut heterogenei, quod obſtetrix edicebat, illi inhærente. De tenebris oculis obverſantibus conqueſta, lipothymica et convelli incipiens in ſummo vitæ periculo verſabatur. Non diu differendam opem videns, linteum contortum in peſſum aliquem efformatum, ſolutione vitrioli martis madidum, genitalibus quantum fieri poterat immitti jubebam. Hujus beneficio brevi quieſcebat effluxus, atque denuo ſeſe ſiſti patiebatur eadem ratione, cum bis aut ter juſto adhuc citius exemto linteo recrudeſceret. Vivit hodie adhuc juncea licet fœmella corticis peruviani uſu diuturno, cujus in pulvere præbia ultra centum per ſeptimanas abſumſit, corroborata et ſana reddita. Neque fœcunditati obfuit adſtringens hoc interiori ſuperficiei vaginæ applicatum remedium, uteroque ipſi forte exceptum in eum hiantia oſtiola nimis occluſit; namque poſtea duos adhuc filios edidit adhuc ſuperſtites. *) Ego horum ſemper gnarus, adſtringentia topica inter extrema remedia et omnibus quibuscunque præferenda urgentium et mortem minitantium hæmorrhagiarum uteri merito repoſui, modo nil vitii ſit in utero, quam oſculorum cruorem fundentium laxitas, quod bene noſſe medicus debet; aliter enim perdurante irritatione reſtitantis heterogenei, hoc non excluſo aut non ſiſtitur talibus remediis fluxus, aut

 brevi

*) Fuſius a me conſcripta legitur notabilis hæc hiſtoria, in Novis Actis Phyſico Medicis Naturæ Curioſorum Tom. I. p. 325 ſeq. Doleo vero culpa typothetæ p. 335. poſt lineam 18. integram lineam, quam meum manuſcriptum habebat, omiſſam eſſe, cujus defectu et ſenſus turbatur, et ego mihi contradicere lectoribus videri debeo. Ut ergo, ut volo, intelligar, lin 18. poſt vocem *immediate* legi debet, *ſedem morbi attingens, ſine deperditione ſuarum virium, neque tamen* et dein porro, ut verba exſtant.

brevi redit fortior, aut illo heterogeneo corrupto et putreſcente, labes utero inducitur.

*** ***

Sed opus eſt, ut ſpeciatim aliquid adhuc dicam de hæmorrhagiis uteri chronicis a ſola debilitate poſt alios illius morbos excluſa ſuſtentatis, ſine ulla ejus labe, quæ ſi adfuerit, morbum aliquem principem primario curandum aut mitigandum involvit, cujus hæmorrhagia eſt ſaltem ſymptoma. In hac ſpecie Opium emmenagogum ad ſanationem conferre prorſus nihil, ex antecedentibus clarum eſt; dumque ſatis convictus hoc aſſero, laudare debeo celeberrimum FREINDIUM, [n]) Opii alioquin magnum fautorem, quod in tribus ſuis fœmellis diuturno ſanguinis profluvio uterino laborantibus, exhauſtis viribus revellentia prohibentibus, ſolis corroborantibus internis et externis confiſus ad morbi curationem Opio plane non uſus ſit, licet alio fine id exhibuerit. Namque doloribus abdominalibus urgentibus et ſpaſmis hyſtericis concurrentibus, ubi, ut in antecedentibus largitus ſum, vere locum habet, id ſaltem oppoſuit. Interim hoc mihi diſplicet, quod FREINDIUS ſilente fluxu laudanum praeſcripſerit, tanquam cardiacum, ad inſtaurandas amiſſas vires; id enim repugnat propriæ ejus indicationi, quam in aegra ſecunda ſibi formaverat, de firmandis vaſis et de prohibenda ſanguinis raritate, quæ indicatio certe per Opium non impetrari poteſt, quippe cujus vim ſanguinem rarefacientem ipſe FREINDIUS optime ſcivit, cum et ab ea pendens vis emmenagoga eum haud latuerit. Sane ſopito fluxu, a cardiaco rarefaciente et emmenagogo potius recurſum, quod ſiluerat, mali timere debuiſſet. Inſtiti ego non ſemel in ejusmodi hæmorrhagiis chronicis ſanandis veſtigiis magni hujus viri, ſed Opium, niſi ſpaſmi et dolores aliter haud placandi concurrerent, merito a medela abeſſe juſſi, lætatusque ſum, ubi deinde BOERHAAVIUM [o]) in ejusmodi malo mera corrobo-

rantia

n) *Emmenol. c. XIII.*

o) *Conſult. Vol. I. Caſ. 28.*

tantia et glutinantia ſine Opio ſuaſiſſe animadverti. Repetita experientia didici, pulchra præſtare remedium LVDOVICI SEPTALII decoctum cort. aurant. ſubviridium, qui id notante RIVERIO [p]) extinctione chalybis fortius reddere ſolebat. Commendant illud etiam HOFFMANNVS [q]) et ASTRVC; [r]) meminique bene, mihi id olim ut arcanum laudaſſe Celeb. noſtrum de HELWICH. Miratus ſum aliquoties effectum, neque illum ſatis mihi poteram explicare, cum oleum corticum horum aromaticum, ſtimulans, cardiacum, calidum, movendo potius fluxui uterino, quam ſiſtendo par haberem. Sed perſpexi ætiologiam legens *Hiſtoriam Plantarum* Illuſtr. BOERHAAVII, [s]) qui poſtquam de veris viribus olei hujus egit, notanter adjicit: Interior alba fungoſa ſubſtantia ob vim adſtringentem in nimio menſium fluxu prodeſt, quare deinde ſemper eam præ flavedine magnam partem abraſa et remota, ſollicite ſervandam, et non facile abjiciendam curavi. Neque immerito vinum rubrum gallicum cum aqua remiſtum magni fecit FORESTVS, [t]) quo multas ægras ſe curaſſe ait. Laudes etiam ſuas tuetur ſuccus catechu, quem in caſibus ſimilibus aliis glutinantibus et ſubadſtringentibus admiſcere ſolitus eſt BOERHAAVIVS. [u]) MEAD fortiora, vitriolum, alumen, pulveremque ex alumine rupeo et ſanguine draconis proponit. [x]) His omnibus ſi revulſioni perpetuæ, in inveterato malo indicatiſſimæ, ſtudendum eſt, præferri adhuc meretur rhabarbarum, diu parvis doſibus uſurpatum, quo Cl. PLATNERVS [y]) libenter in morbis mulierum uſus eſt, quod et toſtum conducit, ſi revulſione non opus eſt, aut hæc aliis committitur. Non obliviſci debeo corticis peruviani, ab HELDIO [z]) experientia edocto inſtar arcani commendati, in curatione fluxus menſium nimii. Optime eum in uteri vitiis inſignium virium deprehenſum jam extulerat SYDENHAMVS; [a]) in omnibus hæmorrhagiis deinde mira præſtare extra nimii orgaſmi tempus aſſeruit Illuſtr. WERL-

p) *Operum in fol. p. 373.*

q) *Med Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 118.*

r) *de Morb. Vener. p. 414.*

s) *p. 674.*

t) *Schol. 28. ad Obſ. 18.*

u) *in Conſult. Vol. I. caſ. 9 et 28.*

x) *de imperio ſolis et lunæ Cap. III. et Monit. Med. p. 158. 159.*

y) *vide præfationem ad ejus Orationes poſt fatum publici juris factas.*

z) *Eph. Nat. Cur. Cent. III. et IV. obſ. 170.*

a) *Operum p. 370.*

HOFIVS

HOFIUS,[b]) atque ſpeciatim hæmorrhagiæ uterinæ cum fructu deſtinandum voluit MEAD.[c]) Reſtant ſpadanæ, quas non abs re nimium menſium fluxum quovis alio remedio felicius tollere profeſſus eſt Henricus ab HEERS;[d]) vidit quippe et ZAFFIUS[e]) plures in Hollandia fœminas adeo diuturna hæmorrhagia uteri exhauſtas, ut lecto detentæ coactæ fuerint Pouhontii aquam potare, priſtinæ ſanitati reſtitutas, incaſſum antea adhibitis omnibus convenientibus medicamentis. Non minus Cl. medicus ſpadanus de PRESSEUX[f]) efficaces has aquas in menſium exceſſu et fluore uterini ſanguinis declarat. Ego apud mulierculas noſtras Vratislavienſes, ad quas centum milliarium itinere fontis Pouhontii undæ ſoteriæ lagenis probe munitæ afferuntur, plus ſimplici vice eximias earum vires expertus ſum, atque quando corpus jam valde emaciatum et ad tabem pronum offendi, tenuemque ſimul irritantem humoribus acrimoniam ineſſe ſuſpicatus ſum, eas lacte remixtas commendare conſuevi. Quando earum copia haud fuit, aut res anguſta domi interdixit uſui, aliquoties ſubſtitui lac chalybeatum, vel cum rad. conſolid. fl. roſarum, et balauſtiarum coctum, alio tempore vinum rhenanum ♂ti infuſum in uſum vocavi.

*** ***

Sed revertar tandem iterum ad Opium; explicanda namque mihi adhuc venit medela illius hæmorrhagiæ uterinæ, quæ termino menſium adventante mulierculis moleſta eſſe, ſæpeque per paroxyſmos impetuoſius recurrens ægras, antequam illi prorſus ſileant, graviter affligere ſolet. Circa quinquageſimum annum catameniis inordinatis fientibus utile et bonum remedium eſſe Opium, equidem contendit YOUNG,[g]) qui ad dejectas vires vitales corporis et languorem animi illud profuturum credit. Quidquid vero agam, non poſſum facere cum Cl. Viro, maxime cum ad aliorum medendi methodos attentus nihil inde laudabilis obſervaverim. Niſi enim doloroſæ tenſiones hyſtericæ concurrant,

b) *Obſ. de febribus* Sect. II. §. 5.

c) *de Imp. Solis et lunæ* c. 3. *et Monit. med.* p. 159.

d) *in Spadacr. cap.* IX. p. 83.

e) *Synopſ. Obſ. Med.* p. 33.

f) *in Obſ. Med. Synopſi Zaffiunæ adjectis, obſ.* 24.

g) *cap.* 15.

currant, profluvium ſuſtentantes et juvantes, eaque propter antiſpaſmodicum pharmacum generoſius urgentes, non video, quomodo in ea ætate remedium vere emmenagogum indicari queat, ubi natura ipſa finem fluxui facit; ceſſaturo inter impetuoſas eruptiones, inſtar candelæ, ut cum SYDENHAMO[h]) loquar, jam fere abſumtæ deflagratæque, quæ ſubito flammam edit inſigniorem mox penitus diſparituram. Omnem curationis cardinem potius in menſtruis cohibendis ponens laudatus SYDENHAMVS, diſſuadet fortiora hyſterica, ne fluxum ulterius promoveant; imperat diætam refrigerantem et incraſſantem; ægre concedit vinum viribus refocillandis par quidem, ſed ebullitionem ciere aptum. Qua igitur ratione Opium hyſtericorum fortiſſimum, caſtoreo, galbano, volatilibus urinoſis longe ſuperius, ſanguinem calefaciens et rarefaciens, in parca doſi id efficiens, quod vinum facit in valde larga, ejusmodi hæmorrhagiis convenire poſſit, me plane fugit. Nullam ergo cauſam exhibitionis aſſequi valens, ſecutus fere ſum in iis caſibus SYDENHAMVM ſuo laudano nullum hic locum dantem, atque a VSe, nitratis, purgationibus antiphlogiſticis, rheo emulſionibus cum ſyr. pap. vel diacodii demulcendi ſaltem fine non ob alium adjecto, non mediocre levamen impetravi.

h) *Operum p. 537.*

⁂ ⁂

Superſunt hæmorrhagiæ uterinæ, poſt diuturnam jam per multos annos catameniorum per ætatem plenariam ceſſationem præter expectationem evenientes, moleſtiſſimis ſpaſmis et exquiſitis doloribus quandoque comitibus. Illarum ingenium nemo quod ſciam rectius deſcripſit Illuſtr. van SWIETEN:[i]) *Accidit aliquando*, inquit, *in effœtis mulieribus, poſtquam omnia ſigna prægreſſi ſcirrhi uteri prægreſſa fuerint, ut dolor fixus continuus pubem, hypogaſtrium, lumbos occupet; et ſanioſus ichor ex pudendis exeat: ſolet tunc ſæpe immanis hæmorrhagia ſequi, unde admodum debiles*

i) *in Comment. ad aph. Boerh. Tom. I. ad aph. 499. p. 888.*

 factæ

factæ pro tempore levamen ſentiunt, donec reſtauratis viribus redeant omnia eadem mala. Videtur tunc cancroſa diatheſis circa uterum hærere, quæ dilatata vaſa erodit. Vidi ego aliquot ejusmodi exempla inter ægras meas, quatuorque præcipue bene recordor vetularum, quæ per multos menſes diras ærumnas eapropter ad mortem uſque ſuſtinuerunt. Dum nulla radicalis medela ſperanda eſt, nil pulchrius ego inveni, quam diætam lacteam, et quanquam, ut alibi dicam, in dolore a cancro caute dandum ſit Opium, ad irritationis acerrimæ ſenſum in utero, qui hæmorrhagiam provocat, inhibendum, repetitas pro re nata doſes hujus remedii, ut miſerrima vita, quam elongare medico quouſque poſſibile eſt incumbit, parumper mitior reddatur et protrahatur. Meminit duarum vetularum Cl. de FISCHER [k]) ſimili malo adflictarum, commendatque ad tormina levanda philonium romanum, quod ob acria addita felicius ſiſtere dolores credit, quam ſi ſolum Opium ſine illis eadem doſi exhibeatur. Fides ſit penes auctorem! Ego certe, nil illa facere ad augendam vim anodynam Opii; rarefacientem vero ejus, calefacientem, ac circulum incitantem virtutem, quæ nec ratione cancri, nec ratione hæmorrhagiæ expetitur, cum utriuſque reſpectu circulus lenis et pacatus requiratur, vere acribus et aromaticis augeri, convictus ſum. Quin in una fœminarum, quas commemoravi, ſyndico olim Curiæ Vratislavienſis matrimonio juncta, contrarium prorſus effectum vidi; nempe illa a nobili amica, quæ dolores abdominales et lumborum flatubus deberi perperam judicarat, dono acceperat morſulos aromatibus variis refertos, quos ægra palato haud diſplicentes avide comedebat. Tam enormiter vero inde intendebantur urentes dolores, ut clyſmatibus lenientiſſimis et anodynis pharmacis eorumque ordinariis doſibus pene auſcultare detrectarent, licet cum Opio quod præbebam acria antea me inconſulto ingeſta philonium aliquod conficerent; dum interim

k) *Tr. de Senio et ejus morbis §. 129.*

terim alio tempore in alia fœmina, ab omnibus acribus religioſe abſtinente, graviſſimi cruciatus lacte et Opio multum mitigabantur et ſatis notabiles inducias dabant. Inſidæ tamen hæ ſemper ſunt, etſi etiam narcoticum liberali manu præbetur, doloribus et hæmorrhagiis ſemper redeuntibus. Legitur hujus rei notabile exemplum in *Miſcellaneis Nat. Cur.* a Cl. ALBRECHTO[1]) conſignatum. Laboraverat honeſta quaedam matrona fluore albo largiſſimo, cui affluens ſerum acerrimum maxima copia creabat dolorem intenſiſſimum, et irritatione ac eroſione vaſorum hæmorrhagiam alternis vicibus cum leucorrhœa affligentem. Sumebat hæc quotidie ad dolorem mitigandum laudanum ad granum unum, ſed ſingulis hebdomadibus, ſi quicquam emolumenti capere vellet, doſis uno grano augenda erat, ita ut paulo ante obitum ad ſcrupulum unum vel grana 26 dicto laudano uteretur. Dum irritans perpetuo ſtimulus utero inhærebat, eo productam hæmorrhagiam ad tempus Opium præcavere poterat. Maluit vero illam pati ægra, quia tum dolor aberat pene, ſanguine gelatinoſo cauſticam ſeri acrimoniam incraſſante, quam ferre intenſiſſimos cruciatus. Neque tamen ita reſiſtere fluxui ſanguinis potuit hoc remedium etiam largiſſime datum, ut tandem enormi copia eodem recrudeſcente haud exanimaretur. Dolet auctor obſervationis, denegatam ſibi fuiſſe libertatem cadaver ſecandi, in cujus utero cancroſa et phagædenica ulcera ſe repperturum fuiſſe, nullus dubitavit.

1) *Dec. III. A. V. et VI. obſ. 21.*

CAPUT II.

Febres.

§. I.

Febres intermittentes, quarum ſanationi conveniens remedium Opium habetur a nonnullis Auctoribus.

Poſtquam, quousque in hæmorrhagiis ſanandis valeat Opium, in quarum certe medela uſus ejus valde limitari debet, clarius expoſui, progrediar jam ad febres easdemque primo intermittentes. In harum curatione, ex quo medicis priſco ævo innotuit, hoc remedium jam uſurpatum eſſe, nemo niſi in hiſtoria medicæ praxeos hoſpes negaverit facile. Fere ignorabatur equidem HIPPOCRATI patri adhuc Opium ipſum, aut ſaltem rariſſime adhibebatur, ut Sect. I. c. I. §. 5. vidimus; interim tamen alia narcotica, hyoſcyamum puta et mandragoram, commendavit ad quartanam cum ſucco ſilphii et trifolio in vino meraco. [a]) GALENVS vero Opium habentem theriacam in febre quartana collaudat, et multos hoc præſidio a morbo ſeſe vindicaſſe dicit. [b]) TRALLIANVS deinde varia ad quartanas habet remedia, quæ Opium, cicuta atque hyoſcyamus ingreditur. [c]) AETIVS etiam ad febres laudat pilulas Aſclepiadis ſibi familiares, ex paribus portionibus piperis longi, myrrhæ, Opii et caſtorei. Arabibus poſtmodum et inter eos AVICENNÆ frequenter uſurpata fuit theriaca. Plenius huc facientia expoſuit Cl. SCHVLZIVS diſſertatione *de intermittentium curationibus antiquis*, in cujus calce patere ex iis, quæ tradidit, inter alia, inquit, uſum anodynorum peritum et tempeſtivum in febrium curatione eſſe antiquiſſimum. Recentiori deinde tempeſtate non ſaltem theriacæ, ſed et cum eandem fere ſaltem ob Opium, quo prægnans eſt, vires ſuas exerere medici perſpicerent, Opium

a) *lib. II. de Morb. §. 39.*

b) *de Theriaca ad Piſonem, c. 26.*

c) *lib. XII. c. 8.*

ſolum ad febres uſurpari cœpit. Ita PARACELSI et ſequacium methodus medendi febribus fuit hora ante paroxyſmum exhibere pilulam opiatam. Poſt eum HORSTIVS [d]) febribus intermittentibus et quartanis præcipue laudanum deſtinavit. Multus etiam in laudibus Opiatorum in hiſce morbis eſt WEDELIVS. [e]) Provocat hic ad ſtudioſum ex recidiva tertianarium, ſimplici tertiana in duplicem commutata, qui nullo ſpecifico antifebrili curari poterat, donec tandem tres pilulas ex laudano opiato propinaret Illuſtris Medicus, quibus ſumtis indormiit patiens, levicule bis inhorruit, calor emanſit penitus, neque amplius febris rediit. Atque alibi, ſi minus cacochymici ſint ægri, et cum nimia ſanguinis ebullitione maxime vero cum virium reſolutione, dolore et vomitu conjungatur febris, tunc ſæpe nullo alio pharmaco proficiente, heroicum Opium hoſtem ſuperare, Vir clariſſimus affirmat. [f]) Ipſe in uſu habuit pulveres Opium recipientes, quibus ante paroxyſmum juſto tempore adhibitis multas febres ſe ſanaſſe teſtatur. [g]) Neque minus ETTMVLLERVS [h]) intermittentium paroxyſmos ſenſibiliter repellere Opium aſſeveravit, rigores potenter minuendo, et cætera ſymptomata mitigando. Circa finem ſuperioris ſeculi in Belgio uſum Opii in febrium curatione ſatis familiarem fuiſſe, ex BLANCARDI [i]) aliorumque Belgarum medicorum operibus conſtat. Inter Anglos FREINDIVS [k]) ad ſolutionem febris intermittentis Opium valere edixit. In Gallia ante tres et quod excurrit annos Cl. BERRYAT [l]) propoſuit Opio conſtans *novum remedium antifebrile.* Dedit ante paroxyſmum ſyr. diacodii ad unciam dimidiam, et poſtea plane laudanum Sydenhamianum. Raro repetitione opus eſſe dicit, quo autem ſecurior ſit curatio, illam perficit cortice peruviano. Vix vero hæc methodus nova audire poteſt, diu enim ita actum eſt, et ab ipſa inventione cortice fuerunt, qui inter illum et Opium aliquam eſſe analogiam rati ſunt. De febribus intermittenti-

d) *Probl. therapevt. Dec. I. quæſt. 7.*

e) *diſſ. de Opio c. XII.*

f) *Opiol. p. 95. 96.*

g) *l. c.*

h) *diſſ. de virtute Opii diaphoretica Cap. I. §. 4.*

i) *vide ejus Praxin, capitibus de febribus intermittentibus.*

k) *Emmenol. cap. XIV. p. 139.*

l) *Vide Memoires de Mathematique et de Phyſique preſentés à l'Academie Royale des Sciences par divers Savans*

et lus dans ſes Aſſemblées à Paris 1755. ubi praxin medicam concernentia habentur.

m) *vide Nigriſoli Febrem China expugnatam p. 53.*

n) *p. 64. 65.*

bus et earum remedio cortice peruviano, methodoque Talbotii agens AQVINVS, *æſtus febrilis ſanguinis*, inquit, *ſufficienter compeſcitur ope quinquinæ, centaurii minoris et Opii*; m) et apud NIGRISOLVM Opium febrifugum hypnoticum dicitur, ſanguinique motus ſui uniformitatem reſtituere. n) Neque Vratislaviæ ea medendi ratio fuit incognita, inter noſtros quippe Celeberrimus quidam dum vivebat Practicus, corticis et Opii æquus amator, in pertinacioribus et moleſtioribus febribus intermittentibus ante acceſſum Opium exhibebat, dum tempore intercalari porrigebat corticem.

§. II.

Id in Paroxyſmo noxium.

Ut autem remediorum opiatorum habitum ad febres intermittentes nunc accuratiſſime intelligamus et dijudicemus, ex theoria eorum nonnulla brevibus debemus repetere. Hæc etſi etiam nondum ſatis clara reddita eſt, etſi rationes ſufficientes reverſionum ſtatis horis et periodis paroxyſmum formantium adhuc in Democriti puteo latent, dare tamen debemus medicinæ mechanicæ ſtatori, Cl. BELLINI, febrem intermittentem a lentore humorum pendere. Hanc enim veritatem deinde inter alios artis promotores plenius adſtruxit cum doctiſſimo ſuo commentatore Ill. BOERHAAVIVS, qui in viſcoſitate liquidi arterioſi rubri et forte etiam nervoſi inertia cauſam proximam febris, atque in ejus ita conſtituti accumulatione certo tempore fiente, et ſtagnatione ad ultimos arteriarum apices in venas deſinentes, cauſam proximam paroxyſmi poſuit, ex qua frigus, velocior cordis contractio, inſequens calor, ſtagnantis reſolutio et paroxyſmi ſolutio optime explicantur. Atque lentorem in primi et ultimi generis arteriis vere ſubeſſe, ex eo demonſtratur evidenter, quod omnia remedia attenuantia et ſolventia, ſaponacea, ſimulque excitantia ſpiritus, nervina et corroborantia dicta, experientia teſte ſint antifebrilia; quorſum amara, acria aromatica, ſalina, ſapones, volatilia ſpe-

ſpectant, ipſeque peruvianus cortex, qui per millena experimenta potenter attenuat, etiam in decocto in vaſa viventium animalium injectus nervis ſimul amicum pharmacum; quodque ſolventiſſima mercurialia inter ſumma antifebrilia ab experientiſſimis medicis RIVERIO, RAMMAZZINI, BOERHAAVIO, HOFFMANNO, ASTRVCIO etc. reponantur. Ea omnia fautor theoriæ Bellinianæ bene intelligens Cl. FREINDIVS, ob hanc ſibi notam ſatis Opii vim attenuantem et ſolventem, id quoque antifebrilium catalogo inſerendum reputavit. *Cum ſanguinis particulas*, inquit, *attenuet Opium, facit, ut ſi quid in arteriolis hæſerit jam in venas trajici queat, unde remota omni obſtructione ſolvitur febris intermittens, quam a lentore alibi deduxi.* [a]) Egregia ſane et ſpecioſa eſt hæc FREINDII virtutis antifebrilis Opii ætiologia, neque audeo quicquam obloqui clariſſimo viro, ut nec aliis, qui ante ipſum omni tempore Opii vim antipyreticam propugnarunt; juvabit ſaltem uſum ab abuſu ſejungere, quod optime fiet diſtinctione temporum, quibus Opium ægris præberi debet, nam eorum intuitu etiam reſpectu corticis multa datur inter ſalubrem et inſalubrem uſum differentia, qui forte eam ob cauſam male audivit aliquamdiu, quod datus minus opportune et verſus paroxyſmum, aut jam præſente eo, damna non prætervidenda et neganda ſæpius attulerit. Quod Opium attinet, ejus uſui in intermittentium paroxyſmis interdicendum voluit WILLISIVS, [b]) et merito quidem. Evidenter ſcilicet docuit Illuſtris BOERHAAVIVS, [c]) in frigore febrili quocunque titulo exhibita valide ſtimulantia, ſalina, acria, aromatica, volatilia, oleoſa, certo damnoſa eſſe, ſæpeque inſanabilem creare inflammationem; atque hæc omnia cum cardiacis ſic dictis non minus merito damnavit Illuſtr. van SWIETEN. [d]) An nunc Opium eſt acre, aromaticum, calidum, cardiacum? Id ſi eſt, quemadmodum nemo facile negaverit, debebit omnino abeſſe a frigoris febrilis medela Opium,

a) *Emmenol. cap. XIV. p. 139.*

b) *Pharm. Rat. Part. I. Sect. VII. c. 2. p. 192.*

c) *Aph. 624.*

d) *in Comment. ad hunc aph.*

Opium, cum omni alio apparatu talium. Sane ſi illud cum omni ſua dote rite conſideretur, non una ſed plures rationes ſubeſſe deprehendentur, cur inſtante frigore febrili datum valde damnoſum declarari debeat. Videtur certe primo intuitu, dum naturalem calorem corporis auget, maximopere adverſari febrili frigori; at vero conſtitit experimento, id etiam ſatis magna doſi datum hoc fine tamen irritum fuiſſe. Recenſet FALLOPIVS [e]) largo præbio Opium exhibitum fuiſſe quartana laboranti, ſed poſt potum illum ſtatim rigore affici cœpiſſe. Non minus de potione ſua cardiaca Cl. BARBEIRAC (*medicamentorum conſtitutione p. 49.*) in aquis aromaticis theriacam ad ʒj habente, quam in febrium algore commendat, fatetur ipſe, quod nec ſufficiens, nec ſat efficax ſit ad imminuendum algorem, quare ipſi male ſalia volatilia adhuc adjici vult. Præterea Opium non valet coercere motum velociorem circulatorium, qui omni tempore febris adeſt; nam inſita vi non febrienti datum circulum auget, adeoque non inhibet, non minuit, ſed auget febrem. Deinde inſita vi expandere nititur fluida, vaſis interea frigore conſtrictis, quod ſuperare omni ſua antiſpaſtica virtute nequit; ſicque auget neceſſario anxietates et omnia mala, a congeſto verſus interiora corporis, verſus cor et encephalum ſanguine ſub frigore pendentia. Memini, datum medico agnato laudanum ab alio medico in frigore febrili ſummo convulſivi quid haberi viſo, verum parum dein abfuiſſe, quin inter ſummos angores veræ convulſiones accederent, quas tertius medicus ſagacior adveniens datis ſaponaceis et liquidis calidis avertit, anxietatem ſimul iisdem remediis tollens. Ego ſat certus, nil boni ab Opio verſus incurſurum paroxyſmum exhibito poſſe ſperari, exploſo novo conſilio Cl. BERRYAT, nulla aegris damnoſa futura experimenta inſtitui. Fecit tamen ea Ill. STOERCK, [f]) exhibuitque laudanum liquidum hora ante horroris ingreſſum. Sed bini ſaltem ægri poſt profundum

e) *de Compoſ. medicam. c. 8.*

f) *Anni Med. I. p. 77.*

fundum ſomnum a febre liberati ſunt, deinde vero manſerunt ſtupidi et debiles, carentesque appetitu aliis remediis opus habuerunt. Reliquis omnibus induxit temulentiam, paroxyſmos fecit longiores, et alvum conſtipavit. Non putat tamen vir eximius, ideo extra uſum ponendum eſſe hoc remedium, cum ſub ipſo paroxyſmo ſubinde inordinati motus in nervis fiant, qui eo prudenter exhibito optime domentur. Ego, antequam magnus WERLHOFIVS ſuas obſervationes de febribus edidiſſet, hanc artem ab Excell. noſtro Chriſtiano de HELWICH juvenis medicus edoctus, quomodo urgentiora et extraordinaria prorſus ſymptomata, quæ nervis affectis debentur, ut rigor, frigus intenſum, cephalalgia ingens, vomitus, ſingultus, anxietas ſpaſtica, ſopor, convulſiones, ſub ipſo paroxyſmo mitigari queant, maturam et largam exhibitionem corticis peruviani, ut novus paroxyſmus certo fugetur, præcipue valere expertus ſum, etiam in vernalibus, in quibus, multis ejusmodi ſymptomatibus ſtipatis, eo ſaepe non opus eſſe, certum eſt. Dira autem hæc ſymptomata, ſi adfuerint, cum, febre ita arcte unita ſunt, ut vix ac ne vix quidem, niſi hæc ipſa mitigetur et tollatur, mitigari et tolli queant, cum, ſi Opium ipſis dicetur, febris vis ſemper increſcat. Quae de febribus nervoſis habet eximius STOERCKIVS, periodicis acceſſionibus febres intermittentes mentientibus, de cardialgiis, doloribus colicis, vomitionibus, clavis hyſtericis, aſthmatibus, palpitationibus, ſtata hora cum horrore et pulſus agitatione revertentibus, dum hæc mala omnia dato ante paroxyſmum Opio præſcindi dicit, equidem eidem largior. Sed in his caſibus uſum corticis temporibus vacuis adornatum aeque et magis valentem, multoque certiorem et ſecuriorem, ac Opium, MORTONI proteiformem febris intermittentis genium exponentis veſtigia premens, a longo tempore ſat ſæpe expertus ſum. Neque opus eſſe credo, ut de nova methodo medendi intermittentibus febribus et morbis

periodicis ſine febre ſimus ſolliciti, cum cortex generi nervoſo amiciſſimus vix unquam in iis nos derelinquat. Utinam multa in arte darentur æque ſpecifica. Porro autem notandum cum cura eſt, quod Opium pergat agere ut Opium, quando ex febris indole ſubſequitur calor, adeoque ipſum hunc calorem velocitatemque circuli et orgaſmum intendat. Ita maximus calor horrori non inhibito ſucceſſit in illo homine, cujus meminit FALLOPIVS. Jam quando intermittentes ſæpe abeunt in acutas periculoſas, quod calori nimio et motui nimis excitato utplurimum debetur, [g]) atque quando docente experientia pipere, zingibere, aliisque talibus acribus et calidis cardiacis adhibitis hoc ipſum ita evenire obſervatur, ægris tacto capite in deliria, inque diatheſin viſcerum inflammatoriam, et in ſummum vitæ diſcrimen non raro detruſis: [h]) an tutum erit, Opium calidum urensque inſtar piperis ægro ſine diſcrimine exhibere? Neque hic aliquid boni ſpondet ejus vis attenuans, propter quam laudatur a FREINDIO. Juvant omnino attenuantia, verum eſt, ſed præſtant et ſimul ſecuriſſima ſunt attenuantia, quæ ſine calore et orgaſmo inducto agunt, quemadmodum aqua calida, mel, nitrum, merito BOERHAAVIO [i]) laudata, et maximis malis tollendis et præcavendis paria declarata. Hæc omnia ſi intellexerimus paulo exactius, non adeo faciles ſubſcribere poterimus WEDELIO, [k]) quando dicit, metuere equidem quosdam paroxyſmorum initio exhibita Opiata, cum materia ad cor jam ruit, qua facile illud prorſus ſuffocari poſſet, ſed metum inanem eſſe. Cauti potius mercabuntur cum Opio hoc tempore medici periti, et ſuum facient caſum, quem antea recenſuerat idem WEDELIVS [l]) de aegro, qui ante paroxyſmum pro hoc abigendo bibit ſpiritus vini frumentacei uncias IX, hincque in ſomnum delapſus profundiſſimum per 12. horas absque ſenſu et motu oculis apertis decubuit, nullo modo excitabilis, et quanquam ſpontaneo vomitu dein panem ſimul

g) *Boerh. aph. 752.*

h) *Vid. Syd. p. 375. Hoffm. Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. cap. de tertiana obſ. IX. Medical Eſſays Tom. I. c. 31. p. 296.*

i) *aph. 625. 626.*

k) *Opiol. p. 96.*

l) *p. 37. 38.*

mul aſſumtum cum ſpiritu vini redderet, denuo relapſus in ſoporem fuit, ægreque acidorum auxilio ab eo liberatus eſt, redeunte nihilominus iterum ſtata hora febre. Nonne vero analogam virtutem cum vino et ſpiritu vini habet Opium? id in antecedentibus abunde evici! Neque hoc ignoravit WEDELIVS;[m]) ipſo enim hoc loco, dum a vaporoſis ſomnum et ſoporem excitari exemplo ſpiritus vini probat, altero folio vim Opii ſoporiferam ad nullam claſſem aptius referri poſſe videri profitetur, quam ad effluvia vaporoſa, quibus id ſcatet, et quibus abſumtis nil lethiferi, nil ſomnolenti, poſſideret; adeoque pari paſſu ambulare cum ſpiritu vini Opium WEDELIVS jubet; ſi ergo in febre damnat ſpiritum vini, ſimul et damnet Opium neceſſe eſt. Neque tamen deſunt obſervationes, ut a ſpiritu vini, ita vere et ab Opio brevi ante paroxyſmum febrilem aſſumto, eadem et ſummi momenti damna enata, et mortem ipſam cum ſomno fuiſſe invitatam. Meretur certe hic legi totidem verbis, quibus id deſcribit, tragicum exemplum ſinceri et ſeveri monitoris Mortoni.[n]) *Opiata*, inquit, *qualia ſunt theriaca, mithridatium, diaſcordium, ſicuti ſub finem paroxyſmi adhibita absque manifeſta indicatione nil ad curationem promovendam conducere obſervantur, ita in primo inſultu, ſpiritus praepropere agitando atque interturbando, naturam in maximas ſi non lethales anguſtias inducere ſolent, a quibus ſpiritus prius confuſi difficulter admodum ſe liberare queunt. Opiata quippe juſtam ſpirituum expanſionem præpediendo, indeque gradum veneni deleterium multum promovendo, paroxyſmum febris intermittentis legitimum haud raro in funeſtam apoplexiam, vel coma, vel aliquem alium peracutum et lethalem morbum convertunt. Hoc pacto celeberrimus quidam vir ex ignorantia medici, in corticem peruvianum immaniter debachantis, e vivis ante diem ſublatus fuit, poſtquam in ſomnum profundum et apoplexiam delapſus eſſet.* Sane dum a remedio ſolo ſub febre exhibito ex operationis

m) p. 37.

n) Exercit. I. c. 6. p. 55. 56.

nis phyſicæ neceſſitate inductum fatale hoc ſymptoma, quod morbo proprium haud fuiſſet, conſideramus, recordari debemus omnino febrium eodem ex peſſima ſua indole ſtipatarum, de quibus ex inſtituto egit eruditiſſimus WERLHOFIVS. [o]) Hæ dum decubitu morboſæ materiæ ad caput potiſſimum fiente ſoporem creant, totiesque lethum afferunt, ni a perito medico cum febre hoc ſymptoma urgentiſſimum cortice largius dato ocyus fugetur, gratulari omnino debemus ægris ſenibus maxime et aliis etiam ætate junioribus, ſi pro conſtitutione morbi praeſente bona fortuna id abſit, et ſecurum eſſe ſinat cum illis medicum. Quale igitur nefas, Opio creare febrem ſoporoſam, ægrumque præter omnem neceſſitatem in periculum medica manu dare præcipitem!

o) *in Obſervationibus de febribus.*

§. III.

Extra eum interdum proficuum, multa cautione ſi exhibeatur.

At enim vero ſi datum imminente jam frigore, aut ſub eodem, Opium ſit remedium vel noxium, vel ſi naturæ forſan robore ſuperetur valde anceps, proderit forte alio tempore juſta cum circumſpectione adhibitum. Monſtravit rerum uſus, inter methodos medendi febribus intermittentibus illam hercle non ultimo loco poni debere, quæ ſudore ante prævisum paroxyſmum excitato febrem fugare molitur. Pulchre interdum hæc per diaphoreſin ſuccedit curatio, cumque Opium ſit diaphoreticum adeo magnæ efficaciæ, tuebitur etiam ſine dubio ſuas virtutes antifebriles, hoc ſine opportune exhibitum; atque certe hoc monſtrat locuples experientia. In genere ſcilicet per ſudorem, quomodocunque etiam ante duas vel tres horas paroxyſmi motum et diu ſatis ultra tempus, quo hic venturus erat, ſuſtentatum, priſco jam tempore, ſine Opio etiam, quin ſine omnibus internis remediis, febres ſanavit venerabilis vetuſtas. Memoratu dignum eſt, in fragmento, quod de ægyptiaca praxi ad Græcos deinde delata conſervavit AETIVS, [a]) verba legi: febrientem ægrum perunctum veſtibus obtegendum eſſe, ut

a) *Lib. I.*

ut moveatur ſudor, ſalutis optimum indicium, febremque deinde ceſſaturam. Ita jam ante HIPPOCRATEM methodus ſudorifera in intermittentibus curandis in uſu fuit. Sed et hic, dum tertianæ et quartanæ medelam deſcribit, [b]) radice pentaphylli nil juvante, de ſudore movendo verba facit, atque doctiſſimus SCHVLZIVS diſſertatione jam laudata circa finem, ex adductis a ſe clarum reddi, ſcribit: *vetuſtiſſimos medicos plurimum tribuiſſe externis adminiculis, quibus poros aperirent.* Eumque in finem poſtea cum aliis CELSVS [c]) circa id tempus, quo frigus ingruere ſueverat, in balneum deducendos ægros voluit. Recentiori deinde tempeſtate et internis remediis, juſtoque regimine conjuncto, talem ſudorem movere ſtuduerunt medici; ipſeque SYDENHAMVS ſerpentariæ virginianæ beneficio, qua ad ℈j in vino albo ſumta æger coopertus ſudare ante paroxyſmum jubetur, febres ſanare docuit; [d]) alio tempore ſtragulis bene tecto ægro ſudores exprimens ſero lactis cereviſiato, cui ſalviæ folia incocta, iisque obortis pilulas cochias in aqua vitæ theriacali ſolutas exhibens, ſimulque alvi ſeceſſum proritans. [e]) Diaphoretica etiam ante paroxyſmum aliquot horis cum variis aliis auctoribus exhibenda commendat ETTMVLLERVS. [f]) Spectat huc quoque quam maxime methodus Cl. MUYS, [g]) qui per ſal ammoniacum, ante paroxyſmum ſub regimine diaphoretico datum, profligari feliciter febres poſſe monſtravit. Neque reticendum conſilium BOERHAAVII, [h]) quod in *Chemia* ſuppeditat, de dando elæoſacharo quodam, cum ſale tacheniano, et aqua aromatica, dum æger in balneo pedum et crurum locatur, quorum beneficio, ſi uſus per bihorium ultra tempus expectati paroxyſmi extendatur, fere omnes tertianas, etiam in ſenili corpore, curatum iri ſpondet; ut alia ejus conſilia, quæ paſſim leguntur, de decoctis lignorum reſinoſorum et aromaticorum ſub tempus febris potandis, taceam. Ad eundem hunc ſcopum ſi quis medicorum, quemadmodum cita-

b) *Lib. II. de Morbis.* §. 5.

c) *Lib. III. c. 13.*

d) *Oper. p. 391.*

e) *p. 110. 111.*

f) *Operum cap. de febribus intermittentibus.*

g) *de præclaro ſalis ammoniaci ad febres intermittentes uſu.*

h) *Tom. II. p. 140.*

citatis remediis, ita et diaphoretico Opio, cum prudentia uti voluerit, idque duabus tribusque horis ante paroxyſmum exhibere, vel ſolum, vel potius aliis attenuantibus et diaphoreticis ex modo laudatis mixtum, nil habeo quod opponam. Nimirum uti experientiæ, ita certe et rationi, hæc per diaphoreſin medicationis methodus apprime eſt conformis. Etenim ſi, antequam ingruat frigus, ſtatus nempe febris, quo a peripheria ad centrum corporis urgentur liquida, motus eorum a centro ad peripheriam jugiter excitetur; hic contranitetur alteri, eumque impediet perpetuo; ſicque calor, qui non accedit, niſi prægreſſum fuerit frigus, aberit neceſſario; paroxyſmique initio ingruere impedito, dum liquida non moras nectere et hærere poſſunt in arteriis capillaribus, fluxusque eorum haud interruptus ingreſſusque liber in venularum principia perdurat, etiam paroxyſmi medium et finis haud oborietur, ſed totus aberit. Verum dum, ut antea elocutus ſum, calida data verſus tempus febrilis frigoris, vel ſub eodem, valde noxia evadere poſſunt, ſuis etiam cautionibus egere methodum ſudoriferam per calida, ut Opium eſt, intentatam, ſponte credo innoteſcit. Elegantia ſunt, quæ de theriaca huc facientia jam conſignavit AETIVS. [i]) *Laudatur et ob id*, inquit, *quod omnem inſultum diuturni rigoris et algorem tollat, bilisque vomitum acceſſionis et exacerbationum tempore aliquando concomitantem ſedet. Maxime vero quartanis conducit theriaca, ſi quis ea ingenioſe utatur. Ego*, ait GALENVS, *multos quartanarios facillime liberavi, primum quidem eos per vomitum a cœna evacuavi, deinde ſequenti die mane abſynthii cremorem exhibui; atque ita duabus horis ante acceſſionem antidotum ipſam dedi et mirabiliter adeo ſæpe ſucceſſive novi, ut confeſtim nulla acceſſione, qui accepiſſet, impeteretur. Verum utendi tempus non in principio morbi eſt, ſed cum perfecta concoctio in urinis apparet, etenim ſi in principio præbeatur, congeminat morbum.* Spectat huc Obſervatio Riveriana, quæ

i) *Tetrabibl. IV. Serm. I. c. 96.*

quæ *Cent. II. No. 46.* legitur: *A febribus tertianis longiſſimis multi liberati ſunt, ſumendo in declinatione poſt purgationes frequenter iteratas drachmam unam theriacæ mane per triduum. In quibus caliditas magis timebatur, a cœna fuit exhibita. Unus autem ſumſit theriacam ſine conſilio medici, morbo adhuc crudo exiſtente cum urinis rubris, et febris aucta eſt.* Pulchre etiam HORSTIVS [k]) monet, plurimas febres intermittentes *poſt præparationes et purgationes debitas* auxilio laudani opiati ſublatas fuiſſe, 2 vel 3 horis ante paroxyſmum exhibiti. Plaudo igitur WEDELIO [l]) et cautiones ejus additas laudo, quando prodeſſe Opiata dicit, quatenus materiam a corde propellunt ſudorem movendo, *materiam vero debere eſſe præparatam et depletam*, tunc vero ſi reliquiæ quædam remaneant, et rebelles ac ſæviores inſultus fuerint, optime profutura Opiata, ſimul monens. Atque ſub his cautionibus etiam FREINDIVS, [m]) cui ſudorifera in curatione febrium cœteroquin valde diſplicent, Opiata, quibus quidem nulla medicina ex ejus ſententia ad aperienda cutis ſpiracula eſt efficacior, lubens concedit, nempe ſi præceſſerint euacuantia alia, cum tota res parum tuto ſudoriferis credatur. Ut vero et juſto tempore adhibitum, et præmiſſis præmittendis demum præſcriptum, ſudoriferum Opium ſine omni noxa et cum ſalute ægri ageret, ejus actionem facilitantia et tutam præſtantia omnia conjunxit in *Sudorifero ſuo antipyretico raro fallente* Illuſtris BOERHAAVIVS. [n]) Scilicet ſalia, ſyrupum ſaponaceum, aquas deſtillatas aromaticas, extractum amarum, decoctum ex radicibus, lignis, herbis, ſeminibus acrioribus leniterque vaſa ſtimulantibus, ſapiens Opio adjecit. Bene vero atque iterum iterumque hic obſervari volo, experientiſſimum virum hæc talia non niſi ſenſim et aliquot horis ante paroxyſmum aſſumi voluiſſe, diluentiumque et attenuantium magnæ vi ſuppetias amicas Opio ferendas commiſiſſe; doctiſſimumque ejus COMMENTATOREM [o]) adjeciſſe

k) *Probl. therapevt. dec. I. quæſt. 7.*

l) *l. c.*

m) *Comment. III. de febribus.*

n) *Mat. med. Sect. 761.*

o) *Tom. II. p. 551.*

cau-

cautiones, Opium non tanta copia præſcribendum eſſe, ut narcoſin faciat, ſed ſaltem ut ſpirituum turbas pacare poſſit; atque omnia hæc ad frigus præcavendum, non ad impugnandum, ſaltem uſurpanda; ſi nihilominus illud obſtinata febre accedat, ſtatim ſeponi debere, cum ſtimulantia omnia et calefacientia tum nequaquam conveniant. Ego in praxi propria non ſemel opiatis remediis, diaſcordio fracaſt. et theriaca veneta, Celeb. noſtrum de HELWICH imitatus, qui ita procedere quandoque in febribus ſolebat, mediocri doſi aliquot horis ante ſtatum frigus, ſuperingeſtis lignorum decoctis, ſuſtuli intermittentes, tertianas praecipue, quarum paroxyſmi breviores erant, neque æſtu inſigni aut capitis dolore graviore ſtipabantur; ſed et non raro diaphoreticis lenioribus Opioque non armatis eas devici. Præſtant ſcilicet ſemper diaphoretica antiphlogiſtica phlogiſticis, quæ inter diaſcordium et theriaca primas tenent. His præferri mirum quantum meretur Germanorum theriaca rob ſambuci, cum ſalibus; talia nunquam mutant intermittentem in continuam, quod improvidus theriacæ venetæ uſus, TVLPIO [p]) et aliis teſtibus, ſæpe facit. Memini cum voluptate, olim me ſtudioſum Lipſienſem tertianam vernalem, qua laborabam, ſanaſſe tartaro vitriolato cum rob ſambuci aſſumto, hauſto deſuper largius infuſo Thée, ad ſudorem usque, hujusque fluxu deambulatione citatiore inter amœniſſimas tilias (quas florere cum alma ſtudiorum meorum matre ad finem ſeculi jubeat Deus!) diutius prolicito. Attamen non dememini etiam, me deinde practicum in urbe patria, actis omnibus quam religioſiſſime, quibus BOERHAAVIVS, MUYS et alii ſudore excitato febres abigi poſſe docuerunt, non tamen ſemper voti compotem fuiſſe redditum, ac non raro incertiori hac methodo derelicta ad certius et nunquam fallax febrifugum, corticem, accedere debuiſſe. Dedi aliquando conſilium virgini quartana laboranti, ut aliquot horis ante paroxyſmum pediluvio uteretur, hujusque et decocti calidi

p) *Monit. medicorum Obſervationibus annexorum No. 30.*

lidi radicum aperientium nitro et melle acuati beneficio ſudorem moveret, ratus quartanam ita certo ſanatum iri, cum HAGENDORNIVM ſolo pediluvio quartanas difficiles curaſſe legiſſem *M. N. C. Dec. II. Ao. VI. obſ. 144.* Ter et quater adhibita hac methodo, tamen præciſe ea hora, qua ſolebat, revertebatur paroxyſmus, ſudorem adventu ſuo ſubito abſtergens et decurſum ſuum præfracte abſolvens, donec cortice in fugam ageretur. Prorſus vero non tentari ſed longiſſime abeſſe debent ſudorifera, calida maxime, a febrientibus, quando morbi ipſius ægrorumque conditiones decenter conſideratæ illa omnino prohibent. Scilicet in febribus, ut cum SYDENHAMO [q]) loquar, in continuitatis vicinia hærentibus, methodus per ſudorem valde periculoſa eſt; talia nempe calida cardiaca, ut ipſe notat, ex intermiſſione remiſſionem, ex remiſſione continuitatem facile faciunt. Neque plethorici, juniores, vinoſæ diætæ addicti, animo cito mouendi, facile ferunt paullo acriora ſudorifera ſine metu febris exacerbandae. Deinde tenerioribus ſubjectis a paroxyſmis, quos ſuperarunt, languentibus, pauperie vel diſſolutione ſuccorum ſolidisque inducta debilitate laborantibus, atque propterea nimis ad ſudandum etiam tempore intercalari proclivibus, non convenire remedia diaphoretica, etiam temperatiora, ſed iisdem adhibitis corpora exſucca magis gracileſcere et plane in tabem præcipitari poſſe, nemo rerum intelligens diffitebitur. Præſtat tunc certe et multiplici alio reſpectu præferri debet cortex peruvianus, vel ſolo Ill. WERLHOFIO ſat idoneo teſte, febrifugum omnium certiſſimum; et in quartana maxime curanda, ut jam edixit SYDENHAMVS, hactenus unicum; inque febribus illis, ubi ſopor vel aliud urgens ſymptoma febre ipſa pejus adeſt, exempli cauſa dolor capitis acutior, delirium, ſpaſmus, convulſio, neque tamen ſine febre abacta abigi ſe patitur, remedium prorſus benedictum, ſine quo mature et largiter exhibito bene multis ægris morien-

q) *Operum p. 375.*

dum erat. Attenuat hic cortex, quem inter omnes reliquos primum ſalutabat Cl. HAHNIVS noſter, ſat potenter lentorem febrilem, quod cum HOFFMANNO, BERGERO, FREINDIO, qui experimenta in ſenſus incurrentia ſuppeditavit, alii clariſſimi viri evidenter probarunt. Roborat egregie debilitata vaſa et viſcera; promovet omnes ſecretiones et excretiones et has intercutaneam quammaxime; convenit agendis actis, ſubjectis ſine exceptione omnibus, languidisque et debilibus mirum quantum; tumque, quando ſine materia motus febriles inducti ſunt, aut ejecta et correcta materia habituales redditi, prorſus praeclare ſeſe gerit, atque ſic multoties diaphoreticis antifebrilibus ipſisque adeo Opiatis, quæ in totum HOFFMANNO [r]) in curatione febrium improbantur, præferri debet. Non obliviſci debeo methodi illius a BOERHAAVIO [s]) commendatæ, qua ad abundantem colluviem in primis viis tollendam ante paroxyſmum purgans datur aut vomitorium, ſubjuncto Opiato. Verum cautio notari ſimul debet, quam adjicit vir ſummus, primo, ut utrumque evacuans detur ante paroxyſmum eo ſpatio, quo ante hunc effectum præſtat; ſecundo, ut abſoluta operatione Opiato tumultus ſedatus ſit ante febrem. Hoc niſi probe obſervetur, et vel evacuantis maxime generoſioris operatio duret, vel Opii exhibitio differatur, ubi febrile frigus jam inſtat aut vere adeſt, non poteſt non paroxyſmus multum turbari et gravior diuturniorque reddi, aut continuæ generationi occaſio dari; quod ex aliena experientia factum fuiſſe, novi. Illud ſaltem incommodi videtur habere hæc methodus, quod pro gradu mobilitatis et immobilitatis materiæ febrilis in primis viis hærentis, et pro operatione citiore et tardiore purgantis et emetici, quæ nulla ratione prævideri nequit, horarum numerus, quibus ante paroxyſmum vel hoc vel illud exhibendum eſt, ne in hunc illa incidat et eo jam præſente vigeat et perduret, determinari ſeſe haud patiatur. Accedit et hoc,

r) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. p. 31.*

s) *Aph. 759.*

hoc, quod minimum tertianæ et quotidianæ, (nam quartanæ toties ſtatam horam ſuæ acceſſionis ſervant) incertis horis, duabus, tribusve, non raro anticipent ſuum ingreſſum.

§. IV.

Sed ut nil de laude, quæ ipſi debetur, Opio demam, fatear ingenue, cortici, in febrium medela remedio principi, illud adjectum quandoque amiciſſimas ferre ſuppetias, ita ut is citius certiusve febrem agere in fugam queat. Id quidem ſummos medicos, RIVERIVM, WILLISIVM, HORSTIVM, PIENS, DECKERVM, HEVRNIVM, bene intellexiſſe et cum fructu remediis febrifugis Opium adjeciſſe, optime annotavit HECQVETVS.[a]) Hos omnes ea methodo febres maxime obſtinatas domaſſe aſſerit, et praxin etiam hodiernam jubere monet, ut cortici peruviano Opium, capita papaveris vel flores chamomillæ ſedativa virtute gaudentes, adjiciantur. Neque etiam præter rem ſcripſit PITCARNIVS,[b]) cortice quovis tempore citius et perfectius debellari febrem, ſi laudanum medicamento febrifugo fuerit admiſtum. Sane ita jam agere ſolitus eſt TALBOTIVS, cujus febrifugum præſtantiſſimum ex adverſariis AQVINI ſuppeditat NIGRISOLVS,[c]) quod conficitur ex cort. per. fl. cent. min. et theriaca partibus anaticis; ſimileque medicamentum in uſu habuit ipſe NIGRISOLVS. Edoctus ſum olim hujus artificii valorem ab Illuſtr. noſtro de HELWICH, qui electuariis chinatis libenter diaſcordium frac. et theriacam adjiciebat, atque ſæpiuſcule fructus inſignes talis connubii expertus ſum. Maxime autem illud valet in illis caſibus, ubi febris ſine omni materia a ſolo pathemate animi, veluti terrore vel nauſea, exorta eſt, nullo vitio in humoribus exiſtente, ſed ſola motuum anomalia peccante. Prandium ceperat cum amicis in horto ſub umbra arboris frondes longe lateque extendentis fœmina ſenſibilioris animi, dumque cultro carnis aſſæ fruſtulum dividere vult,

Cortici quandoque cum fructu jungitur.

a) *p. 248. 249.*

b) *Elem. Med. lib. II. c. I. §. 47.*

c) *in Tract. qui Febris China expugnata inſcribitur p. 44.*

vult, disſcindit, quæ de foliis ex alto forte ceciderat, horridam adſpectu erucam. Quamquam vero de hoc inſperato ferculo nil deguſtaſſet, tamen adeo terrore et averſatione ejus commovebatur, ut altera die gravi paroxyſmo febrili corriperetur, poſt unam intercalarem redeunte. Quid vero hic profuiſſet evacuantium, omniumque amarorum et ſalinorum exhibitio? cui bono paroxyſmorum iteratus reditus in ægra antea pulchre valente ſibi permittendus fuiſſet? dum ſolum motuum vitium ſuberat. Protinus potius exhibebam ſingulis bihoriis corticem, paucasque guttulas laudani liquidi unicuique præbio addebam, eo effectu, ut febris poſt uſum remedii non amplius rediret, et continuatione hujus laxiori plena ſanitas brevi reſtitueretur.

Sed ſupereſt peculiare officium, quod Opium cortici interdum præſtat, qui aliter cum omni ſua dote febrifuga fruſtra ingereretur, non obſtantibus idoneis doſibus. Notavit videlicet SYDENHAMVS, [d]) etſi cortex nulla pergandi virtute pollet, tamen ob peculiarem quorundam corporum temperiem atque idioſyncraſiam perſæpe accidere, ut ab ejus uſu tanquam a carthartico fortiore aſſumto æger violenter expurgetur; inque hoc caſu laudanum vino inſtillatum poſt alternas doſes aſſumere juſſit, ſi diarrhœa perſtiterit, ne pulvis juſto citius per alvum expulſus diſperdatur, antequam ſuo fungeretur munere. Namque ingeſto cortice fluxione alvina ſuborta, illius virtutem febrifugam perire, laudano vero adjecto reſtitui et ſervari, poſt PITCARNIVM, [e]) FVLLERVM [f]) et alios Illuſtris WERLHOFIVS [g]) et *Commerc. literarium Norimbergenſe* [h]) ſolerter annotarunt. Dum hæc omnia vere ita ſe habere rerum uſu convictus fui, primo intuitu pene miratus ſum, Cl. MEAD [i]) purgans alvum cortici admiſcendum ſtatuiſſe. Ita enim ille inquit: *Cortici aliquod catharticum adjungi, novum fortaſſe videbitur; minui enim et fruſtraneas eſſe ejus vires putant noſtri medici, niſi dum ille aſſumitur venter ſit adſtri-*

d) *p. 382. idem Morton. Operum Tom. II. p. 230. edit. Amſtel.*

e) *Element. lib. II. c. I. §. 47.*

f) *Pharmacopœiæ extemp. p. 79.*

g) *Obſ. de febribus p. 99. 100.*

h) *Anno 1734. hebd. 21.*

i) *Monit. med. p. 23.*

ſtrictus. Longa autem experientia me edocuit; exiguam portionem rhabarbari remedio additam, ut alvus bis de die dejiciat, virtutem ejus non minuere, ſed augere. Ita certe vir optimus inter artis exercitia longævitatem adeptus contradicere e diametro videri poterat, ut aliis, ita et civi ſuo non minus practicotato, SYDENHAMO. Sed nil datur diſcordiæ, ſi omnia expendantur a peritis in ſua arte medicis. Sæpiuſcule animadverti, certiſſimam eſſe obſervationem SYDENHAMI, corticis fructus expectatos perire, ſi æger ſub ejus uſu lubricitate alvi et vera diarrhœa laboret. Servari forte potuiſſet illuſtriſſima quædam comitiſſa, quæ olim in Sileſia Auſtriaco adhuc ſceptro ſubjecta primas tenuerat, ut alii ſimili malo laborantes ſervantur, ſi plus ſimplici vice jam febris ſoporoſæ paroxyſmum expertæ datum tandem a medico extractum corticis in ſyrupo quodam dejectiones alvinas haud moviſſet, atque ita omnem uſum remedii irritum reddidiſſet. Interim tamen non minus verum eſſe comperi, nil nocere ſub uſu alvum liberam, maxime ſi libertas ſit effectus inſtaurati, qui antea languebat, motus periſtaltici, fæcesque digeſtæ et compactæ excludantur; ipſeque, nondum viſis monitis Meadianis, conſtipationem forte inferenti cortici addidi purgans corroborans rhabarbarum, vel et ſecutus veſtigia præceptoris HOFFMANNI [k]) clyſma leniens injiciendum curavi, aut pilulas ejus ex extractis amaris exhibui; namque adſtrictionem alvi non pertinere ad ea, quæ promovent operationem feliciorem corticis, et ſeceſſum naturalem alvi vel paulo ultra naturalem extenſum nil illi nocere, ipſe dudum expertus eram. Atque ipſum illuſtrem MEAD diſtinguendum voluiſſe inter alvum liberam et diarrhœam, ex eo clarius conjici poſſe puto, quod, dum agnoſcit fortiora purgantia irrita reddere omnia bona ex uſu corticis ſperanda, cavendum eſſe edixerit, ne nimis purgetur æger, hincque drachma una vel duabus rhabarbari abſumtis, ſolo antidoto inhærendum eſſe injunxerit; quodque rhabarba-

k) *diſſ. de China p. 84.*

 rum

rum adjici voluerit cortici in febribus, quæ in hydropem vergunt, atque in corporibus craſſioribus humoribus gravatis. Nonne vero ſic ſupplet rhabarbarum evacuationes, quæ ante uſum corticis etiam bene ſuſcipi poterant, ita ut ſolus poſtea bene locum habere queat? Nil ergo decedit laudibus Opii vi retardandi alvum pollentis, et ad diarrhœam a cortice evenientem infringendam ſerio commendandi, per Meadiana monita illis primo intuitu adverſari viſa.

§. V.

Febres continuæ. Ab intermittentibus febribus ad conſiderationem continuarum pedem promoveo, num in harum medela Opium exhibere expediat, nec ne, ſedulo inquiſiturus. Prorſus aliter hic ſenſiſſe veteres, quam quidem in ſanatione intermittentium, quibus ut modo vidimus opiata pharmaca dicabant, evoluta ipſorum, quæ nobis reſidua ſunt, ſcriptorum monumenta abunde probant. Etenim in ſynocho imputri et putrida, in febre ardente aliisque continuis omnibus, ſumma ipſis habebantur auxilia, VS. et frigidæ potio; hisque fere contenti fuere Græci antiquiores et latini; iisque præſidiis poſteritas deinde horæorum ſuccos, ſyrupos ſubacidos limoniorum et acetoſitatis citri, berberum rubi idæi, ribium, etc. oxyſacharum et ex talibus parata julapia adjunxit. Neque mirum, priſco tempore ad acutas febres non tracta fuiſſe pharmaca Opio prægnantia, cum id fere ignoraverit HIPPOCRATES; GALENVS vero, quem per tot ſecula medici ſecuti ſunt, theriacam peculiari libro commendatam nullibi contra febres continuas et ardentes, ſed ſaltem tanquam inſignem antidotum venenis opponendam, et ad chronicas ægritudines ſuperandas idoneam declaraverit. Sane vix antea a neotericis in febrium acutarum medicatione adhibitum eſt Opium, quam ex quo malignitas in medicinam irrepſit, atque veneni quippiam in humoribus oberrans pro cauſa omnium febrilium malorum antidotis ſuis oppugnandum, alexipharmacisque et bezoardicis eji-

cien-

ciendum ex corpore eſſe creditum fuit; in illorum quippe compoſitionibus pene omnibus, ex acri et calide farragine invito Apolline conflatis, Opium deliteſcere notum eſt. Hoc tamen et per ſe ſolum recentiori tempore et ſuperiore potiſſimum ſeculo valere in continuis febribus, perſuaſum ſibi habuerunt clariſſimorum virorum haud pauci, neque noſtra ætate deſtituimur practicis, qui ſine Opio graviorem febrem acutam vix curabilem eſſe ſibi imaginantur, licet ſanioris theoriæ et praxeos cœteroquin probe gnari alexipharmaca et bezoardica nequaquam adhibenda velint, nec ipſi adhibeant. Magnus certe ille materiæ medicinalis reformator LVDOVICI,[a]) dum ad ſua uſque tempora Opium magno ægrorum damno neglectum fuiſſe queritur, dignitatique ſuæ et uſui reſtituere allaborat, efferveſcentiarum ſanguinis inter alia ſimul mentionem injicit, atque iis compeſcendis illud par reputat. Neque minus SYLVIVS[b]) capite, quo de vitali ſanguinis efferveſcentia læſa agit, Opiata quamvis humorum efferveſcentiam coercere, ſcribit. Eandem ſententiam animo infixam tenuit WILLISIVS;[c]) *In febribus*, inquiens, *cordis et pulmonum motus intenſiores et crebriores, quibus ſanguis rapidiſſime circumagitur, ab Opio refringuntur, ita ut ſanguis mox leniter et temperate circuletur, caloremque minus intenſum diffundat*; et aliquibus interjectis: *Opiata,* ait, *cruoris febriliter æſtuantis ebullitionem immodicam reprimunt, ejusque accenſionem nimiam imminuunt, fluctusque omnes in corpore excitatos feliciſſime ſedant et ſanguini perturbato ſtatum ſæpiſſime halcyonium inducunt.* Quanquam vero non temere, interim tamen etiam non timide, agendum eſſe medico, dum Opiata in febribus præſcribit, WEDELIVS[d]) ſuadet, qui, bezoardicis fixis et volatilibus, nitroſisque ante et poſt illa uſurpatis, eadem motus furibundos compeſcere et orgaſmum humorum reprimere, pronunciat. Tantam autem in Opio vim antipyreticam repoſitam autumat ETTMVLLERVS,[e]) ut ad univer-

a) *in Pharm. mod. Seculo applicanda p. 367.*

b) §. *125. Operum p. 207.*

c) *Pharm. Rat. Part. Sect. VII. c. I. p. 184. 185.*

d) *Opiol. p. 99. 100.*

e) *diſſ. de vi Opii diaphoretica c. I. §. 4.*

verſum febrium exercitum, in ſanguine fere omnia ſurſum et deorſum miſcentem, prodeſſe Opium contendat, quod in continuis benignis et malignis impetus ferociores reprimere et refrænare aſſerit. Plane autem ad ſtuporem in febribus calidis et impetuoſis Opium juſta doſi cordis contractionem ſufflaminare, LINDESTOLPIUS[f]) affirmat; atque poſt ſumma elogia Opio in genere decreta Gabriel CLAUDERUS[g]) aſſerere haud dubitat, quod præter alia commoda, ab eo expectanda, ſedet et figat calidos ſanguinis præter naturam ebullientis tumultus. Omnibus his elogiis calculum ſuum quoque non denegat magnus Opii encomiaſtes HECQUETUS:[h]) licet enim, ut in ſequentibus edocebo, luculenter aliena ab hac ſua adſertione paſſim proferat, tamen generatim de febribus acutis inflammatoriis agens Opiata et in earum principiis frequenter adhibenda vult, atque ad SYLVIUM, BARBETTE, WILLISIUM, SYDENHAMUM, MORTONUM, PITCARNIUM, FREINDIUM, ipſosque medicos Vratislavienſes provocat, (quo jure, quaque injuria, ex alibi dicendis eluceſcet,) hosque autores omnes duces in hac praxi proponit. Alio vero loco [i]) laudatus auctor ignes, ardores, inflammationes, turbas, agitationes ſanguinis, quibus omnibus medici VSem non adeo amantes ad eam inſtituendam coguntur, præveniri et abigi poſſe per ſedativa dicit. Non diſſentit certe ab eo recentior ſcriptor GEOFFROY,[k]) dum Opium ſanguinis motus efferos compeſcere diſertis verbis affirmat. Non vero in Europa ſubſtitit Uſus Opii in febribus, ſed et æſtuante ſub Jove degentibus Indis, febrilique æſtu accedente incenſis, prodeſſe reputatus eſt. Celebris quippe apud eos polyater BONTIUS, *ſi nobis hic Opio et Opiatis non eſſet proſpectum, fruſtra*, ſcribit, *in calidiſſimis his regionibus medicinam faceremus febribus ardentibus et reliquis bilioſis affectubus orgaſmo turgidis.*[l]) Atque alibi,[m]) in febribus continuis, quas tanto plerumque furore Indos invadere recenſet, ut tanquam atto-

f) *de Venenis p. 667.*

g) *Eph. N. C. Dec. II. A. V. obſ. 178.*

h) *p. 127.*

i) *p. 336. 337.*

k) *Mat. Med. Tom. II. p. 695.*

l) *Med. Indorum in Notis ad Garciam ab Orta c. 4.*

m) *Med. Ind. lib. III. c. 14.*

attonitos de ratione mentis ſtatim dejiciant et ſæpe intra pauciſſimos dies, imo aliquando horas pauciſſimas, cum perpetuo delirio, perpetuis vigiliis comitibus, e vita rapiant, ad philonium, requiem Nicolai, mithridatium et præcipue ad laudanum crocatum confugiendum eſſe, dicit. Ita puto ſatis probatum dedi, quid Opio in febribus continuis tribuerint multi clari viri, quos adhuc hodie in praxi haud pauci ſequuntur. Neque enim in recentioribus adeo diſpenſatoriis deſunt elogia pharmacis opiatis affixa, quod dotes antorgaſticas et antifebriles cuſtodiant. Solum, in quo tale quid maxime abeſſe optarem, allego *Viennenſe*, [n]) in quo de requie Nicolai notatum lego, *quod æſtum febrilem compeſcat*. Favere adhuc Viennæ Opiatorum in febribus acutis uſui video virum ſummum L. B. de STOERCK. Ita enim ſcribit: [o]) *Opiata in acutis prudenti manu debito tempore exhibita nocuerunt nunquam; imo ſomnum conciliando, inordinatos naturæ motus domando, ægris mentem et vires erexerunt, quod alia medicamenta nunquam præſtare poſſunt: hinc Opiatorum in acutis neceſſitas probatur.* Favere etiam videtur anodynis veſpertinis in acutis, et non ſaltem ſyrupo diacodii, ſed et laud. liqu. guttulis Cel. COLLIN: [p]) verum ſine his noctes tranquillæ obſervatæ, [q]) et poſt guttas 12 nox inquieta. [r]) Atque hanc quidem Opiatis aſſignatam virtutem illos omnes tueri debere clarum eſt, qui vere Opio ineſſe virtutem imminuendi ictus pulſuum, circulumque retardandi ac ſanguinem refrigerandi contendunt; namque hi per hypotheſin ſuam jus quoddam adipiſcuntur Opium exhibendi ægris velocitate pulſus laborantibus, ſeu febrientibus. Miror eapropter vehementer non omnes horum uno ore clamare, Opium eſſe antifebrilium ſummum, darique inter eos, qui nihilominus in acutarum febrium curatione ab Opio potius dehortantur, quemadmodum facit Fridericus HOFFMANNUS, quem tamen imbutum eſſe hac de

n) *p. 71.*
o) *Anno medico I. p. 71.*
p) *Anno medico III.*
q) *p. 44.*
r) *p. 45.*

Opio ſententia, quod retardet humorum circuitum, Sect. I. Cap. II. ſub experientia prima indicavi.

§. VI.

Theoria earum et praxis generalis.

Ut ſine ambagibus, an jure ita ſenſerint allegati boni viri et plures qui allegari poterant, ſineque ambiguitate et ceſpitatione aſſequamur, debemus quædam in animum revocare ex moderna theoria et praxi febrium acutarum, quæ aliquot propoſitionibus exhibenda tanquam evicta ſumere licet.

1. Febris eſt circulatio celerior, cognoſciturque ex velocitate ictuum pulſus, naturali majore.
2. Inflammatio eſt ſtagnatio portionis ſanguinis in apicibus arterioſis, cum celeritate libere adhuc per vaſa fluentis aucta.
3. Cauſa circulationis celerioris, ſive cauſa febris, eſt vel ſtimulus irritans villos cordis et vaſorum, vel obſtructio et reſiſtentia in arterioſis finibus.

   Ante hanc theoriam moris erat, pro cauſa febris allegare fermentationes et efferveſcentias ſanguinis, quas chemici medici in artem introduxerant; ſed non probavit eas SYDENHAM, [a]) et confutavit in chemia paſſim BOERHAAVIUS. [b]) Favet tamen iis adhuc WERLHOFIUS, [c]) atque denuo ζέσιν et ζύμωσιν invehendam eſſe in theoriam febrium urget, novique ſyſtematis febrium a ſe edendi ſpem fecit, quod dum nondum poſſidemus, inhærendum adhuc illi, quod ſuperſtructum rationi et experientiæ hodie mechanica ſchola ſuum poſſidet.

4. Stimulus, dum celeritatem parit, creat brevi capillarium obſtructiones, quæ cum celeritate circuli abſolvunt ingenium inflammationis. Sed et obſtructio creat celeritatem et conſiderari poteſt tanquam ſtimulus, maxime ſi hæreat in locis ſenſibilibus. Ergo febres acutæ omnes poſſunt conſiderari tanquam inflammationes,

a) *Operum p. 58.*

b) *ut Tom. II. Part. II. Proc. 114.*

c) *Cautionum de limitandis laudibus et vituperiis morborum et remediorum p. 39. ſeq.*

quæ

quæ vel hærent in aliqua parte præcipue, tumque ſunt particulares, vel fere in capillaribus omnibus totius corporis, tumque ſunt univerſales.

5. Dividuntur febres acutæ in benignas et malignas. Benignarum ingenium pulſu celeri, ſed ſimul forti abſolvitur. Malignarum celeri quidem, ſed ſimul languido. Videtur harum idea collocanda in fluidarum pro maxima parte ſtagnatione, dum minor movetur, viriumque motricium minuta energia, a miaſmate putridæ et ſepticæ indolis eam ſubito deſtruente. Ideoque ad malignas ſpectat ille torpor febrilis, quo præſente peſſima ſæpe febre laborat æger, licet hæc ſeſe notis ſuis vix manifeſtare videatur.

6. In ſanitatem naturæ et artis moliminibus finitur febris ſtimuli ſubactione, obtuſione et excretione per colatoria, ut ita agere ceſſet; deinde obſtruentis tali attenuatione, ut aſſimilatum iterum fluat cum humoribus; vel aſſimilari impotentis, ea tamen attenuatione et præparatione, quæ coctio vocatur medicis, ut eliminari queat tranſpiratione inſenſibili, vel excretione quadam ſenſibili, per ſudorem, ſalivam, vomitum, diarrhœam, urinam, facta criſi; quibus viis et præter cauſam febris omne illud, quod per febrem motu et calore in ſolidis ultimis et fluidis a naturali dote degeneravit, ſimul eliminatur.

7. In alium morbum aliquando etiam abit febris, dum ſpiſſum obſtruens, cauſa vel effectus febris, non omnino attenuatur et eliminatur, ſed in loco quodam reſtitat; hinc obſtructiones viſcerum et ſcirrhi, bubones, parotides: vel ſi obſtruens et ſtimulans urgetur in arterias laterales, ibidemque hæret aut et earum continuitatem ſolvit; unde maculæ rubræ, puſtulæ, eryſipelas, phlegmones ſuppurationes, gangræna, ſphaceli: vel ſi elutriatus ex humoribus, quibus immiſtus erat, ſtimu-

lus ad exteriora deponitur, ut in febre ſcarlatina, morbillis, variolis.

8. Ex febre etiam nimis ſæpe evenit mors. Nunquam vero illa efficit, ut prorſus deſinat antea acceleratus circulus, quam vel impetu ſuo humores immeabiles redditos intrudendo in vaſcula ultima arterioſa viſcerum vitalium, cerebri, pulmonis, cordis, quin et ſolvendo in ſua continuitate aut rumpendo hæc vaſcula per impetum, vel ſepſin, motu et calore humoribus acribus redditis, atque ſic functiones viſcerum vitalium tollendo, quæ ſine ſalva vaſculorum permeabilitate et continuitate ſubſiſtere nequeunt; vel humoribus lentis et perſpirare neſciis infarciendo exhalantes minutulas arterias in faucibus, lingua, œſophago, inteſtinis, quæ poſtea comprimunt abſorbentes venulas, atque ſic liquida nutrientia vitæ commeatui neceſſaria ingredi haud ſinunt. In priori caſu functiones cerebri, pulmonum, cordis turbatæ, in altero ſiccitas magna interni oris et canalis inteſtinorum, aphthæque in his locis hærentes, mortem annunciant. Eaque propter functiones cerebri et pulmonum naturales, linguæ humiditas ſine aphthis, ſecuritatis in febribus indicia.

9. Indicationes genuinæ in febre ſunt:

1. Vitæ proſpicere, cibo et potu congruis.
2. Vires circuli ita dirigere, ut ſint idoneæ vincendo morbo et ſuperandæ ejus cauſæ, dum ſine auxilio circuli cauſa nunquam tolleretur. Fit hoc moderando exceſſum motus, qui deſtrueret minuta capillaria pulmonis et encephali vaſa, vel immeabili liquido infarciret, dum torpens motus ſubactioni, coctioni et excluſioni materiæ morbificæ haud ſufficeret, qui ergo potius incitandus. Si nec excedat multum, nec torpeat impetus febrilis,

lis, ſed inter exceſſum et torporem quaſi medium ſervet, hæc indicatio plane cadit.
3. Acre ſtimulans demulcere et exterminare.
4. Lentorem obſtruentem ſolvere ac attenuare.
5. Febris effectus ſymptomata mitigare interim, donec ſuperata cauſa cum iis ceſſet febris, probe diſcernendo ſymptomata critica a vere morboſis.

10. Remedia his indicationibus maxime inſervientia per communem experientiam deprehenſa ſunt VS. purgatio antiphlogiſtica, clyſmata, attenuantia, diluentia, ſolventia, ſaponacea, obtundentia, antiſeptica, cum omnibus præſidiis, impetum nimium vitalibus viſceribus incumbentem noxiumque futurum revellere aptis.

Cum his omnibus præmiſſis dum nunc comparo Opium et phænomena ejus uſum ſequentia, audacter ajo, id eſſe remedium non ſaltem nequaquam bonum, non ſaltem inſecurum et anceps, ſed noxium plane ſemper et quandoque nocentiſſimum in febribus acutis et inflammatoriis. Id ut evidenter monſtrem fautoribus ejus ſecus ſentientibus, probabo ordine, Opium

1. non quadrare ingenio febris et inflammationis;
2. retardare abitum in ſanitatem, ſi hæc ſequatur beneficio naturæ vel aliorum remediorum congruorum ſimul uſurpatorum;
3. favere generationi aliorum morborum, in quos quandoque abit febris;
4. juvare mortem et eam creantes cauſas;
5. contrariari indicationibus juſtis;
6. turbare coctiones et criſes;
7. contrariari remediis veris;
8. nil facere ad minuenda ſymptomata, ſed pleraque intendere, aut minus opportuna ratione minuere.

Id ſi præſtitero, conſtabit puto aſſerti mei veritas, et patebit horrida et diabolica Opii facies in febribus, quam cum angelica WILLISIVS ei tribuit.

§. VII.

Opium non quadrat ingenio febris et inflammationis.

Opium cum utraque comparatum. Ad febris et inflammationis ingenium pertinet viſcidum obſtruens, celeritas motus et a celeritate pendens calor et rarefactio. Sed docent phænomena a ſumto Opio evenientia, naturalem et ſedatum etiam antea motum circulatorium accelerari, rarefactionemque majorem nondum præter naturam raris humoribus induci. Quid igitur fiet motui jam per morbum accelerato, et humoribus jam a morbo rarefactis? An ergo febri et inflammationi congrueret Opium? Videant quomodo nunc ejus virtutem in febribus tueantur patroni Opiatorum! Solide certe et egregie ſcripſit Cl. YOUNG:[a]) *Univerſalis certe regula eſt et probe tenenda, quod Opium in omnibus internis inflammationibus, phrenitide, pleuritide, angina etc. noxium ſit. Hoc momentum certe per nimis crebram experientiam meo infortunio didici, idque non ſaltem theoriæ de Opio deque his morbis ſtabilitæ, ſed et ſententiis et medendi methodis omnium medicorum, quos conſulendi occaſionem habui, reſpondet.* Addit vir egregius rationes prægnantes: cum enim datum homini ſano capillaria vaſa repleat et diſtendat, cutem calidiorem et ſicciorem reddat, quin et in largiore doſi propinatum febris ſpeciem cum ſudore, linguam aridam, efficere ſoleat, patere dicit, quam in iis caſibus noxium eſſe debeat. Eapropter etiam nullam cautelam practicam in febribus inflammatoriis curandis juniori medico magis obſervatu neceſſariam cenſet Cel. PRINGLE,[b]) quam ut per totum morbi decurſum ab omnibus remediis opiatis abſtineat, etſi dolor et pervigilium urgentia adfuerint ſymptomata. Equidem exceptiones exiſtere poſſe dicit, ſed paucas eſſe et determinatu difficiles. Forte vero eapropter habere poſſet locum,

a) *cap. 34.*

b) *de morbis militum Part. III. c. I. p. 153. edit. Germ.*

cum, quod rarefaciendo et attenuando removere poſſet molem obſtruentem, cauſam febris et inflammationis primariam. Id quidem poſſent urgere ejus amatores, cum manifeſte attenuet, vel quod idem eſt efficiat, ut ſanguinis particulæ minus invicem cohæreant. Sed notandum eſt, indicari equidem utique in inflammationibus attenuantia, verum talia, quæ non ſimul calorem augent et pulſum intendunt. Habemus ad hos fines nitrum, acida vegetabilia et ſaponacea, ſine omni noxa agentia in lentorem obſtruentem, ſimulque, quod therapia inflammationis vult, circulum moderantia, orgaſmum et calorem reſtinguentia. Non ergo Opium dicatum eſt ſolvendis obſtructionibus acutis phlogiſticis; ſed lentis chronicis magis conveniret, ubi ſimul aucto circulo opus eſt: nam attenuat et ſimul auget circulum, ut vinum et ſalia volatilia. Uti ergo hæc non conveniunt inflammationi, ita nec Opium, quod nulla indicatio poſcit. Quin Opium per ſe minus opportune datum, ut vinum et ſalia volatilia, poteſt creare inflammationes; nam omne motum circulatorium incitans in ſubjecto maxime diſpoſito poteſt hoc facere. In cane, cui drachmas duas Opii ſolutas injecerat Cl. SPROEGEL,[c] quarto die mortuo ventriculum, inteſtina et omnia viſcera valde inflammata invenit. Quomodo ergo hæc mala, magna doſi Opii omnino creata, idem remedium minueret minori licet doſi exhibitum, ſi aliis de cauſis nata jam adeſſent? Hæc omnia dum conſidero, non poſſum ſatis mirari, qui adeo turpiter amore Opii percitus ſeſe decipere potuerit bonus HECQVETVS. Agens de febribus et earum curatione Cl. PITCARNIVS,[d] optima remedia eſſe ait VSem et remedia rareſcentiam nimiam ſedantia. Verum inquit, ſi unquam contigerit ulli noſſe medicamentum, quod ſtatim tollat ſanguinis rareſcentiam et motum imminuat, nullo ſero ſymptomate ſubſequente, id fore præferendum VSi; ſed donec illud fuerit inventum, VSem eſſe celebrandam affirmat. Hoc deſidera-

c) *diſſ. cit. Experim. 43.*

d) *Elem. med. Lib. II. c. I. §. 33. 35.*

deratum PITCARNII præter omnem rationem Opium explere HECQVETVS opinatur. [e]) Verum eheu! in ſequentibus ſemet ipſum aperte confutat. Namque alibi [f]) diſertis verbis accuſationem falſam eſſe dicit, quod Opium curſum ſanguinis inhibeat et circulationem retardet; cum potius motum intendat et turgeſcentiam augeat, ſudore inde nato hujus rei teſte, cum faciem ob turgorem humorum intenſe rubram reddat et quaſi inflammet. Quomodo hæc aliquis conciliaverit cum deſiderato PITCARNII? Imo vero, dum HECQVETVS bene ſcivit vim Opii ſudoriferam ab aucto motu et turgeſcentia ſanguinis oriundam, debuiſſet ſaltem legere attentius ea, quæ PITCARNIVS in ſubſequente §o annectit, et tum intellexiſſet abunde, nil minus quam Opium ejus deſiderato ſatisfacere; ut nihil de aliis effectubus Opii dicam, a PITCARNIO in diſſ. *de circulatione in genitis et non genitis*, ſolerter enarratis, ad quos etiam non reſpexiſſe videtur HECQVETVS. Scilicet PITCARNIVS, poſtquam deſideratum ſuum propoſuit, ſtatim addit: [g]) *Animadvertendum vero eſt, non debere nos temere ſudorifera in febre exhibere; hæc enim faciunt augmentum motus et rareſcentiæ non cito deſiturum.* Si ergo Opium ad calida ſtimulantia, ſudorifera, turgeſcentiamque inducentia ipſo aſſerente HECQVETO pertinet, ſatis patet, id, tantum abeſt ut minuat impetum et rareſcentiam, quod ab antifebrili remedio VSi ſuperiore poſcebat PITCARNIVS, eum potius intendere, atque eapropter febri continuæ curandæ minime convenire. Verum et dum Opium loco modo allegato antichloroticum et emmenagogum merito ſalutat HECQVETVS, ſibi ipſi contradicit: nam hæc remedia vere febrem artificialem faciunt, lentoreque ſic ſoluto et obſtructis antea viis reſeratis, ac exſtimulatis villis vaſorum, chloroſin et menſium retentionem ſanant; illa autem, quæ febrem facere apta ſunt, ſine dubio abeſſe debebunt, quando febrem abeſſe volumus, aut ſaltem febrilem motum imminu-

e) p. 5. 8. 9. 140.

f) p. 184.

g) §. 16.

minutum cupimus. Porro quoque, quando in fine libri ſui[h]) etiam aliud deſideratum HOFFMANNI de obtinendo remedio univerſali habet HECQVETVS, clariſſimumque virum illas dotes in eo adhuc inveniendo poſtulaſſe notat, ut pulſum roboraret, liberumque circulum præſtaret, ſublatisque ubique ſpaſmis ac ſine acri calore tranſpirationem et alias excretiones reſtitueret, hasque dotes Opio ineſſe magna fiducia affirmat, aperte credo commonſtrat, aut deſiderato PITCARNIANO, aut HOFFMANNIANO, id non reſpondere. Namque PITCARNIVS debilitatum pulſum, HOFFMANNVS corroboratum, exoptabat: ſed utrumque certe perinde et pro lubitu medici ab uno eodemque Opio vix expectare licebit, quod tantum pulſus robur intendit, non autem ſine acri calore, quem potius infert, neque omnes excretiones reſtituendo; ut adeoque et HOFFMANNI deſideriis non prorſus ſatisfaciat. Teſtantur certe abunde fluctuantia et minus ſibi ubique reſpondentia aſſerta HECQVETI, quam parum ſæpe cognitum habeant verum Opii ingenium et illi medicorum, qui eodem familiariter utuntur, atque id maximopere amant, ac polychreſtum et panchreſtum eſſe reputant. Dolendumque valde, talibus elogiis non bene perpenſis et trutinatis alios practicos, jam proclives in frequentem et juſto frequentiorem Opii uſum, in ejus nimios amores tanto fortius accendi. Summum omnino foret ſpecificum febrium acutarum id pharmacum, quod motum ſanguinis circulatorium inhiberet et rareſcentiam ejus ex nutu medentis ſubito tolleret; ſique Deo ita viſum fuiſſet creare corpus naturale non ſolum animalibus ſed et vitalibus motubus mitigandis par, quod ſimul ſenſum obtunderet et interea nil in corpore immutaret, ex quo mutato damna ſanitati et vitæ emergere poſſent, eſſet omnino præſtantiſſimum et myriadibus hominum ſervandis aptum, qui in flore ætatis ex unico motus circulatorii augmento, nulla arte ad mediocritatem redigendo, orbi valedicunt. Sed

h) *p. 373.*

 tale

tale remedium genus humanum, peccatis ſuis morbos et mortem adſciſcens, non merebatur. Nimis gratioſa extitit adoranda divina miſericordia, Opii largitione nobis indulgens medicamen, quod recte uſurpatum ægritudinibus multis opitulatur, licet in febribus acutis haud juvet, ſed in iis potius graves noxas inferat, ut in ſequentibus videbimus.

At enim vero ſim ut decet ſatis cautus, neque nimis feſtinante pronunciatione prorſus abeſſe jubeam a febribus, et plane iis noxium declarem Opium. Seria ſupereſt conſideratio ſtimuli, circuitum celeriorem producentis. Sit verum et evictum, Opium per ſe accelerare circuitum; forte autem, dum ſtimulum celerioris motus auctorem inhibet, motum ipſum coercet, illo agere prohibito. Inquiram igitur in hoc momentum diligentius. Id vero dum paro, ante omnia mihi diſtinguendum eſt inter actionem ſtimuli et ſenſum agentis ſtimuli, quem toties Opium inhibet, illa nihilominus manente; ut infra, quando de doloribus acturus ſum, conſtabit. Dum vero cor paucioribus nec magnis nervis inſtructum cum arteriis fere non ſentit, licet ſit viſcus ſumme mobile et irritabile, adeoque in ſe ad dolorem excitandum inhabile eſt, ſatis patet, ſi motus auctus adſit ab irritante ſtimulo, motum hunc auctum Opium non poſſe minuere, quia non a ſenſu, ſed a mobilitate et irritabilitate in ipſa fabrica reperiunda, pendet, quam vtramque vi experientiæ primæ Opium potius auget, circulum humorum incitans et accelerans. Dum in morbo moleſtiſſimo ad Opium recurrere cogebatur Ill. HALLERVS, in proprio corpore didicit, id eo ipſo tempore, quo ſenſum doloris minuit aut tollit, vires cordis augere; ex quo concludere licet, motus vitales a nervorum viribus haud pendere.[i]) Si ergo Opium minuere debet motum cordis auctum, debet agere in ipſum ſtimulum irritantem, eumque vel obtundere, vel eliminare. De obſtructione apicum arterioſorum, ut ſtimulo agente, cui in febribus tollendæ Opium non quadrat, jam dixi;

i) *vid. die Göttingiſche Anzeigen von gelehrten Sachen; 149 Stück.*

nunc

nunc vero brevibus et ſummatim percurram omnes alios ſtimulos febriles, quos aliunde nemo prudenter deduxerit, quam a geſtis, ingeſtis et retentis. Stimulum a motu corporis nimio compeſcit quies cum diluentibus nitroſis, non Opium. Vitia aeris calidi, humidi, putridi, alia præſidia volunt: atque utinam contentum in aere epidemicum θεῖον Opio ſe infringi pateretur! ſed medicos nimis ſæpe latet verum ejus antidotum. Stimulus acidus, muriaticus, aromaticus, alcaleſcens, vult diluentia, demulcentia ant-acida, acidiuſcula, ſaponacea, acida, non Opium. Vitia humorum retentorum acriumque ſua etiam ſpecifica corrigentia atque evacuantia poſcunt. His vero expenſis non video alias cauſas febrium ſtimulantes, quam vigilias, affectus animi et hærentem in quadam parte corporis ſenſibili dolorem. In vigiliis a motu aucto et inflammatione haud pendentibus locum habere poteſt Opium; ſed ſi ab his pendeant, nocet, ut alibi monſtrabo. In affectubus animi cum aliis idoneis remediis conveniens erit pharmacum, ſi nondum inde nata febris nimis jam ardet, ſed naſci ſaltem incipit. In dolore vero accuratiſſime attendendum, an dolor ſit cauſa febris, an febris cauſa doloris: nam ſi febris ſit cauſa doloris, nulla ratione prodeſt, ſed potius nocet Opium, ut alio loco fuſius exponam. Si vero etiam dolor cauſa febris fuerit, tamen adhuc multa cum circumſpectione adhibendum eſt Opium: quod de doloribus ſeorſim acturus evidenter edocere haud obliviſcar. Patet igitur, etiamſi ad ſtimulum febrilem unice attendatur, tantum tamque frequentem locum non eſſe Opio, ut aliquis intempeſtivus ejus amator præceps exiſtimaret.

Verum licet omnia hæc, quæ ediſſerui, extra omnem controverſiam locata videantur, repugnat tamen BOERHAAVIUS, qui exorbitanti motui febrili inter alia remedia etiam diſertis verbis opponenda ſuaſit Opiata.[k]) Quid ego ad hoc conſilium? Mirum hoc certe! Opium quippe circulum auget et calefacit; reliqua vero hic ab eximio viro laudata,

k) *Aph. 610.*

 data,

data, ſunt vera refrigerantia, circulumque minuentia, abſtinentia, victus tenuis, potus aquæ, aer frigidiuſculus, animi affectus lenis. Mitius interim ſentit, dum mentem præceptoris ſui explicat Illuſtr. Commentator van SWIETEN. Omnibus nempe modo memoratis prius adhibitis, ſi nondum compeſcatur impetus, demum confugiendum eſſe ad Opiata monet, eaque in initiis acutarum non adhiberi debere conſulit, quia etiam magna doſi data ſola non ſufficerent ad hunc ſcopum, imo teſte SYDENHAMO obſint. Quantam autem vim habeat Opium in frænando nimio febrium impetu, ſi opportuno tempore exhibeatur, patere imprimis dicit in curatione variolarum. Ego ad hæc Boerhaaviana et Swieteniana notari volo: certum eſſe, Opium in ſe ſemper circulum intendere et calefacere. Ipſe BOERHAAVIUS [l]) diſertis verbis docuit: *Opium motum animalem minuere, circulatorium intendere*; et alibi exhibituros Opium monuit, ut perpendant, *id calefacere et ideo plus rarefacere et commovere ſanguinem.* Si ad hæc attendere juſſit, non potuit voluiſſe, ut ſine diſcrimine exorbitanti motui febrili opponatur Opium, cum id per ſe naturalem exorbitare faciat. SWIETENIUS fatetur ultro, ſola Opiata ad hunc ſcopum inſufficientia haberi; ego dixerim potius pace viri ſummi, aliis ſæpe ſufficientibus contrariari. Sufficit, quod SYDENHAMUS allegatus a SWIETENIO diſertis verbis ſcribat: [m]) *Vigente febre prodeſſe non poſſe Opiata, quia fermentationem vi atque impetu procurrentem ſiſtere nequeunt, etiam in maxima doſi exhibita.* Si cum aliis congruis nihilominus exhibeantur, forte hæc liberalius data, quam Opium, hujus noxiam in hoc caſu vim cicurant et enervant maximam partem, vi ſua multum præponderante: id quod de acidis et nitratis, largius dari in febribus ſolitis, quammaxime valet. Certiſſimum igitur manet, nunquam Opium refrænare impetum circuli, niſi cauſa impetus ita comparata ſit, ut Opii dati ſpecifica vi minui vel tolli queat, quemadmodum

l) *in Commentario ſuo ad aph. 229. et 610. ſine ejus præſcitu edito.*

m) *Operum p. 81.*

modum ſub certis conditionibus in animi affectu et dolore. Quando in variolis impetum circuli frænat Opium, hoc facit non in prima, ſed in ſecunda febre, eademque ſymptomatica, quæ præter turgorem ac acrimoniam humorum et perſpirationem prohibitam maximam partem ab irritatione membranarum et nervorum, intenſiſſimoque dolore pendet. Hunc dum lenit, prodeſt, et eatenus moderatur circuitum. Multa vero limitatione et circumſpectione hic opus. Longe certius hic minuitur, ſi Anglorum more turgentes et acres ſucci catharticis datis evacuentur, et demum veſpertino tempore exhibeatur Opium, aut id prorſus omittatur, ut ſuo tempore clariſſime oſtendam. Ad impetum primæ febris cohibendum nemo facile id exhibuerit. Ita opinor ſatis conſtat, valde reſtringendum eſſe aſſertum BOERHAAVII de minuendo per Opium impetu circuli. Egregie vir ſummus, dum ante tractationem de febribus in genere de morbis ab exceſſu motus circulatorii ſolo loquitur, duas claſſes ponit remediorum et mentem et corpus reſpicientium. [n]) Inter priora, id eſt, menti dicata ejusque pathematibus, poſſunt locum habere Opiata, licet ea non nominet. Inter poſteriora, ad corpus facientia, ſaltem ad dolorem trahi poſſet Opium. At vero hic, quod bene notari volo, non vult BOERHAAVIUS, ut doloris ſenſus obtundatur, ſed ut doloris cauſa tollatur; Opiique ipſius plane non meminit. Num vero ad doloris cauſam tantum valeat Opium, ut putatur, diſpicere volumus alibi.

n) *Aph.* 103. 104. 105.

Atque ita Opium vix dicari poſſe febri et ejus cauſis, clarius evictum eſt, et ut verbis utar licet alibi ſibi contradicentis Cl. GEOFFROY, *Mat. med. Tom. II. p.* 710. *rariſſime in acutis et inflammatoriis illud exhibendum eſſe patet, ne ſimulata morbi ſedatione et medicus et æger ſimul decipiantur.* Neque ex illorum ſententia, qui efferveſcentiam, fermentationem, motum inteſtinum, orgaſmum, inter cauſas ponunt, aliquid ei laudis accedere poteſt, cum manifeſte turge-

re humores ex ſua natura faciat, turgorique præternaturali et effervescentiæ eapropter infringendis deſtinari haud queat.

§. VIII.

Opium retardat abitum in ſanitatem, eumque, ſi vi naturæ et aliorum remediorum reſtituatur, obtentu difficiliorem reddit.

Hæc veritas ex antea dictis ſponte fluit. Quicquid enim morbo ſanando non convenit, id remoratur ſine dubio naturæ et artis molimina ſanationem reſpicientia. Febris acuta facit, ut pulſus celerius et altius vibret, ut corpus præter naturam incaleſcat, ut ſanguis expandatur. Id idea febris et experientia loquitur. Sed et non minus experientia loquitur, ab Opio pulſum celerius et altius vibrare, corpus incaleſcere, ſanguinem expandi. An igitur, dum Opium febri deſtinatur, hic valebit practicus canon contraria contrariis tolli? an potius alius verus deprehendetur, ſimilia ſimilibus conſervari? Nonne ignem igni addit et oleum camino affundit, qui Opio febres acutas ſanare molitur? Nonne, dum Opiato ſive mane ſive veſperi dato gravior febris redditur, quam futura erat ſine Opio, proh pudor! æger cum viribus ſuæ vitæ duos hoſtes oppugnandos habet, et morbum, et effectus minus opportune a medico ſuo exhibiti pharmaci? Certe quando Opium ægro febrienti abs re datur, niſi ſimul ipſi porrigerentur indicata et indicatiſſima refrigerantia remedia, nitrum et ſubacida, ſæpe trucidaretur ab Opio; illisque huic contranitentibus vitæ conſervationem unice quandoque debet. Dum autem bonitate illorum remediorum et naturæ ſuperſtes manet, quando Opium accepit, non alia laus inde redundat in Opium, quam in draſticum, emeticum et purgans improvido conſilio datum, quo non obſtante nihilominus ſupereſt et utcunque valet æger. Sæpe miratus ſum, temeraria et abſurda medicatione tractatos ægros ſupervixiſſe, cautiſſima exceptos obiiſſe: illam tamen proinde imitari, et fortunæ ſoli committere morborum exitus, medicum haud decet, qui tali in caſu otioſus ſpectator

tor omittendo ſaltem multo levius peccaſſet, quam committendo peccat. Obſervavi non raro, cum uno tempore a diverſis medicis tractarentur ægri febre acuta laborantes, mitius decubuiſſe ſanitatemque citius recuperaſſe illos, qui Opium non acceperant, cum Opio tractati gravius haberent et tardius cum ſanitate redirent in gratiam, ſi redibant. Neque præter rem affirmo, febres, quæ forte primo ſeptenario judicatæ fuiſſent, extendi ad ſecundum et ultra abuſu Opii. Quin certum eſſe pronuncio, omnem morbi decurſum placidum turbari Opio, dum hoc juvat effectus febris et ſymptomata exacerbat. Plus ſimplici vice advocatus ad tales ægros, qui illud antea quotidie circa veſperam ſumſerant, de die in diem increſcente morbo cum omnibus ſuis incommodis; manente priſtina methodo, ſaltem ſepoſito Opio, omnia ſtatim in melius mutata non ſine voluptate animadverti.

§. IX.

Opium favet generationi aliorum morborum, quos ex ſua indole quandoque generat febris.

Morbi hi ſunt maculæ rubræ, puſtulæ, eryſipelas, phlegmones, ſuppurationes, gangrænæ, ſphaceli, obſtructiones et ſcirrhi viſcerum. Maculæ omnes et puſtulæ apparentes in cute ſemper ponunt humorem immeabilem, hærentem in vaſis ejus ultimis, perſpirationi ſervientibus errore loci in ea delatum, cum ſecundum naturam talem non vehant. Sunt ergo parvulæ obſtructiones et inflammationes arteriolarum cutanearum, oriunturque, dum impetu febris in eas urgetur liquidum craſſius, quam fert earum diameter, atque ibidem ſtagnat; aut dum acrius et ſepticæ quandoque indolis liquidum eo delatum ultimos apices ſub cuticula exedit et abſcindit. Eryſipelas eſt lata macula rubra ſuperficialis a tranſitu ſanguinis vel ſeri flavi ad illa loca, unde ſudor et perſpirabile ſanctorianum exire deberet. Phlegmone eſt ſtagnatio ſanguinis profundior in adipe, termina-

minaturque in ſuppurationem, gangrænam et ſphacelum, ni reſolvatur. Obſtructiones viſcerum fiunt ab humore lento, hærente in eorum vaſculoſa ſubſtantia. Scirrhi ſunt obſtructiones meatuum et folliculorum in glandulis, liquido immeabili cum meatu et folliculo in unum corpus concreſcente. Omnia hæc mala naſci ex ſola febre, eoque citius, quo magis invaleſcit febris, experientia loquitur. Optime jam ſcripſit PITCARNIVS, [a]) ob auctum motum et rareſcentiam in febre cum majore vaſorum cutaneorum dilatatione, ſi parva pars ſanguinis poſſit exudare ad cutim, puſtulas et maculas rubras oriri. Sunt ergo hæ effectus ipſius febris. Quicquid igitur intendit vim febris, id accelerat omnino ejus effectus; inde eſt, quod notante toties SYDENHAMO [b]) a regimine calidiore et calidis ſudoriferis peſſimæ maculæ, petechiæ adeo cum purpura ortæ fuerint in febribus; cum quo prorſus conſentit GVALTERVS HARRIS; [c]) quodque talia exanthemata, ut idem SYDENHAMVS [d]) monet, VSe et refrigerantibus præcaveantur, præſentesque medicamentis talibus talique regimini cedant. Atque ante paucos annos, incongruum diaphoreticorum uſum frequentem affectuum exanthematicorum cauſam eſſe, Halæ eleganti diſſertatione, ſub Celeb. BVCHNERI præſidio habita, demonſtratum fuit. Verum enim vero certiſſimum eſt, Opium aſſumtum augere motum circulatorium et augere ſanguinis rareſcentiam; dumque maxima vi cutaneam excretionem proritat, dilatabit vaſa cutanea, adeoque etiam, ut ipſa febris, faciet exanthemata. Neque hoc conjici ſaltem a priori ex notis ejus viribus, ſed reapſe ita evenire, phænomena uſum inſequentia in ſano etiam corpore monſtrant. Inter ea enim pruritum et efflореſcentias cutis Sect. I. Cap. II. §. 22. ſigillatim annotavi. In cujus rei fidem inter alios ibi citatos adhuc ſemel produco HECQVETVM, qui ardorem in cute, pruritum, puſtulas, evenire Opio ſæpe utentibus ultro affirmat. Quod ſi nunc Opium hoc reſpectu atque etiam in

a) *Elem. lib. II. c. I. §. 7. 8.*

b) *p. 206. 208. 659. 681. 682.*

c) *de morb. Inf. p. 79.*

d) *p. 207.*

ſano

ſano corpore idem facit, quod febris, juvabit omnino actionem febris, hancque reddet magis validam; ſique eſt ſudoriferum calidum, faciet ea omnia, quæ faciunt ſudorifera calida, id eſt, ſi febris nondum procreaſſet exanthemata, efficiet ut eo citius naſcantur; aut ſi procreaſſet pauciora, Opium procreabit numeroſiora; ſi benigniora, Opium faciet, ut naſcantur exanthemata pejoris notæ; namque intendendo impetum tanto facilius urgebit liquida in vaſa cutis, eorumque oppilationem et diſruptionem maturabit, ſicque non raro oborientur exanthemata valde ſymptomatica, nil minus quam bonam criſin pollicentia. Ex iisdem autem rationibus naſci poterunt latiores maculæ eryſipelaceæ et phlegmones graviores. Sique, quod confirmat SYDENHAM,[e]) ſudorifera calida præter neceſſitatem in febribus pariunt internas inflammationes peſſimæ indolis, phrenitidem et pleuritidem, quæ non generatæ fuiſſent ex febre, quidni etiam calidum ſudoriferum Opium tales poſſet ingenerare, diatheſi inflammatoria in ſanguine, dum ardet febris, jam præſente. Satis ſæpe ſola ſua vi febrilis impetus, nulla mala arte adjutus, lentum phlogiſticum urget in ultimos arterioſos apices hujus vel illius viſceris; ſatis ſæpe ſola ſua vi, niſi arte coerceatur, diſrumpit et abſcindit ipſa vaſcula, eaque atterit et cum liquidis, quæ inibi moras nectebant, ramenta minutiſſima miſcendo, progenerat pus. Rectiſſime igitur in omnibus internis inflammationibus Cl. YOUNGIUS[f]) uſui Opii interdicit propter metum ſcilicet, ne aucta febre et circuli impetu ſuppuratio fiat in iis partibus, ex quibus pus nullum habere poteſt exitum. Atque metum hunc non ſaltem non inanem eſſe, ſed in ipſa ratione fundari, qua Opium in corpus humanum agit, docere poteſt ille abſceſſus hepatis, ex temerario uſu hujus remedii memorante Cl. ALBRECHTO[g]) enatus. Famulus quidam pharmacopœi, ut ſocio contradicenti monſtraret, ſe Opium ſat innocens pharmacum habere, ſumſit veſperi grana 8 laudani. Dormivit

e) *p. 111.*

f) *p. 144.*

g) *M. N. C. Dec. III. A. V. et VI. obſ. 22.*

mivit in ſecundam diem nullo labore citius expergefaciendus. Abhinc carebat appetitu, tardus erat, languidus, ſegnis. Poſt aliquot hebdomades cum pallore vultus adfuit febris lenta et reſpiratio difficilis, dolor acceſſit acutus et pulſans in dextro hypochondrio cum hujus tumore. Hinc abſceſſus adeſſe judicabatur, quo aperto æger multa demum opera ſanitati fuit redditus. Quemadmodum vero ſuppuratio naſcitur, quando vi febris vel Opii, aut utriusque actione conjuncta, apices vaſorum inflammatorum abſcinduntur, ita quoque ſcirrhus naſci poteſt, unius vel utriusque adminiculo. Dum lentor præſens valida febre deponitur forte in viſcera et loca glanduloſa et in ea impetuoſe intruditur, seroſa tenuiore parte calore diſſipata, langueſcente tandem febre emergit ſcirrhus; Opium igitur, quod auget febrem, juvabit uberiorem geneſin lentoris ejusque incarcerationem, ideoque juvare poterit geneſin ſcirrhi. Sique adhuc magis increſceret et perduraret febris, atque fluidorum conditiones conſpirent, ſequeretur gangræna et ſphacelus. Quam valde ergo morborum aliorum generationi in febre acuta faveat Opium, liquido conſtare judico.

§. X.

Opium in febribus juvat mortem et eam creantes cauſas.

Cauſæ mortis ſolemnes in febre, obſtructio pertinax et deſtructio canaliculorum encephali et pulmonis. Opium auctum a febre circulum et rarefactionem ſanguinis adhuc magis auget, inde ſanguis majus ſpatium affectat neceſſario, atque non coercendus ſuis vaſis, diſtendit arterias laterales ſeroſas, quas alioquin præterlabitur, ac a tergo urgente febris vi in easdem impellitur. Vaſa vero encephalica et pulmonica omnium in corpore ſunt minima, inde in his præcipue hæret; priora vero adhuc debiliora et minus reſiſtentiæ ſunt poſterioribus, atque præterea Opium quam maxime humores determinat ad caput. Patet ergo ratio, cur Opium in febre datum facile creet obſtructiones et ſtaſes in pulmo-

nibus et encephalo, easque inflammatorias, omnemque meningum ambitum eryſipelacea et phlogiſtica diatheſi queat obruere. Si talis ſtaſis fieri incipiat in cerebro et meningibus, paucis adhuc vaſis obſtructis, dum per reliqua celerius movetur, aderunt vigiliæ, loquacitas, riſus, ſomnus interruptus cum pavoribus; poſtmodum creſcente obſtructorum vaſorum numero accedet delirium, quin et convulſio, tandem caligo oculorum, ſuſurrus aurium, loquela balbutiens, ſomnolentia, ſopor, ſtupor, dejectio virium ſumma et funeſta narcoſis. Hæc ut a ſola febre naſci poſſunt et naſci ſolent, ita tanto certius eveniunt, ſi actionem febris juverit actio Opii. Si ejusmodi ſtaſis ab utraque cauſa exorta contingat in cerebello, vel potius circa medullæ ſpinalis principium, ubi exoriuntur nervi cardiaci, horumque involucra occupet, oborietur ſubitanea lipothymia et mors; ſi in pulmonibus inquietudo ſumma, cordis palpitatio, anxietas peripneumonica et ſuffocatio. Eodem vero modo in viſcerum vitalium arteriolis exiliſſimis hæc ita exoriuntur; ac in cutaneis capillaribus exanthemata naſci, antea commonſtravi. Atque certiſſime, quando hæc adſunt in cute, functionesque cerebri et pulmonum ſimul turbantur, aſſeverare licet, etiam adeſſe exanthemata cerebrina et pulmonica, licet mentis oculis ſaltem conſpicienda. Neque necant exanthemata cutis unquam, niſi ſimul adſint talia in viſceribus vitalibus. Horum functionibus adhuc ſalvis, bene adhuc de vita ſperandum. Si vero ullibi audiendus eſt STAHLIVS de Opio, in hoc certe argumento, quod pertracto, audiri meretur. Veritate quippe, quam diligens attentio docet et fida experientia loquitur, prorſus ſuffragante, totum ſchema febrium perverti Opio aſſerit, atque effici, ut diſſimulatis motibus per priores dies, verſus criticos turbulentiores, cum pavoribus, palpitationibus, convulſionibus, inquietudinibus, mentis perturbationibus, deliriis, ſequantur. [a]) Neque ſine ratione ſuadet, ut, ſi practici audiant, quod primis die-

a) *Diſſ. de impoſtura Opii §. 51, 54.*

diebus ægri placide dormiverint, et verſus criticos dies obſervent mentis perturbationes, virium dejectiones, defectus circa caput, oculos, aures, fauces, loquelam, interrogationes ſuas dirigant ad uſurpata primis diebus diligentius ano-
b) §. 55. dyna. [b]) De horum adhibitione non minus naſci juſtam ſuſpicionem notat, ſi primis diebus æſtu, inquietudine, dolorum impatientia circa caput et anxietatibus ægri laboraverint, atque dein quietiores facti proxime ſubſequentibus diebus, amiſſis omnibus viribus, deliriis ſupervenientibus etiam
c) §. 56. ferocibus, emori audiantur. [c]) Non minus notari vult, ſi in initiis febrilibus vomitus et excretiones alvinæ Opiatis ſuppreſſæ fuerint, ægros dein uno jugi æſtu, ſine ejus ſenſu, ſine ſiti effatu digna, in multa ſomnolentia, oculis dehiſcentibus, ore hiante, lingua muſſitante, ſine ſomno, ſine ulla ad ſe revertendi potentia, poſtea tacite et placide exſpi-
d) §. 57. rare. [d]) Fallor inſigniter, aut ego ipſe talia exempla aliquando obſervavi.

§. XI.

Opium contrariatur indicationibus veris, in medela febrium formandis.

Primaria indicatio nititur directione circuli ad juſtum moderamen. Si ille igitur excedat, exceſſumque moderari Opio moliatur artifex, non bene de ejus effectubus veris inſtructus, voto ſuo excidet omnino; nam Opium in ſanis adeo circulum intendit, adeoque et neceſſario in febrientibus. Trahi huc debet Obſervatio 851 Cl. RIDLINI, quam in *Curis medicis* habet cum inſcriptione: *Opium febrem exaſperans.* Fœminam quadragenariam habet febre continua adfectam, quæ ab uno grano Opii adeo male habuit, ut mors inſtare videretur. Addit ergo recenſioni epiphonema: *Diſce ex his, Opiata febres continuas non tam imminuere, quam exaſperare.* Deinde diſertis verbis notavit SYDEN-
a) p. 81. HAM, [a]) vigente febre narcotica prodeſſe non poſſe, quia fermentationem vi atque impetu procurrentem ſiſtere nequeant;

queant, etiam in maxima doſi adhibita. . tque non minus Cl. de GORTER[b]) ſerio aſſeverat, Opium non compeſcere motum inflammatorium et acceleratum, ut experimur in febribus ardentibus; neminem enim poſſe per Opium talem motum compeſcere, ſed potius per illud ægro inducere temulentiam et furorem. Sane æque inconvenienter Opium exceſſui moderando deſtinatur, quam ipſi deſtinaretur vinum, ſpiritus vini et quicunque ſal volatilis. *Continuis febribus*, inquit Cl. SCHULZIVS,[c]) *aut breviſſimas tantum intermiſſiones habentibus, vinum omnino parcius aut timidius indulgeri debet, ne calorem intendamus, aut foveamus, atque inflammatorium quem fovent genium adjuvemus. Aperte autem inflammatoriis, cum omni ſtudio fomitem detrahere deceat, vinum tanquam oleum camino affundere, nemo recta cum ratione ſuaſerit, cum citatum fluidorum motum fortius augeat.* Quomodo igitur aliquis prudens in ejusmodi febribus Opium, quod minori copia idem agit ac vinum largiori, exhibere queat, non bene intelligo. Sane in tali caſu eædem noxæ metuendæ erunt ab Opio cardiaca virtute omnino prædito, quæ a cardiacis calidis et acribus male applicatis in febribus eveniunt, a cordato SYDENHAMO toties vituperatis.[d]) Verum enim vero cum in torpore febrilis motus ab eodem laudatiſſimo viro e contra commendentur cardiaca,[e]) tum forte Opium in febribus locum habebit. Ita videtur! ſed habentur tamen eo multo magis proficua et convenientia; atque de hac re verba facturus ſum in ſpeciali tractatione de febribus malignis. Hæc de prima indicatione. Secunda in febribus jubet, ut obtundatur acre irritans; tertia, ut lentum attenuetur. Minus vero idoneum eſſe ad hos fines Opium, jam monſtravi antecedente §. 7. De ſymptomatum mitigatione ſeorſim dicam.

b) *Med. dogm. Cap. I. p. 97. No. 30.*

c) *Diſſ. de Vino interdicendis §. 34.*

d) *e. g. p. 68. 71.*

e) *p. 71. 72.*

§. XII.

Opium in febribus turbat coctiones et criſes.

Dum ad omnia utile Opium videtur HECQVETO, non mirum videri debet, quando aſſerit, illud etiam operari perfectas coctiones et criſes in febribus. a) Aliter vero ſentit celeberrimus doctor febrium SYDENHAMVS; namque vigente febre per narcotica materiæ peccanti, tunc temporis maſſæ ſanguineæ æqualiter admixtæ, neque verſus ſeparationem adhuc vergenti, manus injici, et depurationem illam tantopere expetendam impediri, pronunciat. b) Eumque ſecutus Cl. Eduard STROTHER (*a Critical Eſſay on Fevers*, *Londini* 1716.) cavendum eſſe monet, ne ante criſin Opiata exhibeantur. Aſſeruerat etiam jam Richardus MORTON, Opiata ſub initium febris, in ſtatu et inſtante criſi noxia eſſe et lethifera ſæpe obſervari, licet peracta criſi haud raro proficua ſint, ſymptomata quædam moleſta compeſcendo. *Exercit. II. p. 190.* Non minus WEDELIVS monuerat, *Opiol. lib. II. ſect. II. c. 1. p. 100.* inſtante criſi vel die critico, non temere dandum eſſe Opium, ne natura a ſuo conatu impediatur. Tandem et GEOFFROY *Mat. Med. Tom. II. p. 711.* naturæ conamina ad criſin perficiendam Opium infirmare, vel potius extinguere, ſcribit. Ut, a qua parte veritas ſtet, quam accuratiſſime intelligamus, omnem impendamus operam! Coctio vocatur ſubactio materiæ morbificæ, et redactio ad illum ſtatum mobilitatis, per vim vitalem, ut per organa excretoria corporis queat ejici. Patet igitur, illum medicum demum juvare coctionem, qui rite moderari ſciverit hanc vim vitalem materiem ſubigentem et ad excretionem præparantem. Vera ſunt magnam partem, quæ de avtocratia naturæ in theoria febrium habet STAHLIVS. Ita certe jam ſenſerat olim HIPPOCRATES Græcus; et recentiori ævo ita ſenſit Hippocrates Anglus SYDENHAMVS. Fere eadem quoque de febre leguntur in incomparabili oratione BOERHAAVII *de honore medici*

a) *p. 123. 124. 125. ſeq.*

b) *p. 81.*

ſervitute. Sed dum naturæ febrim curaturæ veſtigia ſequi laborat medicus, nil ad conſervationem motus non nimis febrilis, quem potius intenderet, nil ad moderamen excedentis facit exhibitum ab eo Opium, per demonſtrata antecedentia; ergo etiam nil boni facit ad coctionem. Sique verum eſſet, quod illud motum vitalem excedentem ad naturalem prorſus reduceret, ut verum non eſt, obeſſet potius coctioni, quæ omnibus febrem prorſus reprimentibus in damna ægri, SYDENHAMO teſte, [c]) aut inhibetur, aut ſaltem retardatur. De motu vitali torpente, an vero ad eum valeat Opium, dicam alibi. Criſis eſt evacuatio cocti non aſſimilandi, fitque per ſputum, per urinam, per vomitum, per diarrhœam, per ſudorem; ſed Opium ſupprimit omnes excretiones, excepto ſudore; atque obſervationes practicæ abundant infauſtis exemplis ſalubrium illarum excretionum, quæ criticæ futuræ erant, quomodocunque ſuppreſſarum, irreparabili ægrorum damno; quare merito de Opio eas vere inſita ſua vi ſupprimente dicitur, quod turbet et inhibeat criſes, in damna ægrotantium. Una ſupereſt criſis per ſudorem; ad quam promovendam potius ex ſuo ingenio habile videtur Opium, cui etiam, ut hoc pharmacum tanto efficacius laudare poſſet, tanquam aliis omnibus ſuperiori et præferendæ, mirum quantum tribuit HECQVETVS. [d]) Sciendum interim eſt, omnem antiquitatem græcam de remediis interne aſſumendis, pro eliciendo in febribus ſudore, prorſus tacere. Neque CELSVS talium meminit. Arabum demum temporibus inventa ſunt varia antidota, quorum beneficio ſudoribus motis febrium medela tentabatur. Intrudebat poſtea HELMONTIVS [e]) in ſcholas medicorum et multo verborum ſtrepitantium apparatu offerebat dogma: Univerſalia in febribus remedia eſſe ſudoriſera, quæ incidant, attenuent, reſolvant, liquent. Atque infelix hæc hypotheſis, quam multi ſequaces ſuam fecerunt, peperit deinde uſum ubivis receptum calidorum aromaticorum

c) *p. 72. 73.*

d) *l. c.*

e) *de febribus c. XIV. N. 7.*

rum, volatilium et ſic dictorum alexipharmacorum in febribus acutis. Ineffabilia damna inde expertum eſt humanum genus, donec tandem imperterrito auſu epidemicum errorem oppugnaret SYDENHAMVS, qui variis locis miſeras ſequelas exponit, [f]) et præcipue in *Schedula Monitoria* hanc methodum ſerio diſſuadet, ſudoribusque extortis febrem, quæ vel ſponte ſua, vel aliquot unciis ſanguinis eductis ceſſaſſet, magis exardeſcere et in morbum radicatum et confirmatum abire ſcribit. [g]) Nulla ratione hic contradicere volo experientiæ, febres ſæpiuſcule ſolvi tranſpiratione inſenſibili, quod bene animadvertit SYDENHAMVS. [h]) Neque mihi ignoratur, quantum perſpirationi aliarum omnium ſecretionum duplæ vel triplæ in febribus dederit PITCARNIVS, qui citius tolli morbum affirmat, evacuatione facta per poros cutis, quam alia quacunque ſecretione. [i]) Novi etiam, excretione cutanea ſenſibili per ſudores quandoque criſin in febribus ſuccedere; cum tamen interdum et ſine ulla excretione, vel in cute vel alibi reſolutione benigna, ut loquitur BOERHAAVIVS, [k]) liquido ſtagnante humoribus iterum miſto et aſſimilato, ac cum iis ut antea circulante, febres ſanentur. Illud ſaltem hic urgeo cum cura, quando reſolutio benigna non ſuccedit, cutem non unam eſſe portam, per quam materia febrilis cocta poteſt et ſolet ejici. Ars igitur tantum debet juvare naturam attenuando, ſolvendo, præparando, et interea attendere quo illa vergit. Neſcit quippe naturæ miniſter excretionis viam, quam Domina intrabit, modumque ſolutionis, de cujus varietate in HIPPOCRATEM doctiſſimis commentariis pulchre adeo egit FREINDIVS. Neſcit tempus maturæ ſatis coctionis, cum abſoluta ea locum antea indicare debeat natura, ubi hoſtem ejectura eſt; arti ſaltem deinde incumbit, ut expulſionem ejus, ipſi ſuppetias ferendo, juvet. Peſſime igitur, natura forſan ad renes aut ad alvum vergente, ſudores machinaretur medicus, infidus ejus miniſter, atque ita ipſi penitus con-

f) *vide p.* 284. 285. 332. 333. *et alibi.*

g) *p.* 679. 680.

h) *p.* 284.

i) *Diſſ. de curatione febrium, quæ per evacuationes inſtituitur.* §. 9. *et* 10. *et tota.*

k) *Aph.* 594.

contrariaretur, cum non æque facile id per cutim elabi queat, quod per renes et alvum excerni poteſt, renibus cum alvo craſſiores fæces transmittentibus, cute ſaltem ad ſufficientem tenuitatem deductas ſordes, ad quam coctione febrili non ſemper deduci poſſunt. Maximopere autem hic obſervandum eſt, noſtro ævo deſidia et luxuria corpora vitiante, ſi qua acerbior inciderit febris, rariſſime per ſudores ſolos ad integritatem veniri, FREINDIO [l]) hoc affirmante, ut adeo raro valitura ſint remedia huic excretioni uni et ſoli juvandæ ſervientia. Imo vero ſi obveniant ſudores vere critici (nam illos, qui primis diebus protruderentur, nemo bonus medicus, qui SYDENHAMVM [m]) legit, laudaret et expeteret,) poſt coctionis ſigna, diluentibus et regimine conveniente, quod cutis poros apertos ſervaret, ſatis promoventur, cum Ill. SWIETENIO notante [n]) calida remedia imprudenter data ultra naturæ modum liquida urgerent et profunderent. Tanto autem magis infauſtum erit conamen, prorſus haud opportuno tempore ſub initium febris exhibere ſudorifera, cutisque excretionem intempeſtive ſollicitare, quo ipſo, ut loquitur SYDENHAM, [o]) ſæpenumero nulla cogente neceſſitate in manifeſtum vitæ periculum conjicitur æger, materia morbifica in caput ſurſum lata, vel in pleuræ confinia. Jam precor omnia, quæ hactenus ediſſerui, lector applicet ad Opium, inter cujus ſane dotes principes referri debet, quod ſit ſudoriferum calidum; et tum certe clariſſimum reddetur, quam parum id conferat medelæ febrium acutarum. Non vidit febres tales magis exitiales et phreneſi furibunda citius conjunctas GVALTERVS HARRIS, [p]) quam in illis ægris, qui theriacam, mithridatium et ſimilia calida alexipharmaca ineunte primum febre pro eliciendo ſudore inauſpicato ſumſiſſent, maxime ſi fuerint temperamenti calidioris et ſanguinei. Reminiſcamur vero eorum, quæ ſupra Sect. I. c. II. experient. 13. elocutus ſum, theriacam vim ſuam diaphoreticam uni debere Opio; et con-

l) *Comment. III.*

m) *p. 206. 207. 284. 285.*

n) *Comment. Tom. II. §. 594. p. 87.*

o) *p. 285. confer p. 332. 333. 679.*

p) *de morb. infantum pag. mihi 173.*

cludamus, ſolum Opium tot mala patrare, etiamſi careret acri et calido comitatu. Mira res eſt; obſolevit fere hodie methodus febres curandi per acria et calida ſudorifera; viget tamen adhuc paſſim praxis paradoxa medicorum quorundam, alexipharmaca, acria volatilia rejicientium et damnantium ſerio, potiusque regimen valde temperatum commendantium, remedia refrigerantia largiter propinantium, et tamen, quis hoc expectaſſet, calidiſſimum Opium ſimul ſtrenue exhibentium. Nonne abſonum eſt, per diem nitro et acidis ignem reſtinguere et veſperi Opiato illum accendere denuo; ſimulque ægrum ſopore inducto eo redigere, ut ſeſe uri non ſentiat, pretioſiſſimasque horulas ſine neceſſariis aquoſis et diluentibus potubus aſſumtis dormiendo et ſomniando, velut ebrius, dum paries proximus, vel proprius ardet totiusque domus ruina imminet, otio et vecordia torpens, præterlabi patiatur.

§. XIII.

Opium contrariatur remediis veris antifebrilibus.

Palmarium remedium febrium acutarum, ut antiquitati, ita et modernis medicis, communi fere conſenſu habetur VS. eademque etiam pro re nata repetita. Neque alio fine illa adminiſtratur, quam ut ſanguinis copia impetus et rarefactio minuantur: ſed Opium impetum et rarefactionem, adeoque et pro tempore copiam auget; igitur Opium directe pugnat cum effectubus VSis; ſique hos intendere juſtum eſt, injuſta erit exhibitio Opii, nam hoc illud ipſum denuo facit renaſci et augeri, quod VSe prægreſſa ablatum et minutum deſiderabamus. Non facile igitur in febrium medela vellem VSem et Opium ſibi jungere, quamvis in citata jam Sect. I. Cap. II. Exper. II. diſſertatione Gœttingenſi, *de frigoris ſalutari uſu*, nil quicquam magis præter Opium et VSem calorem extinguere dicatur, quaſi par utriusque remedii agendi ratio eſſet. Rectius longe Cl. YOUNG plerumque verum eſſe dicit, quod in iisdem caſibus

bus narcotica noceant, ubi VS. juvat; atque circa finem ſui tractatus data opera contrarios effectus VSis et Opii monſtrat. Quin tantus amicus Opii HECQVETVS, vi veritatis et experientiæ coactus, Opiata poſcere ſolutionem plethoræ ſufficientem monet; [a]) ſique ea exhibeantur nondum ſatis depletis vaſis, idem fieri dicit, ac ſi in ſtatu plenitudinis, dato remedio volatili, periculo aliquem exponerem; faceturque ultro, ſub hac conditione Opium non facili motu ferri per ſanguinem, ſed eum violenter commoveri et agi verſus cerebrum, congeſtionibus inflammatoriis anſam dari, in lethales ſopores abituris. Nonne vero febris acuta usque ad finem ſuum conſiderari poteſt, tanquam ſtatus ſumme plethoricus? nonne ejus vis, etiam detracto magna copia ſanguine, vaſa ſemper detinet in ſtatu plenitudinis? Quomodo igitur quadraret tali ſtatui volatilium remediorum princeps, Opium? An mirum, ſi capite tentato capitalia mala produxerit?

a) p. 145. 146.

Eadem autem ratione contrariatur Opium purgationibus antiphlogiſticis; namque hæ a Gallis ita vocatæ VSes albæ optime VSi ſurrogantur, ejusque vicariæ haberi merentur et iisdem uſibus deſtinantur. HECQVETVS [b]) ſanguine, non obſtantibus VSibus præmiſſis, nondum ab impetu ſuo et raptu ad ſuperiora deſciſcente, humectantia et leniter alvum ducentia laudat et tum viam parari Opio dicit, ſine reſpectu ad curationem febrium habito. Nonne vero, quando in febribus repetitæ adeo VSes impetui infringendo non ſufficiunt, et eo fine ipſis ſubjunguntur alvum ducentia, impetum ſemper augens, ſanguinem ſemper verſus ſuperiora determinans, alvum ordinario occludens Opium exhibuiſſe idem erit, ac ſibi ipſi et ſuis propriis intentionibus in medela ægrorum contraniti?

b) p. 147. 148.

Ita quoque Opium calefaciens et rarefaciens pugnat cum effectubus polychreſtis indicatiſſimi nitri, quod rareſcentiam humorum et vorticoſum eorum motum tantopere

 ſiſtit;

ſiſtit; neque hoc diffiteri potuit parodoxorum alioquin et inter ſe pugnantium perpetuus amator, de la METTRIVS, c) qui Opium mala inflammatoria augere, nitrum ea mitigare ſcripſit, quod ſedando motus ſaltem bonas qualitates Opii exerat, non malas ejus ſimul. Sane ſi narcotica ſanguinem volunt mollem, levem, humectatum, ex HECQVETI ſententia, d) atque male cedunt corporibus ſiccis et æſtuantibus ſero et lympha orbum ſanguinem in vaſis gerentibus, apprime conveniunt acuta febre detentis diluentia nitrata; ſique hæc conveniunt abſolute, illis adverſa erunt opiata remedia.

c) *Oeuvres de Medecine, Memoire ſur la dyſenterie p. 126.*

d) *p. 149.*

Quid vero tandem dicam de acidorum neceſſaria adhibitione in febribus, quæ tamen ita contraria ſunt Opio, ut vires ejus caſtrent, quemadmodum Sect. I. c. VII. §. 15. docui, et inter ejus antidota jure referantur, id quod alibi clarius evincam! Ubi ergo antidotum vere prodeſt, ibi id certe non proderit, cujus eſt antidotum. Non me diffundam nimis in conſiderationem revellentium. Conſtat inter practicos uſus ſummus pediluviorum, clyſmatum, epiſpaſticorum, in febribus acutis. Cui bono autem hæc talia deſtinantur? Sane præter alios nonnullos bonos effectus præcipue eapropter ſe commendant, quod impetum ſeu raptum ſanguinis ad caput inhibeant, flumenque ejus inferiora verſus determinent, atque ita quod mortiferum toties eſt in febribus præcaveant. Quomodo autem cum eorum beneficiis conciliari queat actio Opii, de quo phænomena in ſenſus incurrentia loquuntur, quod certo ſanguinem ad caput determinet, ego certe haud intelligo.

§. XIV.

Opium nil facit ad ſymptomata, ſed pleraque intendit, aut minus opportuna ratione minuit.

Videamus potiora brevibus, et primo *frigus!* Id quidem minuere videri poterat prima fronte vere calidum Opium, ſed quam perverſos edat effectus, quamque noxium

xium ſit, jam monſtravi in tractatione de febribus intermittentibus.

Sequatur *calor*! Dixi ſupra, laudari Opium in febrilibus effervefcentiis a claris cœteroquin in arte viris, quos magnam partem in hunc errorem lapſos conjicio per antiquam hypotheſin, Opium eſſe remedium valde frigidum. Cadente vero hac, cadit etiam uſus Opii ad reſtinguendum calorem, quem potius, ut vinum alcohol et ſalia volatilia, intendit. Magnum arcanum eſſet in febribus remedium, quod in inſtanti crearet majorem copiam vaſorum, ut per impoſſibile loquar, aut ſaltem quod augeret ſubito molem ſolidorum, viasque illas omnes expanderet et dilataret, per quæ citius provolutus et expanſus nunc circulatur ſanguis. Mereretur tale deſiderari et inventum tantum præciſe boni præſtaret, quam id, quod ex deſiderato PITCARNII ſtatim tolleret impetum et rarefactionem fluidorum; namque deſiderato illo in ſolidis obtento retunderetur brevi impetus; et rarefactio, licet eadem manens, tamen in vaſis ampliatam diametrum nactis ceſſaret eſſe rarefactio; fluida in momento temporis libere moverentur per antea obſtructa vaſa, omnisque adeo febrilis tumultus deſideret protinus. Summos effectus aliquando edidit eapropter, dum relaxabantur vaſa omnia, quæ immediate tangebat, abluitio jugis totius corporis cum aqua tepida, aut involutio corporum enormiter febrientium in pannos laneos tepida perpetuo perfuſos; quin ſola pediluvia eapropter raſique capitis abluitiones cum poſca tepida pulcherrimos ediderunt effectus. Nunc quando ſolidorum moles aucta adeo prodeſt, atque hac non aucta, ſed in ſtatu priſtino manente, fluidorum expanſio, quam calor febrilis parit, adeo nocet, ut ſuffocationibus, ſtaſibus, raptubus ad caput, eo citius anſam ſuppeditet, quomodo non nociturum erit remedium magis calefaciens et expandens jam rarefacta et calida fluida omnia, eademque in minutiſſimas arterias urgens, potiſſi-

mumque in pulmones et cerebrum, ubi tales arteriæ præcipue adſunt.

Accedo ad *pervigilium febrile.* Dum inter præcipuos effectus Opii referri etiam debet placidus ſomnus, non mirum eſt, obiter attendentes medicos ad arcendas febrientium vigilias ad illud remedium confugere. Dari tamen interim etiam debet, non ſine omni exceptione et non ſemper uſum illius ſomnum inſequi. Namque ut Sect. I. Cap. II. Exper. X. evictum fuit, non tantum vigilare pergere poteſt is, qui Opium ſumſit, ſed et ſi dormiat, ſomno non placido aliquando potiri, verum potius interdum ſatis interrupto et phantaſmatibus horridis atque inſomniis perturbato. Puto vero, hanc ſolam experientiam ſufficere convictioni, a diverſa diſpoſitione cerebri motusque ſanguinis differentia, per ejus vaſa, pendere diverſitatem effectus, vigilias nempe permanentes, vel ſomnum, eundemque placidum, vel turbulentum; quare non ſemper et non omnibus ſubjectis, quibus ſomnum procuratum volumus, æque conducet Opium. Dum æqualem per corpus univerſum humorum diſtributionem, juſtamque circuitus in encephalo temperiem, eaquepropter vaſa omnia patula et humores meabiles vult ſomnus naturalis, facile opinor clarum eſt, his contrario modo ſe habentibus adfuturas vigilias, tumque ad cauſas earum reſpiciendum præcipue erit, anteaque penſitandum, qualia remedia iis tollendis paria ſint futura, neque ſufficiet cœco impetu porrigere Opium. Scripſit HIPPOCRATES:[a]) *delirium a vigiliis malum*; ſed præſentibus vigiliis cum urina tenui et alba, certam prognoſin eſſe de inſtante delirio, notavit BAGLIVUS;[b]) phrenitidemque pergentem inter deliria, finiendamque ſopore vel convulſionibus, a vigiliis incipere, notavit HALLER;[c]) neque hoc omne practicis ignotum. Quodſi ergo per dogmata pathologica phrenitis eſt inflammatio completa et adulta cerebri meningumque, delirium febrile erit inflammatio adoleſcens, adeo-

a) *Lib. VII. aph. 18.*

b) *Operum p. 102.*

c) *Prælect. Vol. IV. p. 532.*

adeoque pervigilium in febribus erit inflammatio incipiens. Tales autem conditiones cerebri, præſente phrenitide, delirio et pervigilio, ſi ita obtinuerint, facile patet, Opium, quod inflammationi et diatheſi inflammatoriæ per hactenus explicata minime convenit, non ſaltem non impugnaturum eſſe vigilias in febre acuta, ſed potius eaſdem pertinaciores redditurum, atque imminens jam forte delirium tanto certius accerſurum. Sane huc trahi merentur verba WEDELII:[d]) *Veriſſimum eſt, Opium quandoque etiam in magna quantitate exhibitum, potius vigilias augere, quam ſomnum inducere; ſiccat enim magis, niſi ſufficiens humor aqueus ſit in ſanguine*; talis vero in febribus acutis, humoribus phlogiſtica diatheſi laborantibus, omnino deeſt. Atque quoque audiendus hic eſt Cl. PRINGLE,[e]) quando, ſi a febre pendeant vigiliæ, Opiata manifeſte nocere affirmat, hæcque, ſi etiam urgentiſſimæ illæ videantur, tamen per totum febris decurſum omittenda eſſe injungit. Meretur deinde, qui adducatur Celeb. TISSOT *diſſ. de febribus bilioſis p. 167.* ſymptomatum medicos ſummam agitationem, cephalalgiam et pertinaces vigilias obſervantes, larga manu narcotica propinare ſolere contendens, quorum tamen uſum et rationem, et auctoritatem, et experientiam rationali medico prorſus diſſuadere dicit, damnoſumque vere fuiſſe, adſcriptis exemplis probat. Equidem in apparatu remediorum contra pervigilium febrile conſignata ab Ill. BOERHAAVIO[f]) lego anodyna, paregorica, ſoporifera, narcotica; ſed ſapiens annexum invenio conſilium, præmiſſis ſemper, quæ inflammationi curandæ et compeſcendo ejus incremento valent; fuſiusque id momentum explicuit et urſit commentator doctiſſimus van SWIETEN, qui leve inflammationis initium adeſſe perſeverantibus vigiliis monet, atque eapropter non tuta eſſe narcotica, ſed quamdiu morbi acuti inflammatorii impetus nondum remiſit, valde ſuſpecta eſſe aſſeverat. Cumque eorum loco ſitum corporis erectum, pedum balnea, epi-

d) *Opiol. p. 45.*

e) *de morbis militum Part. III. cap. I. et II. p. 153. et 166. edit. germ.*

f) *Aph. 709.*

epiſpaſtica corporis inferioribus applicata, aliaque remedia raptum ſanguinis a capite revellentia collaudet, ſponte ſequitur, ſanguinem ad caput determinans Opium haud conferre, commodeque iis omnibus jungi haud poſſe. Non ergo in vigiliis febrientium id habebit aptum locum, niſi declinante ad ſuum finem morbo, pulſu reddito tardiore, omnibusque ſignis inflammationis diſparentibus. Sane ita procedendum voluit SYDENHAMVS,[g]) quem ſecuti ſunt BOERHAAVIVS et van SWIETEN, VSem, clyſmata et remedia refrigerantia ſuadens, quorum actioni e diametro contrariatur Opium, diſertisque verbis elocutus eſt; febre vigente narcotica non prodeſſe, nec prodeſſe poſſe, quia fermentationem febrilem vi atque impetu procurrentem ſiſtere nequeant, etiam maxima doſi adhibita, præclaros vero effectus edere in declinatione morbi data. Aliquando tamen linteum aquæ roſarum immerſum et temporibus admotum plus facere, quam narcotica quævis, edixit; quod ipſum, ſi poſca madidum ſit, magis adhuc profuiſſe expertus ſum, cum Opio porrecto pertinacius perdurent vigiliæ et miſerrimas ſequelas mortemque ipſam aliquando ejus uſus poſt ſe relinquat. Refert PLATERVS,[h]) medicum quendam celebrem febre epidemica maligna ob viſitationes ægrorum per contagium correptum, impatientem ob noctes inſomnes ter pilulas narcoticas ſumſiſſe, quibus cum tertia vice in vigore morbi uſus eſſet, dormire quidem, ſed et ſtertere et extremum ſpiritum ducere cœpit. Contra ſuaſum THONERI[i]) fœmina ſanguinea febre continua cum agrypnia laborans, quam ferendam eſſe donec febris remitteret ſerio edixit, ſumſit a pharmacopœo laudanum opiatum et in ſomnium endymionis incidit, nunquam amplius evigilans; quare temporum morbi rationem habendam eſſe inculcat. Phyſicum aliquem Halenſem, febre ardente correptum, ad vigilias continuas ſiſtendas laudanum ſumſiſſe et ſic æternam ſibi quietem conciliaſſe HOFFMANNVS[k]) refert.

At-

g) *Operum p. 81. 82.*

h) *Lib. I. Obſ. 16.*

i) *Lib. I. Obſ. 32.*

k) *diſſ. de Operatione Opii §. 9.*

Atque hi ſtatim a vigiliis in ſoporem emortualem Opii beneficio delapſi ſunt; vidi vero, qui antea delirarunt per dies, donec comate vel convulſionibus perirent, timoremque meum juſtum dandi vigilantibus febrientibus Opium, tanto magis convictus, mecum laudavi. Æquum certe eſt, ut hæc omnia obſignem verbis Cel. YOUNG.[l]) *Obſervavi,* inquit, *quod in magnis inflammationibus Opium non facile ſomnum inducat, ſique eum induxerit, noxius eſt; nam et in his morbis naturalis adeo ſomnus res ægri in deterius abire facit, quam eæ erant, antequam ſomnus ingrueret. Omnes inflammationes comitatur expanſio ſanguinis et obſtructio vaſorum; utraque per ſomnum, ſive naturalis ſit, ſive Opio productus, augetur. In graviſſimis morbis inflammatoriis, potius exoptat æger, ut a ſomno arceatur, quia turbulentus eſt et horridis ſimulacris ſtipatus. Quando, licet ob vigilias omnibus viribus exutus, profitetur, ſe obdormiſcentem adhuc pejus habere, raro hoc aliud quam malum ſignum eſt, ipſo Hippocrate teſte.* Nolo plura excerpere; velim ut lectores mei ipſum YOUNGIUM adeant. Optime etiam in vigiliis acutarum febrium ab Opio abſtinendum eſſe monet QUARIN;[m]) cum illæ perſeverantes leve inflammationis in encephalo initium notent, quod Opio augeatur.[n])

l) *c. 34.*

m) *Methodo medend. febrium.*

n) *p. 28.*

* * * * * *

Cephalalgiam alio loco expliciturus, confero me ad *delirium febrile* et veram phrenitidem. De hoc ſymptomate jam me ſatis dixiſſe in antecedentibus paginis equidem videri poſſet, ſed poſcit ejus gravitas peculiarem adhuc conſiderationem. Quoties Opium nimis in deliciis habentes medici inviſunt ægros ſuos acutis febribus decumbentes, eosque offendunt ſine ſomno inquietos, garrulos, moroſos, facile iraſcentes, quin et furibundos, tum putant quietem ipſis conciliandam eſſe. Igitur pacans et ſedans Opium ſaltem pulveri veſpertino addunt, atque bene ſeſe ita defunctos ſuo officio putant, ipſique, moleſtis ſuis et ſeriis nego-

tiis in craſtinum dilatis, placidæ ſeſe in lectulo quieti tradunt. Sed mirantur ſæpe altero die mane accedentes, non æque dulci ſopore gaviſum fuiſſe ægrum, qui forte multo adhuc pejus ſeſe habet, ac immitis, intractabilis et aſper, et loquax, nec adſtantibus nec medico parcit, ſummaque imis, ſacraque profanis delirus miſcet. Talia triſtia ſpectacula cum toties obveniant poſt exhibitum ægro febre acuta inflammatoria laboranti Opium, mirum certe eſt, ſiniſtram experientiam non diu jam docuiſſe medicos, ſine præjudicio ad effectus et eventus in morbis attendentes, abeſſe in talibus caſibus hoc pharmacum debere, ſed potius dari inter eos, qui Opium verum inquietis et delirii remedium habentes, increſcentibus his malis majoribus et repetitis præbiis obviam eſſe eundum, triſtiſſimo errore arbitrantur. Qui falſos conceptus de frigiditate Opii animo fovebant veteres, iis decepti, ut in aliis morbis calidis ita et in ipſa phrenitide, prona conſequentia id collaudare neceſſario debebant; forte tamen interdum rerum eventubus eo adducebantur, ut circa uſum tamen ceſpitarent. Poſtquam VSem et oxyrrhodinum capiti infundendum laudaſſet TRALLIANVS *lib. I. c. 13.* ſi his adminiſtratis vigiliæ et alienationis ſymptomata perſeverent, medicamentum ex capitibus papaveris, quod diacodion græci appellant, ad omnia futurum ultiſſimum dicit. *Non ſolum enim*, inquit, *id vigiliis ſed etiam febri medetur; præterea caput tanquam ab igne aduſtum refrigerare poterit.* Addit vero, *ſi autem nihil admodum impellit urgetque, noli medicamentum diacodion adhibere vel aliud quoddam ad ſoporem torporemque efficiendum efficax.* Quando igitur TRALLIANO et aliis antiquiorum Opium in phrenitide eapropter ſaltem adhibitum eſt, quod frigus ejus, igne quaſi aduſto capiti, inter alia refrigerantia remedia conferret; atque ne ſic quidem ſemper ſecurum habitum fuit: quomodo recentiores, qui vere calidum ingenium Opii introſpexerunt, id uſibus ægri in mor-

bo calidiſſimo inſerviturum ſibi fingere potuerint, non capio. Obſtupeſco igitur, WEDELIVM non in delirio ſaltem febrili, ſed in ſummo ejus gradu, in ipſa phrenitide, commendaſſe laudanum opiatum ad 3, 4 vel plura grana, ad ſpiritus efferveſcentes et indomitos demulcendos et coagulandos, vocabulis certe a ſpiritubus ad coagulationem uſque inanibus et nihil ſignificantibus. Ita tamen facit optimus vir, neſcio an ſatis et circumſpecte expertus ipſe, (nec inquiro,) citans ſaltem HORSTIVM et PARACELSVM, quorum hic principi germano, phrenitide cum febre acutiſſima laboranti, laudani grana 5 propinavit, a quibus per ſex horas dormivit, febre tum ceſſante. Nil hic moror HORSTIVM affectui in ſuum Opium paulo nimis indulgentem; neque curo nugivendulum et circumforaneum PARACELSVM laudani ſui ad exceſſum amatorem; ſufficit mihi, ceſpitare et fluctuare in ſua aſſertione WEDELIVM, modoque ſic, modo iterum aliter ſentire. Namque immediate ſubſequentibus verbis primo ſe ipſum refutat; dicit quippe, febre vigente in phrenitide narcotica non omnino prodeſſe neque ſcopum medici attingere, ſed maxime in declinatione convenire, ad mentem SYDENHAMI. Mox vero iterum SYDENHAMO repugnans, aſſeri omnino poſſe contendit, cum bezoardicis maritato Opio manere ſuam laudem, etiam in morborum acutorum initio, ſi inquietudines adſint et vigiliae febrem augentes, HARTMANNO in *praxi chymiatrica* teſte. Subjungit interim epiphonema: *Ne quid nimis!* [o]) Sane quilibet lectorum videt, modo dextrorſum modo ſiniſtrorſum ſe torquere WEDELIVM, ipſumque, an admittendo vel omittendo Opium hic tutius eatur, vere ignoraviſſe. Atque ita fere comparatum eſt cum aliorum auctorum laudibus, quas cumulare operæ pretium haud eſſe judico, cum plerique ut WILLISIVS [p]) ancipites hæreant, an laudare an vituperare Opium debeant. Hic ſcilicet Opiata in affectubus deliris ſæpe cum fructu adhibe-

o) *Opiol. Lib. II. Sect. II. c. I. p. 102.*

p) *Pharm. Rat. Part. I. p. 181.*

ri ſcribit, ſed ſtatim addit, quamvis interdum etiam noxam potius inferant. Mirum eſt HOLLERIVM q) uſu topico ſaltem in frontalibus Opium laudare, interno autem uſui apud phreniticos, non tantum non fidere, ſed et populari præjudicio abreptum de ſyrupo papaveris adeo dicere: *Hoc non utemur niſi coacti et firmis viribus, cum enim frigidiſſimus ſit, caloris nativi extinctio timenda.* Sed qui intus Opium in phrenitide confidenter dandum admittit SINAPIVS, *) ſaltem id cicuratum vult; nam in hoc morbo cum acido menſtruo præparatum deſiderat. Verum multo audacior BONTIVS, r) dum de febribus in Indiis agit: *quod ſi*, inquit, *vigiliæ ac phrenitis infeſtant, vena frontis recte ſecabitur, tum ſomnus omni modo conciliandus philonio, requie Nicolai, mithridatio, ſed in periculis, tanquam ad ſacram anchoram, ad laudanum noſtrum confugiendum eſt, quod in his regionibus nunquam ſatis laudabitur.* Atque ſine omni etiam ceſpitatione, quod mirari non deſino, WEPFERVS *) in Conſilio quodam de curatione phrenitidis ſcribit: *Si vires adhuc conſtarent, darem quoque Opiata, nam a ſomno miteſcit delirium.* Eadem quoque fiducia, præmiſſa utique VSe in brachio, pede, præmiſſo clyſtere, præſcriptis emulſionibus, tamen ſtatim prima et ſecunda die, laudanum ad granum unum, vel duo, veſperi exhiberi jubet Cl. LAZERME *in Tract. de morbis internis capitis, Amſtel. 1748. edita Cap. VII. p. 123.* et FIZES *traité de fievres p. 145.* Nos vero, ſi vel leniter attenti fuerimus ad phænomena generalia ab uſu Opii evenientia et ad naturam delirii, facile regiam et rectam veritatis viam ingrediemur. Cerebro nos ſapere et intelligere, adeoque et deſipere, jam ſcivit HIPPOCRATES; cauſaque omnis delirii febrilis ſine dubio reponenda eſt in motu circulatorio humorum per cerebrum a naturali ordine et temperie deflectente. Aut enim nimia vi et celeritate irruit ſanguis in canales cerebrinos; aut lentor humorum vaſa infarciens et obſtruens vel iners, vel phlo-

q) *de morb. intern. c. VI.*

*) *de Remedio doloris.*

r) *Medic. Ind. Lib. III. c. 14.*

*) *de Morb. Capitis obſ. 81.*

phlogiſticus cum impetu aucto in culpa eſt; aut effuſa liquida gravant cerebrum; aut appulſus ad cerebrum nimis languet, quando homo delirat. In his omnibus caſibus nervoſi fluidi ſecretio et motus turbatur, tumque a diſpoſitione cerebri interna naſcuntur ideæ injuſtæ, objectisque externis minus reſpondentes. Taceo vitia ventriculi per conſenſum cerebrum afficientia. Utut vero et hæc in febribus acutis aliquando ſola delirare faciant, tamen plerumque et ordinarie fere vis et celeritas ſanguinis, per carotides et vertebrales projecti, delirii febrilis cauſa eſt, quod vero, ubi non a ſola celeritate et impetu circuli pendet, ſed conjunctam habet obſtructionem apicum arterioſorum minutiſſimorum, vera ſic inflammatione progenerata in ipſam phrenitidem degenerat. Nunc quando tale eſt delirii in febribus ingenium, quando arteriotomia, venæſectio, purgantia antiphlogiſtica, clyſmata, pediluvia, epiſpaſtica plantis pedum, ſuris, poplitibus, applicata, quando promotio hæmorrhoidum et menſium, quando capiti raſo jugiter admota refrigerantia, poſca, oxycratum etc. quando epithemata tepida caroticum ſyſtema externum relaxantia et affluxum ab interno avertentia, paucis, quando revellentia a capite omnia, quando acida tantopere juvant, per perpetuas præſtantiſſimorum medicorum experientias, et ex capitali futuro periculo ægrum vindicant; quando demum hæc omnia ſine Opio toties medelam deſideratam afferunt: in quem finem cum omni hac ſupellectile e diametro pugnans exhiberetur Opium, affluxum et impetum rarefacti a ſe ſanguinis ad cerebrum certo augens? Sane omne animal, nulla prorſus febre prægreſſa, ſanum antea ab Opio ſolo delirat; rectiſſimeque Cl. de GORTER [s]) in catalogo cauſarum delirii poſt cicutam et ſtramonium Opium memorat, atque inter *Φάρμακα Φανταςικὰ* collocat, dum minima quandoque ejus portio ſufficit ad delirium inducendum. Conſtitit hoc ipſum puto ſufficienter ex *Sect. I. Cap. II. Experientia XI.* nil quippe magis,

s) *Med. dogmat. de delirio p. 21.*

gis, afferente HOFFMANNO, *) in rerum natura ſanum et intelligentem hominem ſtolidum reddere poteſt, quam narcoticum; Opiumque BERGERO teſte, t) ut omnes liquores fermentati, cerebrum perturbat et rationis uſum tollit ad inſaniam et furorem usque. Eapropter, ſi veſanum medicum haberent omnes, qui generoſi vini cyathum, qui vinum crematum, vel ſolum, vel etiam ſub ipſo uſu remediorum refrigerantium, febre acuta affecto et deliranti porrigeret et commendaret; quomodo is tuebitur prudentis et ſagacis medici elogium, qui tali inebrians Opium exhibere non dubitat et cum bona fiducia exhibet. Nonne certiſſimum eſt, ſi Opium ipſum impetu ſanguinis calidioris et rarioris ad caput directo infert delirium, illud tanto certius delirium, ab impetu ſanguinis febrili et turgore febrili jam præſens, confirmare et gravius reddere? Cogitandum trado lectoribus meis ſapiens effatum Cl. de GORTER: *) *In locis frigidis*, inquit, *Opium magis inducit ſtuporem et ſomnum, in locis vero calidioribus magis moroſitatem et delirium.* Homo autem febre acuta laborans conſiderari omnino poteſt, tanquam homo degens in regione fervida et ſub zona torrida; quare Opium non conducere poteſt ab impetu et calore ſanguinis delirantibus. Clare opinor perſpicitur, hæc omnia non ſpectare ad ratiocinia theoretica, non olere ſaltem lampadem muſei, hypotheſinque et præjudicium ſapere. Experientia quippe loquitur vim ſummam Opii, dum febris adeſt, in faciendis, accelerandis et ad phrenitidem intendendis deliriis. Veriſſime ſcripſit Cl. COCKBURN, (*An Account of the Nature, cauſes, ſymptoms and cure of the diſtempers, Londini 1696.*) ſe obſervaſſe, Opiata exacerbare febrem et ægrotum in delirium præcipitare. Ut de triſtiſſimo hoc effectu convincatur quivis, ſaltem attentione debita opus eſt ad curationes medicorum Opii amore percitorum. Denuo hic provocare debeo ad illum ægrum, cujus Sect. I. cap. II. §. 14. jam mentionem feci, ut ejus exemplo mira vi Opium

ſan-

*) *Med. Syſt. Tom. II. p. 272.*

t) §. II.

*) *Med. dogm. de delirio p. 21. 22.*

ſanguinem congerere ad caput demonſtrarem. Delirare ille nondum inceperat, ſed vigilarat et de capitis dolore querebatur, cum laudanum liquidum ſyd. ipſi repetitis vicibus præberetur. Sed de hora in horam increſcebat viſionum et phantaſmatum miſcela et copia; lecto exiliebat miſer, per feneſtras ſeſe projicere moliebatur, vix duorum hominum robuſtiſſimorum lacertis coercendus, mihi ardenter a ſe alioquin adamato inſultans, iraſcens, inter torrentes male cohærentium vocum clam violentas adſtantibus manus inferre tentabat; veris Opii antidotis ex miſerabili hoc ſtatu tandem, quæ Dei erat gratia, retractus et ſervatus. At ne forte nimis exaggerata videatur ſecus ſentientibus hæc mea relatio, en caſum parallelum a RIDLINO conſignatum![u] Febre continua maligna laboranti, quia noctes inſomnes ducebat et deliriis abſumebat, in pulveribus et potionibus alexipharmacis dederat RIDLINVS aliquantulum Opii. Sed altera die deliria mirum quantum augebantur. Adſcripſit hoc non Opio, ſed morbi malignitati; juſſit ergo nihilominus continuare! ſed magis quam unquam æger deliravit; unde deſtitit omnino et delirium non parum remiſit. Acceſſit vero poſtmodum diarrhœa, quæ cum excederet modum, iterum reliquis remediis additum fuit Opium; ſed ſtatim iterum deliria augebantur, quæ Opio iterum omiſſo remittebant. Addam huic obſervationi aliam ſimilem ex THONERO.[x] Puella 14 annorum decubuerat febre continua per 14 dies; cum ea ſublata die noctuque dicacior eſſet, abſurda proferens dicteria, unum verbum vel vigeſies repetendo et inſomnis maneret, invitus fere THONERVS aliis fruſtraneis obtulit laudanum opiatum circa nonam veſpertinam. Dormivit per totam noctem equidem ad meridiem alterius diei usque, ſed excitata denuo delirare cœpit et priſtinam telam texere, ſequenti nocte ſtertens, agonizans exſpiravit, atque ante mortem materiam purulentam effudit per nares, cerebrumque inflammatione in abſceſſum terminata

u) *Lin. Med. Ao. 1697. Mart. obſ. 29.*

x) *Lib. I. obſ. 31.*

nata obſeſſum ſic docuit, ad quam ſane minus bene quadrabat Opium. Diſplicet mihi illud adeo in ſitu externo, a THONERO [y]) alio tempore præſcripto pro inunctione temporum, licet ægra evaſerit, dum in animum revoco, fœminam Cl. LORRY ab emplaſtro Opiato delirantem, quam produxi Sect. I. Cap. II. p. 124. neque eapropter facile imitabor HOLLERIVM, de quo hoc ipſo §o verba feci. Miror valde Cl. FREINDIVM, [z]) dum ALEXANDRVM TRALLIANVM, de cujus præjudicata opinione circa Opium jam verba feci, aliquando in obſtinata phrenitide diacodium præbuiſſe refert, eum laudare, quod circa uſum peridoneas cautiones ſubjecerit, ut, ſi æger ſit temperamenti phlegmatici, furor non admodum vehemens, viresque corporis infirmæ, a remedio dehortetur. *Nam in iſtis caſibus ſemper nocent*, inquit FREINDIVS, *interdum perniciosa ſunt Opiata.* Puto ego, ſi permiſſum eſſet delirantibus et phreniticis Opiata exhibere, phlegmaticis maxime et longe minus ſanguineis, vel cholericis ea congrua fore, quia Opium non frigida qualitate, ut opinabatur vetuſtas, phlegmaticis adverſa, ſed calida valde inſtruitur, quam optime cognitam tenuit FREINDIVS, qua et ægris temperamento calidis et morbo magis incaleſcentibus nocet, ac tanto magis quo vehementior jam eſt furor. Jure potius meritoque multi doctiſſimi viri rotunde in omni delirio febrili Opium ſine ulla tergiverſatione damnant et rejiciunt. Scivit BALLONIVS, [a]) medicos in affectubus calidis cerebri, vigiliis et febribus continuis maxime uſurpare ſoporifera, ſed eos valde peccare aſſerit, præcipue in vigore morbi, cum ſtupefacientia cerebrum hebetius et infirmius faciant et coctiones turbent. Atque in his pulchre cum eo facit SYDENHAMVS, [b]) quo neminem magis hic audiendum arbitror. Hic licet, quod probe notandum eſt, alias toties multus et prolixus ſit in laudibus Opii et commendatione laudani ſui, tamen, ſi febri ſuperveniat delirium phreniticum, non niſi declinante morbo

y) *Lib. I. obſ. 30.*

z) *Hiſt. med. pag. mihi 162.*

a) *Lib. I. Cenſ. 67.*

b) *p. 81. 82.*

bo laudanum exhibendum ſuadet, et per idoneum obſervationum plurimarum complexum rem certiſſimam eſſe pronunciat, quod in principio, augmento, ſtatu morbi, non proſit, ſed, quod ſæpe accidit, etiam obſit, quare non ante diem morbi 12, vel potius demum 14 die, tuto propinare monet. Objicit equidem his adſertionibus WEDELIVS,[c]) neminem neſcire, poſt 14 diem utplurimum morbos acutos extra periculi aleam eſſe poſitos, contenditque, etiam in initio, ſi inquietudines et vigiliæ adſunt, dari poſſe Opiata; ſed ſufficit per experientiam conſtare, aliis remediis extra periculum collocari poſſe ægros, et citius, quam 14 die, dato Opio in gravius periculum intrudi. Bene equidem cum modo laudato WEDELIO, quos ſupra adduxi, WEPFERVS et BONTIVS, aliique, reſpiciunt ad inquietudinem et vigilias, alloborandumque urgent, ut ægro quies et ſomnus procuretur. At vero conſiderari debet, talem ſaltem ſomnum deſiderari, qui cerebro in naturalem ſtatum vergente obtinetur, non qui a magis præternaturali et magis ac antea morboſo producitur. Ponam quippe, febrientem delirantem et furibundum compeſci Opio, et doſium multitudine ac magnitudine deduci in ſomnum et ſoporem, anne delirium phreniticum per ſe ſolum ſæpe et ſine Opio in carum tranſit, antequam necet? nonne carus animadvertente BOERHAAVIO[d]) profundus ſomnus eſt cum febre acuta, denotans talem cerebri inflammationem, ut nulla pars ſuperſit, quam ſpiritus libere poſſint permeare? Non ergo Opium juvat ægrum, ſed juvat morbum et modum, quo mortem is inducit; etenim qui ex delirio in febre facit ſomnum, non ſublatis ſed permanentibus et auctis delirii cauſis, juvat generationem mortis. Induci vero febre poſita nondumque præſente delirio ejus cauſas, et jam præſentis delirii cauſas et effectus augeri per Opium, et ratione et experientia perſpexerunt poſt laudatum SYDENHAMVM alii quidam practici graviſſimi. Ipſe civis Sydenha-

c) *l. c. p. 102.*

d) *Prælect. in inſtitut. Tom. IV. §. 858.*

ha-

hami WILLISIUS,[e]) licet alibi favere videatur huic remedio, ut retuli in antecedentibus, tamen fortiora hypnotica haud ſtatim ab initio convenire dicit in delirio ac phrenitide, nec crebro in uſu eſſe debere, quia ſomnus Opiatis inductus plus materiam morbificam cerebro ingerat, eamque illic penitius infigat. Sane rarum non eſt, videre Opio phrenitidem in lethargum mutatam, quod factum eſſe novit ZAFFIUS;[f]) ipſeque HECQUETUS[g]) in plethoricis et delirium et coma oriri a ſolo Opio haud diffitetur: quidni ergo ab eodem oriretur in febrientibus plethora maxime commota laborantibus? Præclare eapropter jam monuit SENNERTUS[h]) noſter, in phrenitide Opiata caute et circumſpecte uſurpanda eſſe, ne ipſa in veternum mutetur; ſique mitioribus remediis febris ac delirium non ſedetur, ſalutem ab Opiatis ſperari non poſſe, ſed ſpem in anguſto eſſe. Cumque nunquam viderit febres magis exitiales et phreneſi furibunda citius conjunctas Gvalterus HARRIS,[i]) quam in illis ægrotis, qui opiatam theriacam, mithridatium et ſimilia ineunte febre aſſumſerunt, quid evenire debeat, ſi Opium jam deliranti et phrenetico exhibeatur, facile poteſt colligi. *In delirio a repletione ſi Opium exhibeas*, rectiſſime ſcribit THOMSON,[k]) *aucta ſanguinis et liquoris nervei expanſione, augetur morbus, quare in orgaſmo febrili exulare debet Opium, quo in ſtatu obſervavi aliquando ægros ab Opio vehementer deliraſſe.* Aliquoties etiam vidit HOFFMANNUS,[l]) in febribus ardentibus et inflammatoriis Opium exiliſſima doſi exhibitum ægrotantibus conciliaſſe capitis perturbationem, ac leve delirium, cum ſubſequente larga hæmorrhagia, qua ipſa poſtea delirium fuit ſolutum. Quodſi igitur bona fortuna hæmorrhagia non eveniſſet, permanſiſſet utique delirium et increviſſet. Optimum ergo eſt eximii viri monitum: *In capitis morbis, deliriis, in omnis generis febribus præſertim inflammatoriis, plane exulare debere Opiata, vel ea cum cautione et prudentia uſurpanda eſſe.*[m]) Sed

poſ-

e) *de Anima brutorum Part. II. Cap. X. p.* 263.

f) *in Obſ. p.* 47.

g) *p.* 145. 146. 147.

h) *Med. Pract. lib. I. Part. II. c. VII. p.* 334.

i) *Obſerv. de Morbis gravioribus, libello de Morbis infantum annexarum, obſ.* 7.

k) *Diſſertationum p.* 124.

l) *Diſſ. de Opiatorum operatione mechanica §.* 16.

m) *in fine diſſ. citatæ.*

poſſent abeſſe ultima verba, nam prima cautio eſt prudenter in totum abſtinere, niſi ventum ſit ad terminum Sydenhamianum. Conſultius igitur poſtea multis annis elapſis a phrenitidis medela Opiata et narcotica penitus abeſſe voluit, [n]) cum iis ſolis deliria in febribus induci experientia teſtetur. Si enim omnia deliria tam acuta quam chronica, et priora quæ hic loquor præcipue, a congeſtione ſanguinis verſus caput natales ſuos ducunt, ſique Opium ſanguinis congeſtiones per experientiam ad caput provocat, merito utrumque hoc aſſerente Cl. BVCHNERO [o]) concluſio illius etiam pro juſtiſſima declarari debebit, *quod uſus Opii delirantibus ſit valde noxius.* Crebra et infelici experientia ſeſe didiciſſe fatetur YOUNG, [p]) Opium, ut in omnibus inflammationibus internis, ita et in phrenitide, noxium eſſe. Hæc omnia cum optime cognita haberet Ill. BOERHAAVIVS, [q]) in catalogo remediorum pro delirio febrili levia ſaltem anodyna commendavit, quæ ut nemo pro parvulis forte Opii doſibus interpretaretur, ſollicite cavit commentator eximius van SWIETEN. Scilicet ipſe BOERHAAVIVS *in ſuo Commentario contra ejus voluntatem impreſſo curantibus aliquot auditoribus* ad aph. 702. laudat ſyr. pœniæ, acetoſ. citr. papav. rhœad. et albi et emulſiones, additque: *Nunquam vero Opium dandum, quod quidem ſopit delirium, ſed relinquit ſtuporem ad mortem uſque.* Eapropter et van SWIETEN laudat ſaltem flores papaveris rhœados, in quibus nulla valida vis narcotica reſidet, ſed blanda tantum virtus demulcens et leniens, monetque ſimul cum præceptore ſuo SYDENHAMO ſuffragatus, unanimi conſenſu fere omnes medicos teſtari, a fortioribus narcoticis abſtinendum eſſe in delirio febrili. Elegantiſſime lites medentum pronunciata ſua æquiſſima ſententia componit Cel. de GORTER: [r]) *Inter autores*, inquit, *non conſtat, num Opium adhibendum ſit in delirio, et quo tempore; ſed facile eſt hoc invenire. Opium non compeſcit motum inflammato-*

n) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. Sect. II. c. 5. p. 418.*

o) §. 50.

p) *c. 34.*

q) *Aph. 702.*

r) *Med. dogm. de delirio p. 97.*

 rium

rium et acceleratum, ut experimur in febribus ardentibus, nemo enim poteſt per Opium compeſcere hunc motum. Sed potius Opium tunc inducit temulentiam et furorem. Neque Opium curat acrimoniam, quæ facit delirium ex minori motu. Hinc reſtat unicus caſus, in quo Opium convenit. Si homo ob conſenſum nimis vividum cum aliis partibus delirat, ut igitur talis conſenſus minuatur, Opium exhibetur. Hoc delirium autem naſcitur ex dolore. Antequam finiam, ægrum aliquem ex meis memorem, qui acuta febre laboraverat, ultra 7 dies rebus ejus iisdem manentibus, aut in deterius euntibus. Noctes maxime, ſemper inſomnes et inquietas, inter deliria abſumſerat. Vocor in conſilium ego, quod cum medico ordinario inire debebam. Conveniebamus prorſus in methodo medendi antiphlogiſtica, in omnibus. Dies erant tolerabiles, ſed noctes eædem ut fuerant, licet aliquoties ingraveſcente jam veſpera bene ſatis ſeſe haberet æger. Neſciebam unde hanc exacerbationem febris, anxietatis, inquietis, delirii, deducerem; tandem mihi in aurem dicebat foemina ex adſtantibus, poſt horam 9 ſemper pulvillum adhuc mittere, me inſcio, primum medicum, atque jubere, ut ægro daretur. Petii, ut antequam caperetur, mihi monſtraretur pulvillus; manifeſte erat opiatus: ſeponebatur me ſuaſore, ut reliqui, qui ſequentibus noctibus adhiberi debebant. Ab ea nocte, qua uſus ceſſarat, melius ſeſe habebat æger et de die in diem propius ad ſanitatem adducebatur.

*** ***

Sequitur *anxietas febrilis*, graviſſimum ſymptoma, ab antiquitate ad noſtra uſque tempora tale obſervatum, ſed vix ab ullo medicorum ante BOERHAAVIUM[s]) rite explicatum, quippe qui demum intelligibilem ideam ejus ſuppeditavit. Non ergo mirum, illud nimis ſæpe non intellectum fuiſſe, atque etiam non bene oppugnatum a practicis, quos inter recentiori ævo non pauci fuerunt, qui ægros ſitum

s) *Aph.* 631.

tum ſæpe mutantes, inquietos, anxios, laborioſos dum offendebant, pro pacandis iis ſatis opportunum locum Opio hic eſſe rati ſunt, ſed minus feliciter. Ponit illa ſenſatio ægro moleſtiſſima, ſed difficulter deſcribenda et definienda, quam anxietatem vocamus, ſemper alicubi in corpore reſiſtentiam cordi natam, ut libere et prompte ſeſe evacuare nequeat. Hoc obſtaculum liberum egreſſum et progreſſum ſanguinis inhibens poteſt hærere in ſyſtemate aortæ, arteriæ pulmonalis, vel etiam in portarum vena, obſtructione vel in his venoſis vel in illis arterioſis vaſis præſente; aliquando tamen, et nullo vitio in liquidis vaſa oppilantibus exiſtente, ſola vaſorum ſpaſtica conſtrictio liberum iter ſanguinis poteſt intercipere, cordique reſiſtentiam parere. Non vacat jam omnes anxietatis cauſas et modos fuſius exponere, de quibus Boerhaaviana veſtigia premens eleganter tractat diſſertatio Halenſis Cl. BVCHNERO Præſide *de cauſis anxietatis ægrotantium* habita; ſufficit annotaſſe, in febribus acutis ordinarie cauſam hujus mali eſſe lentorem inflammatorium, vel in pulmone, vel in hypochondriis et in hepate præcipue hærentem. Sive vero hic ſive illic reſideat, ſummum periculum infert, illic cum pulſu debili et inæquali, frigore artuum, reſpiratione anheloſa, ſumma inquiete, peripnevmoniam funeſtam cito excludens; hic reſpirationem quidem liberiorem relinquens, ſed pulſu forti et celeri, intolerabili anguſtia et preſſione circa cordis ſcrobiculum præſentibus, hypochondriisque tumentibus et dolentibus, vel citam, vel lentam miſerabilem mortem ingenerans. HIPPOCRATES priorem quidem anxietatis ſpeciem non prorſus reticuit, ſed tamen maxime attentus fuit ad hypochondria, multoque magis ad hæc, quam ad pulſum. Notatu dignus eſt locus: [t]) *Optimum quidem hypochondrium eſt, ſi doloris expers et molle et æquabile, et in dextris et in ſiniſtris; inflammatum autem vel dolorem inferens aut tenſum, aut dextrum a ſiniſtro varium, aut contra ſiniſtrum a dextro,*

t) *in Prognoſt. Charter. Tom. VIII. p. 610.*

 tro,

tro, *malum*. Docent ſcilicet hæc phænomena, ſemper ab inflammatione hepatis vel lienis ſubitam mortem imminere, aut ad minimum lentam a ſuppuratione horum viſcerum, quæ in hepate omnino eſt peſſima. Taceo, quæ huc facientia Hippocratem ſecutus conſignavit BAGLIVVS *de obſervatione hypochondriorum in acutis*, eademque ſcitu ſumme neceſſaria, tumorem eorum dolorificum et inflammatorium adeo eſſe malum teſtatus. Nunc autem, quando evictum eſt, anxietatem in febribus acutis, ſupra et infra diaphragmatis fornicem habitantem, eſſe inflammatoriam, facile etiam clarum eſt, illi Opium medelam non eſſe allaturum, ſed potius tanto certius ægrum cito ad plures ablegaturum, vel in lentam mortem detruſurum ſenſim, cum per toties demonſtrata inflammationi ſanandæ et ſuppurationi avertendæ nequaquam conveniat. Imo vero ſi experientia loquitur, mature in uſum vocata diluentia, tepida mellita, ſaponacea, acida vegetabilia, nitrata lentori ſolvendo et vaſis laxandis deſtinata, impetumque moderantem VSem, ac topica emollientia, pulmoni per vapores, hypochondriis per epithemata applicata, unice lucrari in hiſce caſibus ægrotantium vitas; ſponte intelligitur, abeſſe debere omnibus talibus in operatione ſua contrarians Opium. Uni anxietati ſpaſmodicæ vaſa coarctanti, non febrili, ſolidorum irritabilitati et mobilitati ſaltem debitæ, atque ab anxietate inflammatoria probe ſejungendæ, hoc præſidium quadrat, quod ipſum egregie paucis eloquitur BOERHAAVIVS,[u]) Opium, inquiens, tuto adhiberi poteſt in omnibus anxietatibus, ſi eæ ſaltem non ſint inflammatoriæ, ſed a ſpaſmis et affectubus animi natæ.

u) *in Comment. eo inſcio edito ad aph. 634. et vocem anodyna.*

Superſunt inter ſymptomata febrilia, quæ Opium ſibi vindicare videntur, nauſea et vomitus, convulſio et diarrhœa; ſed de his tanquam morbis in ſequentibus acturus ſum, tumque et huc facientia ſimul exponam. Debilitatem febrilem pertractabo, vbi de malignis verba facturus ſum; de

de exanthematibus febrilibus jam egi. Variolas et morbillos reſervo ſuo loco.

§. XV.

Nil igitur amplius reſtare opinor, quod in tractatione de febribus ediſſerendum foret, cui colophonem tanto lubentius addo, quo magis convictus ſum, conſtitiſſe liquido ex hactenus expoſitis, quomodocunque febrem acutam conſideremus, vix ullum in ejus curatione ſolida Opio locum eſſe. Felix ſanavit omnis antiquitas medica continuas et inflammatorias febres ſine Opio, quoque magis recentiori ævo abjecto calidorum et acrium nocentiſſimo apparatu ad veterum methodum iterum deventum eſt, eo magis febrientium ſaluti conſultum fuit. Nil de hoc remedio memorant magni viri SENNERTVS et RIVERIVS. Sique illud exhibendum cenſerent recentiores doctores febrium, Cl. HUXHAM et CLUTTON, ille toti ſuæ methodo, hic novi ſui ſpecifici antipyretici actioni, prorſus contrariaretur. Una vero dehortatio cordati SYDENHAMI, qui in multis aliis morbis ſalutarem Opiatorum uſum adeo bene noverat, eumque tamen in febribus rejicit, ſufficere poterat, ſi aliorum multorum auctorum deeſſent. Errores medicorum in febribus maxime recenſens Henricus ab HEERS, [a]) inter alia ſe obſervaſſe dicit, data duobus febrientibus poſt diem quintum narcotica in necrotica medicorum culpa abiiſſe. Diſcant intempeſtivi uſus amici, monitore idoneo SYDENHAMO, nunquam aliquid boni, damnoſi multum expectandum eſſe, ſi ante diem 12 vel 14 exhibeantur. Ad cumulum obſervationum provocanti candidiſſimo viro, multum inter alios paſſim tribuerunt ipſi rei veritatem experti Illuſtr. BOERHAAVIVS et van SWIETEN, quorum hic ſequentibus adjectum ſuum calculum declarat [b]): dum ſuppreſſo omni motu animali, inquiens, profundus ſomnus inducitur, vitales motus augentur, ſed in morbis inflammatoriis jam peccabat nimia vitalis motus velocitas, unde nunquam in his

Sagaciores Practici in acutis febribus ab Opio abſtinent.

Encomiaſtæ ſæpe ſibi ipſis contrariantur.

a) *Obſervat. med. V.*

b) *Tom. I. p. 373. et Tom. II. de ſymptomatibus febrilibus agens paſſim ad monitum Sydenhami provocat.*

his tutus videtur eſſe narcoticorum uſus, niſi validis evacuationibus præmiſſis per VSem jam fractus fuerit nimius morbi impetus. Atque hoc ipſum adeo et ii confiteri debuerunt, qui ſecus ſenſerant, imo vero inopinantes, aut occulto veritatis imperio moti ſibi ipſis contradixerunt, caveruntque ne errores exitiales veri ſpeciem ferentes nimis propagarentur. Sane WILLISIVS, licet, ut ſupra retuli, ab Opio ſanguinis febriliter ebullientis fluctus reprimi et ſedari ediſſet, [c]) tamen in ſequentibus [d]) diſertis verbis inquit: *Si quando ſanguis copia turgens ſimulque in febre ebulliens vaſa immaniter diſtendat, atque tunc præcordia ſyſtolium vicibus celerrime repetitis ad eum circumpellendum, ne alicubi ſtagnet aut exundet, ſumme allaborant, tunc certe narcoticum exhibere, quo iſte cordis labor præpediatur, venefici potius, quam medici officium eſſet, quare in ſanguinis plethora phlebotomia Opiatorum uſui ſemper præmitti debet.* Manifeſtum equidem eſt, WILLISIVM ex falſo principio, quaſi Opium cordis motum retardaret, hæc ita eloqui; ſufficit mihi interim ipſum largiri libere, acutiſſimæ febri non convenire Opium, dum multus et turgens ſanguis celerius per vaſa volvitur et VSe eapropter opus eſſe; ſed VSibus repetitis ſæpe opus eſt ad turgorem et violentiam motus comprimendam, ſineque hoc, his et aliis remediis in ſubſidium vocatis, tamen antea non potitur medicus, niſi febre ad declinationem vergente: ergo antea non licet exhibere Opium per ipſam Williſianam ſententiam, quam utique magis adhuc urſiſſet, ſi Opium vere intendere febrilem circuitum et quovis præbio temporariam plethoram denuo excludere intellexiſſet. Operæ pretium eſt videre, quomodo ſe torqueat bonus HECQVETVS, laudare in febribus acutis adamatum ſibi Opium volens et tamen etiam ab eo dehortans, et ſe hac ratione ſæpius confutans. Liceat adducere evidentia quædam hujus rei teſtimonia! *Ope remediorum ſedantium*, inquit, *ſi illa adhiberentur in morbo naſcente vel jam adulto, medicus ſeſe libe-*

c) *Pharmaceut. Rat. Part. I. p. 184.*

d) *p. 192. in fine.*

liberum præſtaret a crudeli neceſſitate eripiendi naturæ per evacuationes et iteratas, et violentas, humores illos, quos ipſa digerere et coquere, tempore et motu ſuæ ſapientiæ relictis, meditabatur. Namque per hæc pharmaca naturæ cooperantia evitarentur raptus et celeritates humorum, cum illa conſervarent horum juſtas directiones per ſuas vias et excretiones, ſine turbis circuitui inductis, tonum nervorum inſtaurando et motum naturalem oſcillatorium atque cutis functionem juvando. Ipſa VSe per uſum narcoticorum non adeo frequenter opus eſſet, ea namque præcaveret ignes, ardores, inflammationes, turbas, agitationes, quæ omnia invitos ſæpe ad VSem cogunt. [e]) Quid glorioſius dici poſſet pro uſu Opii in febribus acutis? Verum quomodo concilianda ſunt cum his ea, quæ ſcripſerat majori jure in antecedentibus? *Abundantia*, inquiens, *ſanguinis ſeſe directe opponit felicibus conditionibus, ſub quibus exhibendum eſt Opium; et quia plethora ordinarie adeſt in principio morborum, maxime ſi quotidiana diæta vinoſa prægreſſa fuerit, ad præſcriptionem hujus remedii judicio et ſcientia opus eſt. In hoc ſtatu vaſis ſanguine denſo et immeabili fartis, ſpirituoſis facilis introitus negatur, hinc maſſæ compactæ et viſcidæ majus inducitur volumen, eaque urgetur in vaſa viſcerum capillaria, inde congeſtiones, metaſtaſes, abſceſſus, gangrænæ. In hoc infortunio culpatur venenoſa narcoticorum malignitas, ſed vitium ſaltem pendet a mala exhibitione, quod data fuerint naſcente morbo et in ſtatu plethoræ.* [f]) Quid dici poteſt deterius pro uſu Opii in febribus acutis? Sed idem eſt e diametro ſibi oppoſitarum adſertionum auctor, et in eodem libro illæ habentur. Sed pluribus vicibus ita ſeſe gerit. Laudaverat e. g. in ipſo principio morborum Opium, idque in morbis acutis et inflammatoriis frequenter cum fructu uſurpari dixerat, ad varios autores non omnino cum eo facientes provocans; [g]) verum quaſi horum oblitus, viginti paginis interjectis, *ſanguis ſi fuerit bulliens*, ait, *expanſus, ſpume-*

e) p. 335. 336. 337.

f) p. 107. 108

g) p. 127.

meſcens, turgidus, calidus, elaſticus, exaltatus, aggerem quaſi opponit operationi Opii, quod ſeſe expandens vi elateris, quem continet, ſemetipſum inflammat et ſanguinem ſecum, ſicque hic idoneus redditur congeſtionibus perficiendis et lethargis funeſtis. [h]) Fere eadem ratione ſeſe geſſit heteroclitum caput de la METTRIVS, minime interim dignus, qui HECQVETO viro probo et honeſto et pio ad latus ponatur. Scilicet Opium pacare et inhibere circulationem ſcribit, [i]) atque ſic illud pro magno remedio antifebrili neceſſario declarat; alibi autem verius, licet ſibi contradicens, Opium periculoſum eſſe in omnibus morbis inflammatoriis eosdemque augere aſſerit; [k]) et adhuc alio loco narcotica in corpore ambuſto periculoſa eſſe monet, quando ſollicita opera nondum ejus refrigeratio procurata fuit. [l]) Ita omnino ſeſe res habet! Quomodo igitur Indorum ſole et febre ambuſtis corporibus, in calidiſſima regione et in calidiſſimis morbis, prodeſſe potuerit calidiſſimum Opium, referente ſupra allegato BONTIO, acribusque adhuc additis in philonio, requie Nicolai et mithridatio exaltatum; dum interim in antecedentibus etiam jam laudatus Gualterus HARRIS [m]) ſub frigidiore Jove nunquam febres magis exitiales et phreneſi furibunda citius conjunctas vidit, quam in illis ægrotis, qui theriacam et mithridatium ſumſerunt, ego quidem non bene capio et concilio. Conſiderandum interim eſt, BONTIVM [n]) in principio febris ardentis exhibuiſſe pulpam tamarindorum et caſſiæ, deinde injici curaſſe clyſma, poſtmodum ſanguinem detraxiſſe copioſe, etiam iteratis vicibus, univerſum corpus perfricaſſe unguento quodam emolliente, forſan etiam dediſſe emulſiones ſeminum et ſuccos fructuum horæorum, quorum omnium ſummam in Indiis eſſe quantitatem antea alibi commemoraverat, ſecaviſſe venam frontis, et tum (ſine dubio adulitore jam morbo,) ſomnum neceſſario conciliandum duxiſſe, atque proinde deſcendiſſe ad Opiata. Sine omnibus illis præmiſſis hæc boni quippiam

h) *p. 146.*

i) *Oeuvres de Medicine, Memoire ſur la dyſenterie p. 123.*

k) *p. 126. 127.*

l) *p. 128.*

m) *Obſerv. 7.*

n) *Vide Meth. med. c. XIV.*

piam præſtare potuiſſe per rerum naturam impoſſibile eſt, pluresque ſine dubio debuerunt perire, quam evadere potuerunt. Tumque ſine dubio intempeſtive datis narcoticis, infauſtus exitus adſcriptus eſt morbi magnitudini, qui ipſis his remediis tribui debebat.

§. XVI.

Opium haud convenit inflammationibus particularibus.

Finio ſic tractationem de febribus acutis inflammatoriis, deque Opio earum therapiæ felici contrario; dum vero per notionem earum de inflammationibus univerſalibus hactenus egi, jam adſpicere deberem particulares, ſpeciali cuidam loco et viſceri inhærentes. Sed actum ſæpius iterum agerem. Hoc unum ſaltem denuo velim expendatur accuratius: ut in febre inflammatoria univerſali, ita et in particulari alicujus viſceris motus circulatorius ordinarie peccat exceſſu. Hic exceſſus ſi ſummus fuerit, juvat generationem gangrænæ; ſi ſummo paulo remiſſior, ſuppurationem; ſi ad naturalem impetum magis vergit, hocque non multum auctior eſt, reſolutionem promovet. Nunc in omni inflammatione viſcerum unica reſolutio ſanat ægrum; dum gangræna ſubitaneam, ſuppuratio, quia acceſſus facilis et immediatus remediis maturantibus et detergentibus non datur, plerumque lentam mortem parit. Uterque ergo hic exitus inflammationis ſummopere et omni arte præcavendus erit ab illo, qui ægrum ſervare voluerit. Præcipuum autem artificium verſatur in moderamine circuitus: quomodo igitur remedium circulum accelerans et ſanguinem exæſtuans præſtando per artem medici circuli moderamini congrueret? quomodo locum haberet remedium, cum omnibus moderamen et ſanitatem per illud obtinendam vere juvantibus pugnans? Applicentur nunc hæc, quæ modo ediſſerui, anginæ, peripnevmoniæ, hepatitidi, nephritidi ſimplici etc. ſed et nemo bonus medicus hodie facile refert Opium ad præſidia horum morborum curationi dicata. In inflammatione ventriculi id requiri videtur

 a vo-

a vomitu urgentiſſimo; dicam vero de hac re, vomitum alibi conſideraturus. De phrenitide ſatis egi, cum de delirio agerem. Pleuritidem, nephritidem calculoſam, inflammationem veſicæ, morbos, quibus ob immanes dolores Opium non raro practici deſtinant, conſiderabo tractatione de doloribus. Inteſtinorum inflammationem reſervabo argumentis de doloribus inteſtinorum, de dyſenteria, cholera et paſſione iliaca, præmiſſa antea juſta therapia dolorum. De inflammatione uteri dicam, morbos puerperarum expenſurus. Jam me confero ad variolas et morbillos.

§. XVII.

Variolæ. Inter febres acutas inflammatorias etiam referendas eſſe *variolas*, nemo medicorum ambigit. Quamvis vero modo probatum dederim, iſtiusmodi febribus neutiquam convenire Opium, tamen profiteri debeo, ſingulares fructus illi legitime uſurpato tribuere in curatione variolarum peritos medicos; quare opus eſt, ut hoc argumentum curatius evolvam. Antiquorum equidem teſtimoniis uſum comprobare haud licet; quodſi enim etiam cum Cl. noſtro de HAHN, antiquitates variolarum ex Græcis autoribus erutas ſiſtere conato, facere voluerimus, nulla tamen detegemus veſtigia Opii ab iis in hoc morbo uſurpati. Crediderunt cum LISTERO quidam in lectione arabum verſati, his, aut minimum Avicennæ, ad variolas ſanandas uſurpatum fuiſſe Opium. Neque tamen hoc patet ex expoſitione curationis arabum, in quam inquirit beatus HAHNIUS, dum eam eandem fuiſſe probare nititur cum cura carbunculorum a Græcis ſuſcepta. Præterea viri hujus doctiſſimi doctiſſimus et humaniſſimus antagoniſta WERLHOFIUS [a]) fatetur, ſe Opium ad variolas commendatum reperire non potuiſſe apud Arabas. Non negari poteſt, SYDENHAMUM, qui optimam dedit variolarum deſcriptionem, ut aſſerente BOERHAAVIO decies eapropter legi mereatur, etiam præcipue docuiſſe eximios effectus, quos Opium edit in ſanatione

a) *Diſquiſ. de variolis et anthracibus p. 96.*

tione hujus morbi; ſed et rectiſſime pronunciat WERLHOFIVS, ipſum primum ejus encomiaſten haud fuiſſe, ſed uſum Opii et opiatorum remediorum in variolis SYDENHAMO eſſe multo antiquiorem, non in Anglia ſaltem, ſed et in Italia, Belgio, Germania. Quicquid ſit, hodie certe in univerſa Europa, et in aliis forte orbis habitati partibus, medici celeberrimi favent uſui Opii in variolis, ſaltem paucis hinc inde ex recepta præconcepta hypotheſi diſſentientibus. Id dum ita ſe habet, juvabit ſaltem brevibus inquiſiviſſe, quo morbi tempore et ſub quibus circumſtantiis id locum habeat, ut uſus et abuſus limites acuratiſſime ſtabiliantur. Ante omnia vero tenendum eſt, cum inſitio variolarum, cujus præſtantiam antea poſt illuſtres Anglos, a BOERHAAVIO, HOFFMANNO, HEISTERO et aliis jam agnitam, hodie poſt tot fauſtos ſucceſſus HALLERVS et WERLHOFIVS probat, atque inter alios multos præſtantiſſimi viri IVRIN, KIRKPATRIK, BURGET, TISSOT, TRONCHIN, BVTINI, CONDAMINE, ſat experti invincibilibus argumentis ore ſcriptisque tuiti ſunt; cum, inquam, inſitio omnem decurſum morbi magis ſecurum et tolerabilem reddat, etiam hujus operationis beneficio effici, ut minor ſit Opii exhibendi in variolis artificialibus neceſſitas, urgentioribus illis ſymptomatibus emanentibus, quæ ejus uſum flagitabant. Dolendum ſaltem, nondum æque ubique in Germania, ac in Anglia et Gallia, antiquata parentum amicorumque præjudicia deleri potuiſſe, quæ ſeſe invento incomparabili commodis publicis ubique adaptando opponunt, atque in Sileſia mea vix ullum hactenus tentamen, quod ſciam, fuiſſe ſuſceptum. Sed latius indies ſeſe extendet, atque dilutis ſolide objectionibus theologicis, moralibus et medicis, puſillanimitatis obſtacula tandem etiam ſuperabit, alta quaſi voce clamans vis veritatis et experientiæ. Atque quot myriades hominum parentibus, fratribus, ſororibus, maritis, uxoribus, amicis, tum manebunt ſuperſtites! Quot luctuoſa fami-

liis aliquando ſplendidiſſimis, ipſisque ſoliis regalibus, haud evenient funera! Quam innumera manus divinæ artificia non delebuntur et deſtruentur! vultuum humanorum amabilem formam loquor, pulcherrimam inter omnia, quæ pulchra in orbe adſpiciuntur, quæ eheu toties cutis teneritudine per morbi tyrannidem abolita, lineamentorumque ductubus diſtortis fœda cicatricum fovearumque turpitudine immutatur et depravatur; atque ab angelica viſa mirum quantum deſciſcit, et adeo interdum, ut humana pene eſſe deſinat. Neſcio vero, an non magnum inſitionis inventum generi humano adeo ſalutare adhuc ſuperaret inventio antidoti ſpecifici, ſtimulo varioloſo epidemia et inſitione ſeſe manifeſtanti vere oppoſiti, huncque deſtruere apti, antequam febre prima excluſa ſecundam, et cum ea peſſimarum ſequelarum catervam, induceret. Tale antidotum, ut notum, ſibi inveniſſe viſus eſt BOERHAAVIUS in antimonio et mercurio, atque Cel. LOBB in æthiope minerali ex mercurio et ſulphure enato; neque, ſi utrumque minus ſufficiat, inventionis impoſſibilitas abſolute certa eſt, quamquam ob immutabilitatem principiorum et ſeminum in rebus ita ſtatuat MEAD, [b]) quæ vero ad venena ſuis antidotis cognitis ſuperanda extendi nequit. Sane per ejusmodi verum antitoxicum, pro quo interim Opium nemo facile venditaverit, variolis ſine variolis curatis, in principio ſtatim imminens omnis jugularetur cum omnibus ſuis ſymptomatibus morbus, cum hactenus effectus ſaltem, quos cauſa ejus progignit, medela noſtra etiam ſapientiſſima oppugnare ſciverimus, non morbum ipſum. Verum latente adhuc in Democriti puteo tali arcano remedio, nil aliud, dum hominem ſymptomata invadunt, quibus inſtare variolas hariolamur, ars ſagax præſtare novit, quam ut ſpecificum acre eorum miſtum maſſæ ſanguineæ, cujus intima indoles ignoratur, ad exteriora determinet puſtularumque futurarum multitudinem a capite avertat; cum ab earum in facie copia majori mi-

b) *de Variolis cap. III.*

minorive, SYDENHAMO et aliis teſtibus, exitus infauſtus et felix multum pendeat, ac certiſſima illius præſagia inde deſumantur. Hoc vero momentum excretionem et depoſitionem acris varioloſi ad exteriora reſpiciens, dum totum a vitali virtute proficiſcitur, hæcque rarius defectu, ſæpius autem exceſſu motus peccet, ſatis clarum eſt, ab ejus moderamine juſto multum boni expectandum eſſe. At cum ſtimulum varioloſum Opium non obtundat, atque etiam accelerationem nimiam circuitus et orgaſmum ſanguinis non compeſcat, ſed intendat, ut ſæpius dixi, ultro patet, potius VSi, a præſtantiſſimis medicis et a me ipſo olim libello germanico commendatæ, atque ut egregie monet MEAD [c]) interdum ſub ipſa puſtularum eruptione adhuc cum fructu celebrandæ, locum fore, cum cujus effectubus, quemadmodum et acidorum nitratorumque laudatiſſimorum operatione, Opium vere pugnat. Inſuper, ſi durante febre prima, nondum excluſis vel nunc prodeuntibus puſtulis, pediluvia, epiſpaſtica, pedibus applicata, regimen ſuperiorum partium frigidiuſculum, abdomine interim et pedibus probe tectis, multum pro morbi vi a ſupremo ventre avertenda valent, celeberrimis practicis cum BOERHAAVIO teſtibus, ſponte opinor patet, remedium, quod ſua virtute commotum et orgaſticum ſanguinem ſemper ad caput urget, non poſſe non eſſe alienum a vera medendi methodo atque noxium valde. Elegans eſt monitum Cl. MEAD: [d]) *Obſtant, inquientis, aliquo modo, niſi forte ſæviſſimus adſit dolor, humoris e ſanguine ſeparationi omnia anodyna, quin, ſi febris vehementia delirium fecerit, illud plerumque in pejus vertunt. Idcirco non, ante quam plane jam eruperint puſtulæ, illis uti commodum eſt, deinde vero quæ ad ſomnum ſint apta tuto dari poterunt.* Non me latet, antiquitus Opium cum opiata theriaca, diaſcordio et aliis talibus inter alexipharmaca fuiſſe habitum, atque in genere ablegationi veneni intus humoribus inhærentis ad cutim ſub exanthematum forma

c) *de Variolis Cap. III. p. 27. 28. 29. edit. Götting.*

d) *l. c. p. 33.*

ma etiam recentiori ævo fuiſſe deſtinatum. Sed quam male ejusmodi alexipharmaca acria et calida cum vel ſine Opio veneno varioloſo protrudendo adhibita fuerint, vel ſolum eminentiſſimum, ſed tanto magis tragicum, exemplum reginæ Angliæ docet, quam, ſumta contra ſuum conſilium bis imminente morbo larga doſi theriacæ, peſſimi moris variolas et necem ſibi adſciviſſe, triſtiſſimo cum affectu Gualterus HARRIS enarrat.[c]) DEO certe grates maximæ habendæ, quod SYDENHAMO diſſuaſore tandem calida illa methodus, poſtquam eadem multa millia hominum, a variolis ſolis non trucidanda, certius trucidata fuerant, jam obſoleverit penitus, aut ſaltem a ſemi-medicis et medicaſtris hodie adhibeatur, dum docti et periti viri antiphlogiſtico et antiſeptico apparatu non plane inſanabilem morbum toties vincunt. Atque ex iis quæ ediſſerui hactenus ſatis conſtare autumo, quamquam nonnullos Opii fautores aliter agere non neſciam, ad primam febrem plane non pertinere Opium.

c) *Obſ. 7.*

Quamquam vero hoc ipſum ita ſeſe habeat, certum tamen etiam eſt, ingruente febre ſecunda, doloribus in omni ambitu cutis increſcentibus, dum ſuppuratio procedit et ſenſim augetur, illis levandis conſectariisque eorum minuendis Opiata in diſcretis quoque variolis multum inſervire. Tanto autem magis narcotica ſub hoc ſtadio locum habere poſſunt, quo magis obſervatum eſt, illa rite uſurpata decurſum ejus non ſaltem non turbare, ſed potius ſuppurationem promovere atque ſymptomata omnia a nimis acutis doloribus excludenda præcavere. Equidem puſionum diſcretis variolis laborantium myriades, ut ſine aliis remediis, ita et ſine Opio feliciter ſanari a natura ſola, aut a medicis Opio non faventibus, vel et uſum ejus non neceſſarium judicantibus per alia pharmaca, certum eſt. Quamquam vero ego Opium nunquam ſaltem per luſum et jocum et ſine manifeſta indicatione adhibere ſolitus ſim, variolasque valde

de benignas ſine eo ſæpe ſæpius curaverim ipſe, reputavi tamen etiam ſemper et expertus ſum, morbum placide magis progredi et ad finem ſuum vergere, ſi Opii minutulæ aut mediocres doſes pro ætatis, doloris, inquietudinis, quin et impatientiæ ratione aliis pharmacis ſub noctem præcipue jungantur, emulſionibus papaveraceis non ſemper ſufficientibus. Atque ſane multiplicibus caſibus convictus ſum, veriſſime adſeruiſſe Illuſtrem WERLHOFIVM:[f]) *uſum Opii ſub variolis benignis, ſed juſto moleſtioribus, innocuum eſſe.* Atque quoties mihi cum talibus agendum fuit, animo ſemper obverſata ſunt eruditiſſimi viri verba:[g]) *Quisquis, ubi opus eſt, aliis ad variolas remediis laudani Sydenhamiani vel unicam guttam vel plures pro ratione ſymptomatum, virium, ætatis, ſingulis 4, 6, 8, 12, 24 horis prudenter addere novit, is magnum ſane pro felici et tranquilla et tolerabili morbi medicatione habet ſubſidium.* Velim legi plura, quæ habet inter alia de vi Opiatorum, qua extus ad cutis ſuperficiem promovent variolas, roſeumque earum ambitum ac externarum partium tumorem promovent, et quæ ſunt reliqua. Prorſus adſtipulatur WERLHOFIO, licet alioquin, ut in ſequentibus videbimus, in curatione variolarum Opio minus faveat. Ill. TISSOT,[h]) *pulchrum habet uſum Opium,* inquit, *pro puerulis, qui mitem experiuntur morbum, ſed ægre dolorem e puſtulis ferunt, ut in cubiculis contineri nequeant; tunc dolores ſopit Opium, refrigerationem impedit, ac pacate decurrit morbus, nil enim damni ex levi illa narcoticorum doſi poteſt exoriri.* Equidem Cel. MEAD[i]) tenellulam ætatem iſtiusmodi auxilia minus perferre dicit; ſed juvenes vel adultos requirit, quibus vel tincturam thebaicam, vel ſyr. diacodii, conferre facta eruptione aſſerit; cum citius data anodyna humoris e ſanguine ſeparationi obſint, quin et, ſi febris vehementia delirium fecerit, illud plerumque in pejus vertant. Verum tamen inquiete ſumma ſine fine ejulantibus puſionibus etiam minu-

f) *de Variolis et Anthracibus p. 96.*

g) *p. 97.*

h) *de Variolis ad Hallerum edit. ſecunda p. 219.*

i) *de Variolis cap. III. pag. 33.*

 tas

tas doſes ſine damno, et non ſine fructu, accommodari poſſe, expertus ſcio et credo. Pulchre ego quidem recordor, me non raro infantibus, dentitionem et variolas ſimul cum anxietatibus et doloribus geminatis ſuſtinere juſſis, niſi prorſus in tenellula ætate conſtituerentur, circumſpecte adhibito Opio profuiſſe; atque etiam ſolarum variolarum incommoda, ſomnum blandum inducendo, mitiora reddentem vidiſſe, durante eo longe felicius maturationem ſuccedere, quam ſi ægri vigiles manſiſſent, corporaque ſua huc et illuc jactitaſſent: idemque a MEADIO [k]) annotatum lego. SYDENHAMVM autem imitatus nunquam antea quam ſexto die porrexi hoc pharmacum, idque pro re nata ad finem uſque morbi continuavi, non pœnitendo unquam rerum mearum ſucceſſu. Atque dum uſum Opii ſub certis circumſtantiis concedo in diſcretis variolis, de quibus hactenus tantum verba feci, non niſi facta eruptione eum admitto. Novi, multa dici et multa legi de Opio humores ad peripheriam determinante, partium tumorem, et perſpirationem, et ambitum variolarum roſeum et earum ſuppurationem juvante. Velim autem notari, rectiſſime monuiſſe YOUNGIVM, omnia hæc evenire febre exiſtente mitiore; [l]) qui paulo poſt [m]) expreſſis verbis addit: *Credo ego, in genere Opium neceſſario damnoſum eſſe debere, quando febris nimis vehemens adeſt; id eſt, quando circulatio nimis fortis eſt et nimis citata; quando omnes humores rarefacti, ſolida tenſa, minutiſſima vaſcula expanſa, atque in iis liquida inſpiſſata, veneno interim per febrem potentiore reddito et cutis tenſione perſpirationem impediente.* Vix vero arctas adeo reſtrictiones admittere videtur liberalis Opiatorum in variolarum medela fautor, beatus de HAEN. Namque ſequenti ratione agere conſuevit: *) *Altera a bene prodeuntibus variolis die datur matura veſpera, ſyrupi diacod. uncia una, vel una cum dimidia; idem et mane die 3 incipit fieri. Menſura paregorici a ſola tranquillitate deſumitur. Cum Sydenhamo damus*

k) *de Variolis c. III. p. 34.*

l) *pag. 172.*

m) *p. 173.*

*) *Vide ration. medendi Part. II. p. 51. 52.*

mus ter, quater, in die hanc doſin, quando variolæ malignæ ſunt. Porro paregorica damus in benignis et commodis variolis, ut facilis morbi tolerantia ad finem uſque perſeveret: docente experientia, vel benigniſſimas a cauſa vix detegenda in malignas mutari. Uſus paregoricorum efficere videtur, ut funeſta hæc mutatio, ſi unquam, rariſſime ſaltem contingat. Hinc dormiant nec ne, vix vel parum ægrotent, datur ſemper dicta de cauſa quavis 12 hora paregoricum, ſique opus eſt, augetur. At vero in maligniore et moleſtiore genere datur, ut mox dixi, auctiore ſemper doſi. Syr. diacod. ſyr. papav. alb.| laud. liqu. ſyd. uſu veniunt. Uſus autem docuit, Opium datum v.g. cum emulſivis aliisve remediis, ut ejus tantilla pars quavis hora ſumatur, pulchris iis carere effectibus, quos propoſita ratione exhibitum producit. Summam, niſi vehementer fallar, hæc omnia fiduciam, in Opio pro ſanandis variolis locatam, oſtendunt. Neſcio, an ſola tranquillitas menſuram ejus ſemper determinet; an pro gradu defectus illius augenda ſemper foret doſis Opii cum fructu ægri. Quo major febris, eo minor ſine dubio tranquillitas; an vero hæc, aucta adhuc per Opium febre, reducetur? An hoc pharmacum malignitatem vel nondum præſentem avertet, vel præſentem minuet? Conſiſtit hæc in copia variolarum, quam Opium non abeſſe faciet; in puris quantitate per omnem maſſam humorum vagante, eamque inquinante; in ichore maligno loco puris in puſtulis ſeſe monſtrante. An unquam medentum aliquis Opio tribuit vim antiſepticam? Et tamen in maligniore et moleſtiore genere, auctiores doſes exhibendas HAENIVS vult! Vellem ego, ut lectores mei ponderarent ſine præjudicio ea, quæ in *reſponſione ad epiſtolam meam apologeticam de methodo medendi variolis, infeliciter licet, tamen dextre adhibita*, expoſuit vir eximius de laudibus Opii in ſtadio variolarum ſuppuratorio; et ea, quæ ego *in vexatiſſimo* meo *argumento de inſitione variolarum* quoad uſum

Opii ipſi oppoſui; namque judex eſſe in propria cauſa nequeo. Non tamen deinde aliter ſentire is cœpit, ac antea ſenſerat. Scilicet nono anno poſt hanc noſtram controverſiam in *Tractatu de variolis*, qui habetur *Ration. medendi continuatæ Tom. II. ejusque cap. III.* quod (cum cura hoc noto,) de ſtatu ſecundo variolarum, quem inflammatorium appellant, agit, §. VIII. quærit HAENIVS, dandane paregorica varioloſis? et ſic reſpondet: *Damnant iſta, quibus eadem et calida, et proinde motum humorum augentia audiunt; quibus vero tumultus ſedare, nimiosque compeſcere motus apparent, hi ea commendant vehementer.* Jam quæritur, a quorum parte ſtet veritas. Scripſit Cel. YOUNG,[n]) ſi determinari poſſet clariſſime et certiſſime, quando Opium in variolis profuturum eſſet, quando minus, hoc momentum pro omni genere humano longe utiliſſimum futurum eſſe. Verum ego quidem hoc non adeo difficile determinatu habeo, ſi ſaltem conſideretur, Opium ſua natura circulum augere, ſanguinem rarefacere, calorem majorem inducere. Qui contra hæc evidentiſſima phænomena putant, Opium tumultus ſedare et nimios motus compeſcere, illi permittere debent, ut quæratur, de quibus tumultibus et motibus nimiis ſermo ſit. Hi tumultus et motus nimii in variolis obſervantur in rapido flumine humorum per vaſa rubra, illorumque rarefactione et æſtu; atque tales tumultus non compeſcere poteſt Opium, ſed eos potius auget, licet in aliis morbis tumultus quosdam et motus nimios ſine febre a nervoſo ſyſtemate irritato, et ab inſigni ſpirituum ataxia, (ut ad ſtylum SYDENHAMI loquar!) pendentes refrænet. Nil juverit, quod Ill. HAENIVS (ignoſcant mihi veritatem ſtrenue ſectanti amiciſſimi manes!) provocet ad RHASEM, et inter recentiores ad SYDENHAMVM, MORTONVM, WERLHOFIVM, FREINDIVM, BOERHAAVIVM, SWIETENIVM, ſeque ipſum, et ad mille experimenta. Ad hæc reſpondentem adduco Cel. YOUNG, ne

n) p. 173.

pec-

peccaviſſe ego in tanta nomina videar. *Convictus ſum*, inquit, [o]) *Opium in variolis ſæpe multum boni præſtare, et ſæpe ægrorum vitam in vado locare, licet alio tempore noxium omnino ſit et mortem excludat. Veroſimile etiam eſt, quod mille ægri illud ſumſerint, ita ut nec pejus, nec melius, inde ſeſe habuerint.* Præterea alibi [p]) monet vir egregius, in nonnullis caſibus noxas edere poſſe Opium, quæ plane ipſi non imputari ſolent. Atque ego convictiſſimus ſum, quod Opium millies effeciſſet, ut pejus ſeſe habuiſſent et mortui fuiſſent ægri, niſi methodus antiphlogiſtica RHASIS, SYDENHAMI, WERLHOFII, FREINDII, BOERHAAVII, SWIETENII, HAENII, ſimul in uſum vocata, damna ab Opio oriunda correxiſſet et mitigaſſet. Egregie ſcribit TISSOT: [q]) *Tam pulchre perfecta eſt magnorum virorum laudatorum Opii methodus, in omni puncto, ut ex uno remedio minus conſono periculum haud inſequatur.* Urſi hoc aliquando contra HAENIUM privatis litteris; ſed nihilominus l. c. p. 87. ſcripſit: *Si uſpiam Opii ac paregoricorum immenſa laus eſt, eſt ſaltem in variolis. Dedi id æque leviore in morbo, quam in graviore, æque in leviſſimo, quam in graviſſimo, a prima eruptione ad exſiccationem usque, experientia edoctus, ſi, ob morbi levitatem non daretur, gravia ſymptomata in morbo progreſſo prodire, quæ, dato a principio Opio, rarius comparere ſolebant.* Taceo reliqua, quæ porro diſputat, contra ſecus ſentientes ſummam laudem paregoricis decernens, quæ non ſine ingente damno negentur varioloſis. Facile clarum eſt, virum eximium ad omnia damna, quæ in ſtatu valde febrili et inflammatorio phyſica neceſſitate patrat Opium, prorſus oculos claudere, veramque ejus vim calefacientem adeo non multum curare. *Amaritiem*, inquit, [r]) *ingratam Opium habet, fateor; an vero talem habet, ut unicum ejus granum, idque ſæpe plures diviſum in doſes*, (ſed hanc diviſionem, ut conſtitit in antecedentibus, HAENIUS rejicit et generoſas doſes pro una vice vult;)

o) p. 173.
p) p. 182.
q) p. 216.
r) p. 85.

vult;) *corpus calefaciendi, humores agitandi, febresque augendi virtute polleat? Hancce virtutem auderemus unico abſynthii extracti, Opio multo amarioris, grano ſerio adſcribere? An agere ſic Opium decernemus, ut plus moveat ſuo amarore humida ſolidaque corporis animalis, quam eadem vi ſoporifera compeſceret? Cur corticis peruviani amarities vim ejusdem febrifugam non infringit? Et ſi hic cortex ita fugat febrem, ut amarore ne quidem calido temperamento noceat, licet pluribus unciis datus, quam Opium granis: quo titulo id de Opio ſtatuemus? Sed qui Opii uſui contrariantur inquiunt, quod ſtatuimus, hoc nos experimenta in brutis inque hominibus docuerunt. Brutorum experimenta vera eſſe poſſunt; turpiter autem ſæpe fallunt. Id alia occaſione oſtendimus. Brutorum natura alia eſt, ac noſtra; de homine hic ſermo, non de bruto.* Quid nunc ego ad hæc omnia? Sinamus bruta! quanquam, ſi experimentis cum illis inſtitutis careremus, aut eorum applicationem ad corpus humanum admittere detrectaremus, multa ſane, quæ ad ejus functiones, ſecundum vel præter naturam conſtitutas, intelligendas faciunt, ignoraremus, negaremus, vel in dubium vocaremus. Puto autem me, quando Sectione I hujus operis per experientias probavi, Opium circulationem celeriorem reddere et calorem augere, me inquam non a brutis tantum eas, ſed ab hominibus præcipue deſumſiſſe, atque ſummos practicos allegaſſe, qui hos effectus Opii in hominibus mecum annotarunt. Laudanum ſuum liquidum, quod in variolarum medela adhibuit, calefacere, ultro confeſſus eſt SYDENHAM.[s]) Si hoc non faceret, cur Cel. HUXHAM,[t]) qui Opio favet, quando febre et calore majore afficitur æger, id cum aliquo acido aut potione ſalina dandum eſſe, bonum judicaſſet? Plethoram ingenerare, ſanguinem rarefacere et calorem augere, docuit et in ſe ipſo expertus eſt YOUNG.[u]) Triſti neceſſitate coactus, ut ad uſum Opii confugeret, Ill. HALLERUS obſervavit in proprio ſuo corpore duabus

s) *Operum pag. 464.*

t) *Diſſ. de Variolis p. 147.*

u) *vide ejus caput I. et II.*

horis poſt aſſumtum Opium per minuti primi decurſum pulſum ictus 75, auctos uſque ad 86. Quæro ſincerus, an hæc talia velimus et deſideremus in febre variolosa, inflammatoria et ſuppuratoria, prima et ſecunda? Pulcherrime animadvertit YOUNG,[x]) SYDENHAMVM in aliquot caſibus, in quibus conclamatum eſſe de vita ægrorum videbatur, — — feliciſſimum fuiſſe, ſepoſito Opio, oppoſita prorſus methodo agentem; nempe admiſſione aeris frigidi, potionibus refrigerantibus, ſpiritu vitrioli et VSe. Notat porro, methodum medendi Sydenhamianam in eo fundari, ut probet, regimen frigidiuſculum ægrum ſervare, calidum occidere: concludit ergo rectiſſime, prorſus nil valere Opium, ubi regimine frigidiuſculo opus eſt. — Atque in quem finem tandem HAENIVS conſcripſit ultimum ſuum tractatum de variolis? cur comparationem in eo inſtituit inter variolas ſpontaneas et inoculatas? nullo ſane alio ſcopo, quam ut liquido probet, feliciores futuras illarum curationes, ſi omnia calida remedia, omne calidum regimen abeſſet, ſique inoculatores imitarentur medici naturales variolas tractantes, ægrosque liberiori et frigidiori aeri exponerent. Quomodo igitur vir ſummus calidiſſimum Opium adeo calido affectu proſequi et commendare potuerit, non capio. Scripſi illi aliquot menſibus ante mortem, quam toto corde ad hunc diem lugeo, me non admittere concluſionem ab effectu grani unius extracti amari abſynthii, ad granum unum Opii; meque vim hujus calefacientem non deducere ab amarore, ſed a principio volatili et ſpiritu rectore; ſopientem Opii vim ſopire motus a genere nervoſo irritato, non a ſyſtemate vaſculoſo rubro, pendentes; (id Ill. HALLERVS in ſuo corpore evidenter expertus eſt;) corticem peruvianum, quamquam pulſum minus excitet quam Mars, non eſſe febrium acutarum, calidarum, inflammatoriarum remedium, quas intendat, ſed intermittentium, exhiberique tempore apyrexias, adeoque pulſu ſedato, corporeque a præternatura-

x) p. 180, 181.

tura-

turali calore libero; non ergo valere hanc comparationem ad Opium, quod durante febrili pulſu et calore prodeſſe aſſeritur. Sed ad has litteras, aut ſaltem ad hoc argumentum, in breviore ultima epiſtola ad me ſcripta, in qua integerrimus hic meus amicus æternum amorem mihi pollicebatur, morbo graviſſimo jam detentus reſpondere nequivit. Verum ipſum latere non poterant ea, quæ de noxis Opii in variolis ſole meridiano clarius jam anno 1760 in epiſtola, ad Ill. HALLERVM exarata, mihi tum, cum ſectio II mei Tractatus de Uſu Opii jam 1759 prodiiſſet, magno meo damno nondum viſa, expoſuit egregius TISSOTVS, adeo exacte, de quo mirum quantum gaviſus ſum, mecum conſentiens. Adeant ipſum lectores mei et perpendant, quam merito abeſſe jubeat a curatione variolarum Opium calidiſſimum, ſudoriferum, acerrimum, putredinem et gangrænam juvans, ideoque inflammationibus curandis adverſum, humores rarefaciens, excretiones neceſſarias inhibens, VSi adeo neceſſariæ contrarium, ſomnum intempeſtivum inducens; namque omnia, quæ elegantiſſime diſputat, excerpere nimis longum foret. Sane ſi hujus viri aſſertis non cautius mercari cum Opio diſcant ejus amici, eos ab ullo alio monitore corrigi poſſe, deſpero.

§. XVIII.

et ſpeciatim confluentes. Verum enim vero præcipue in confluentium variolarum curatione earumque ſecunda febre, ac ſymptomatibus, quæ illa infert, ſingularem prorſus Opii uſum eſſe præſtantiſſimi viri contendunt, obſervationibusque pluribus felices ſucceſſus adſtruunt. Cel. MORTONVS *de variolis* agens, qui cap. VIII. p. 119. ſub eruptione nullam Opiatorum doſin formidandam eſſe ſcripſerat, quousque ſenſim progrediendo ad eam demum devenerimus, quæ ſomnum conciliet et efferatum ſpirituum motum quadantenus cohibeat, ſub maturatione *) ad febrem comitantia ſymptomata mitiganda alexipharmaca cum Opiatis miſta commendat, quæ usque ad

*) *p. 154.*

ad conſummatam maturationem continuanda præcipit. Conſentiunt in hoc argumento practico cum SYDENHAMO; qui æque ſpecificum pharmacum Opium in variolis confluentibus eſſe dicit, ac corticem peruvianum in intermittentibus, *p. 464.* et cum FREINDIO, qui id plus ſimplici vice divinum remedium in hoc morbo vocat, alii multi medici Angli; atque, quem ſuum eſſe Britannia pervellet, Ill. WERLHOFIVS,[a]) in cohærentibus et impenſe confluentibus, ſi quid juvare adhuc poteſt, Opium id eſſe dicit, quo multæ moleſtiæ et pericula feliciter queant averti. Sat interea certus ſum, non promiſcue juvamen inde expectandum eſſe, ſed peritum requiri artificem, ut ſperatæ ſalutis loco damna haud inſequantur. Memori mente tenenda et ſollicite expendenda ſunt monita, ut alia jam adducta YOUNGII, ita et hæc ipſiſſima ejus verba:[b]) *In genere ego credo, Opium in omni forti conſtitutione corporis, vel quando vires vitales nimis intenſæ ſunt, morbusque ad ſummam ſui vehementiam tendit, abſolute noxium eſſe. Eo tempore illud ſemper tanquam remedium validum conſiderarem et venæſectionem ſuaderem.* Sane niſi vehementer fallar, omnia hæc ad noſtrum argumentum trahi merentur. Id ut intelligamus accuratius, verum ingenium febris ſecundæ atque cauſas ejus antea debemus exactius noſſe. *Primo* quidem ab acerbiſſimis doloribus, quos cient in partibus, ubi reſident, acri pure ſcatentes variolæ et margines earum ac loca intermedia, ſi quæ ſuperfuerint, inflammata, omne ſyſtema nervoſum in conſenſum trahitur, atque ſic, quod omni dolori paulo vehementiori ſolemne eſt, eapropter febris accenditur. *Deinde* in omnibus locis, ubi in corporis cortice adſunt puſtulæ, oppilata ſunt cutis vaſa perſpirationi inſervientia, aliaque vicina compreſſa ſunt et inflammata, quæ ideo etiam non perſpirant. Igitur partim ob reſiſtentiam in tot capillaribus natam, partim ob retentam in corpore magnam molem humorum, quæ tranſpirare debuerat, vis cordis fortius inſur-

a) *p. 96.*

b) *p. 183. edit. germ.*

git. Atque hæc ſub tanto onere ſuffocaretur tandem, ſæpeque vita ceſſaret, niſi in infantibus per diarrhœam, in adultis per ptyaliſmum bona fortuna excernerentur humores, qui reſtitarant, ac perſpiratio adeo, ad vitam et ſanitatem neceſſaria, vicaria tali excretione ſuppleretur; aut turgore faciei et artuum accedente accumulata in corpore colluvies in externis partibus ſtabilis commoraretur, periculumque ab internis ita averteret. *Tandem* pus hærens in variolis mora et calore acrius factum abſorbetur continuo a venulis bibulis, intimiusque ſanguini admiſtum calore et motu in ichorem putridum vertitur, omnes humores corporis inficientem, qui deinde depravati ſua acrimonia vellicant villos cordis et arteriarum, eosque ad citatiores ictus exſtimulant. Per has itaque conſpirantes cauſas enata febris tanto eſt deterior, cum, triſti experientia docente, peſſimis ſymptomatibus inſequentibus ægrum neci toties tradat. Summa ergo arte impugnari debet. Videamus nunc, quid ad illam debellandam facere queat Opium. Sane nullum remedium certius et majus pro doloribus enormibus minuendis dari in omni medicinali ſupellectile, quam quidem Opium, atque eo efficaciter primam febris cauſam oppugnari poſſe, valde probabile, quin verum videtur. Nimis nempe ſegnia ſunt et inertia alia pharmaca, et multo magis, quam in diſcretis, quæ ex croco et foliis papaveris deſumuntur; neque frigidorum ſeminum et papaveris emulſiones, quibus utique ſuus honos debetur, ſine acceſſu Opii videntur ſufficere. Sapienter tamen id dari debet. Nempe licet Ill. HUXHAM [c]) dicat, vel ſolum dolorem ab inflammatione in cute et puſtulis mitigationem poſcere, hinc dandum eſſe Opium, ſi id etiam nil aliud requireret; tamen ſerio conſiderandum eſt, Opium ſenſum ſaltem doloris tollere: inquirendum itaque, an etiam cauſam ejus tollat atque an memoratis reliquis binis cauſis tollendis conveniat, atque par ſit, quæ non minus febris vehementiam juvant et ſu-

c) p. 146.

ſten-

ſtentant, ac ipſi dolores. Rectiſſime animadvertit Cel. TISSOT:[d]) Opium vere cauſas dolorum augere, nempe infarctum vaſorum cutaneorum et eorum inflammationem; ſique detur ad obtuſionem ſenſorii communis vsque, peſſimas morbi conditiones inducere. Opium perſpirationem valide, ſi ullum aliud remedium, movere notum eſt; quare et ſecundæ febris cauſæ admodum videtur contrariari: ſed notandum cum cura, perſpirationis ſucceſſum ſupponere organum ejus bene ſe habens, quod vero nunc eſt obſtructum, inflammatum, aridum, tranſmittendis igitur humoribus, ſive vaporis ſive udoris ſpecie exitum molientibus, ineptum; ergo ad perſpirationem movendam jam nil facit Opium, cutis conditiones, quæ ipſi reſiſtunt, quæque nunc obtinent, non mutans. Ita igitur conſtituto tranſpirationis organo, Opium præter rem turgorem humorum jam ſummum adhuc auget, et pulſuum ictus adhuc vehementiores et numeroſiores efficiendo, ſanguinem majore impetu gratis cutem verſus urget, ac tranſitui puſtularum in gangrænam magis, quam in blandam ſuppurationem, favet. Prorſus ita ſentit Illuſtr. TISSOT:[e]) *Priſca*, inquit, *et nova medicina ſudores nunquam molitur, dum febris ardet. Ut ſudores profluant, neceſſarius eſt tum humorum ad cutim appulſus, tum ille cutis ſtatus, qui evacuationem non impediat; ſed talis eſt in variolis, ut nequaquam ſuccedere poſſit. Damnoſe ergo ad cutim coguntur humores, inde nulla evacuatio, ſed major cutis tenſio, inflammatio, major irritatio, febris incrementum.* Neque Opio locus erit ullus, ſi diarrhœa perſpirationem ſuppreſſam ſupplens et colluviem humorum ejiciens in junioribus adfuerit, resque eorum in vado collocaverit. Licet enim illud a doloribus vel ſymptomatibus aliis videatur indicari, tamen perpendiſſe juvat, Opium alvum ſemper inhibere, quare conſultius erit abſtinuiſſe: atque hanc cautionem optime tradidit SYDENHAMUS, alvi fluxum cum damno ægri Opio ſiſti teſtatus. *)

d) *p. 212. edit. ſecundæ.*

e) *pag. 211. edit. ſecundæ.*

*) *p. 190.*

Notat vir integerrimus, male locatam imprudentium aliquot mulierculararum operam, in ſiſtenda hujusmodi diarrhœa, multa infantum millia letho dediſſe.[f] Atque hoc idem eſſe, aſſerit YOUNG,*) ac ſi SYDENHAMVS dixiſſet, multa infantum millia, ſub his circumſtantiis, per paregorica necata fuiſſe. Quid autem nunc de adultorum ptyaliſmo dicendum eſt? a cujus perſpirationem ſuppreſſam ſupplentis libero minusve impedito progreſſu toties eorum ſalus tota dependet. Vt per aliorum et Cl. noſtri de HELWICH[g]) experientiam Opiata, quando ſub ſalivatione ſiphyliticis mota indicantur, eidem nullum obicem ponunt, ita quoque teſte SYDENHAMO *) illa in variolis ſalivationem non ſaltem non ſupprimunt, ſed adeo juſto citius cum ingenti ægri periculo minutam etiam repetitis vicibus exhibita redintegrant, et perdurare ad legitimum terminum faciunt. FREINDIVS etiam ſputa Opiatis nunquam intercipi vidit.[h]) Quanquam igitur in variolis confluentibus, quamdiu faciei tumor et inflammatio manet et ſaliva recte fluit, a remediis omnibus, diluentibus et antiſepticis exceptis, et ex conſilio ſaluberrimo, ut aliorum Anglorum, ita præcipue SALISBURY CADE, *) a remediis evacuantibus maxime, prorſus abſtinendum ſit, ne neceſſaria per glandulas ſalivales evacuatio, cui peragendæ natura incumbit, perturbetur; imo vero licet eodem Cl. viro ſuaſore etiam detumeſcente capite, et ptyaliſmo decreſcere incipiente, ſi ſaltem manus debito modo tumeant et nulla adſint prava ſymptomata, totum negotium recte committatur naturæ, arsque ſpectatricem ſaltem agendam habeat: tamen Opii uſus, vel ad majorem morbi lenitatem impetrandam indicatus, ex ſententia modo laudatorum clariſſimorum virorum tutus habetur et proficuus, dum ſalivationem et tumorem externarum partium non impedit, ſed ſuſtentat potius et promovet. Verum his omnibus adeo confidenter aſſertis repugnarunt tamen phænomena, quæ in proprio corpore poſt uſum Opii enata

f) *Operum p. 192.*

*) *p. 183.*

g) *M. N. C. Dec. III. An. VII. et VIII. Obſ.*

*) *p. 190. 191.*

h) *Epiſtola citata Hiſt. 4.*

*) *Vide Freind Comment. VII.*

enata obſervavit YOUNG. [i]) Nunquam fallente experientia fuit convictus, illo ingeſto omnes humores in naribus, ore et aſpera arteria plus minus inſpiſſari, raucedinem naſci, linguamque ſiccam et aridam reddi. Ita triſti ſua experiendi ratione etiam didicit in ſe ipſo Ill. HALLERVS, poſt uſum Opii impeditas fuiſſe excretiones, tranſpiratione excepta, atque ſecretionem muci in naribus et aſpera arteria ceſſaviſſe, raucedine et ſiti teſtibus. An hæc obſervata volunt, ut cauti ſimus in dando, dum ptyaliſmum in variolis promotum potius, quam impeditum volumus, Opio? An auſcultabimus Cel. TISSOTO, Opium certiſſime cohibere ſalivationem teſtato, unde SYDENHAMVS opiophilus ad oxymel ſquilliticum confugere debuerit, qui non neget, tempore ſomni illam minui. [k]) Qui mecum non raro vidit inſtans ſuffocationis periculum, quando æger etiam ſine Opio per horulam dormivit, ac gargariſmatibus potuque aſſiduo ſalivationem ſuſtentare et promovere neglexit, non mirabitur, eximium virum ſopore ſubinde prehenſos excitari ſæpius curaviſſe, dum evigilantes anxios magis vidit ex retenta ſalivatione, quæ indeſinenti rivo fluens, per minutum cohiberi nequeat, quin magis tumeant fauces. [l]) Et quid multa? Ipſe SYDENHAMVS, licet poſuiſſe ſeſe hoc præjudicium ſcribat, Opium inhibere ptyaliſmum, idque ſine metu dandum ſuadeat, tamen ultro inter medias ejus laudes fatetur: *Narcotica gaudere vi ſalivam incraſſandi, atque vi fortiter incraſſandi, adeoque ptyaliſmum in quibusdam ad aliquot horas ſiſti, naturam tamen roboratam denuo deinde inſurgere et coeptum opus feliciter peragere.* [m]) Nollem ego ſpei huic me tradere, quæ fallere poſſet facile; potius, dum durationem haud interruptam ptyaliſmi toties pari paſſu cum ſpe obtinendæ ſalutis ambulare, omnes periti medici intelligunt, ſumme neceſſarium ejus, ſine interruptione ſucceſſum, ſummum contraindicans habeo, licet ab aliis circumſtantiis febris ſecundæ Opium indicaretur, quæ

i) *c. III. p.* 39.

k) *p.* 198. 199.

l) *p.* 208.

m) *p.* 190. 191.

autem, quo vehementior eſt, eo magis id abeſſe vult et reji-ci. HUXHAM certe, qui licet in ea verſetur opinione, ſi copioſæ ſint puſtulæ, medicum ſine Opiatis, ubi illæ valde dolent, nil poſſe efficere, tamen addit: *At vero, quando ſalivatio inſigniter viſcida eſt et difficilis, caute iis utendum, conjungendumque gummi ammoniacum et oxymel ſquill.* *) Sed hæc cum Opio pugnant, dum irritant, quando illud ſopit.

*) de Variolis pag. 149.

Accedo ad reſorptionem puris in venas, tertiam cauſam febris, quam vero nec præcavere, nec tollere poteſt Opium. Panditur tunc triſtiſſima illa ſcena, quam aph. 1400 deſcripſit BOERHAAVIUS; impedimento perſpirationis circulationisque, irritatione generis membranoſi et nervoſi, abſorptu puris in venas, fit febris peſſimæ indolis cum peſſimis ſymptomatibus; materies hæc purulenta ſanguini miſta, pro vario delapſu in diverſas corporis partes, diros effectus, vixque ſuperabiles producit, deliria, phrenitides, peripneumonias, pleuritides, anginas, vomitus, dyſenterias, hepatitidem etc. Certum eſt, quod aph. 402 ad hunc ſtatum conſuluerit inter alia remedia Opium, contra enormes impetus, SYDENHAMUM prorſus ſecutus. Pace vero viri ſummi dicam, ſi illi enormes impetus adeſſent generis nervoſi affecti vitio, ſine febre, Opium omnino fore profuturum, ſed a febre nata pendentia nequaquam minui vel tolli queunt Opii virtute. Non me fugit, aſſeruiſſe auctor Ill. de HAEN, [n]) paregorica imminentem anxietatem, peripnevmoniam, anginam mitigare et curare; et poſtea p. 98. obortos morbos inflammatorios et ſuppuratorios in encephalo, thorace, abdomine, VSem, veſicantia, balnea paregorica ita ſolvere, ut materies converſa in viſcera ad corporis ſuperficiem redeat. Monui autem jam, quid ſtatuendum ſit de materia per Opium ad corticem corporis determinanda, quæ per obſtructum cribrum cutaneum ejici nulla ratione poteſt. Quis vero medentum unquam, et ubi

n) Rat. med. Cont. Tom. II. p. 88.

demum

demum BOERHAAVIVS morbos inflammatorios, anginam, phrenitidem, pleuritidem, peripneumoniam etc. Opio tractandos voluit? Si his ſine variolis enatis non competit, qua ratione conveniret enatis a variolosa materie? Si non competit morbo inflammatorio particulari, quomodo congrueret univerſali? Præcipit de HAEN, *) ut præſidiis a ſe laudatis jungatur aer liber et temperatus, profuturus externo grato refrigerio: quomodo autem eodem tempore prodeſſet interne adhibitum pharmacum calidiſſimum? Rectius judicare convictus ſum Cel. YOUNG. *Obſervavi*, inquit, °) *poſtquam variolæ ad maturationem ſuam plenariam pervenerant, morbum abiiſſe in phrenitidem, anginam, peripneumoniam; in his caſibus Opium datum certiſſime ſummum periculum inferret.* Monet Cel. TISSOT, p) *medicum debere ſeligere remedia in ſecunda febre variolosa, quæ removeant ſymptomata*, ſupervenientia, lethalitatem adductura. Hac vero vi Opium pollere, tantum abeſſe dicit, ut potius omnia ciere et citius accerſere aptum ſit phrenitidem, anginam, pleuritidem, peripneumoniam, hepatitidem etc. Quantum ſententiarum divortium! Longe ſane alia via ineunda, ſi ſub variolarum decurſu ab his ominoſis malis vindicare, ſi poſſibile fuerit, ægros voluerimus. Igitur quoties cum capitis et faciei præcipue turgore artuum tumor criticis diebus deſidet, quoties ptyaliſmus ceſſat, atque ſic a remanente in ſinu humorum materia morbida eapropter febris valida, inquies, jactatio corporis, anxietas, reſpiratio anheloſa, tremor, angina, pervigilium, delirium, exoritur: tum ars naturam medicatricem debet imitari, viasque illas legere, quibus ægros deſperatos viſos hæc ſanavit. Cumque ptyaliſmum deficientem iis remediis, quæ eum alioquin certo movent, hic arte movere vix expediat, diarrhœa artificialis efficienda eſt, perque inteſtinorum glandulas ille morboſus fomes educendus, qui per glandulas oris egredi detrectat et ad partes exteriores haud deponitur.

Ne-

*) *p. 99.*

°) *p. 179.*

p) *de Variolis 209. et 210.*

Neque ægri debilitas aliquid contraindicat, cum ea a putridis humoribus omnia vaſa opplentibus ortum ſuum ducat, quibus imminutis levata ab onere natura vires recipere incipit. Hanc methodum nemo elegantius expoſuit, quam Cl. FREIND integro Comment. VII. *de febribus*, quo varias litteras doctiſſimorum in Anglia medicorum ſecum conſentientes exhibuit, et in ſubjuncta commentariis in editione pariſienſis epiſtola, quam jam citavi, *de purgantibus in ſecunda variolarum confluentium febre ad Richardum Mead*; quæ in aliis editionibus, ſi bene memini, non habetur.[q] Placet his clariſſimis viris, ut etiam SYDENHAMO, præmiſſa pro re nata purgantibus VS. ad colluviem putridam ſtabulantem in corpore, quam natura non expellit, quantocyus eliminandam. Ancipitem tamen et periculoſam in corpore ſuppurato VSem declarat BOERHAAVIUS;[q] a cujus mente hac in parte recedit de HAEN, utpote qui eam quovis morborum ſtadio urgente febre, peripneumonia, phrenitide, inſtitui debere monet,[r] atque data opera eam in ſtadio variolarum ſuppuratorio laudavit.[s] At vero Illuſtris noſter de HELWICH[t] et Celeb. HEISTERUS,[u] omiſſa VSe aqua laxativa Vienneni et manna in ſero lactis ſoluta, multos ex mediis orci faucibus felices eripuerunt. HAENIUS, quod ſæpe miratus ſum, alvum laxantium vix meminit, licet clyſmata quotidiana commendet et ad alvum Opio immorigeram ſolvendam ea laudet.[x] Sive vero VS. [quam anheloſæ reſpirationi unice occurrere SALISBURI CADE,[y] quamque et hac et phrenitide ſuperveniente nullo non tempore adminiſtrandam eſſe monet MEAD,[z]] alvum laxantibus præmittatur, ſive minus, interpolari tamen iis contra enormes impetus jubent clariſſimi viri Opiata, SYDENHAMO in his caſibus toties collaudata, quem in earundem exhibitione cives ſui non tantum ſed et aliarum regionum medici ad hunc diem ſecuti ſunt. Verum enim vero quæſtio ſummi momenti hic enaſcitur, num pro febre

cum

q) *in Commentario præter voluntatem ejus edito aph. 1402.*

r) *Rat. med. Tom. II. pag. 52.*

s) *in reſponſione ad epiſtolam meam apologeticam ad ipſum ſcriptam.*

t) *Ephem. N. C. Cent. VII. et VIII. p. 353.*

u) *Diſſ. de Manna et ſpeciatim proficuo ejus uſu in variolis confluentibus.*

x) *Tom. II. p. 52.*

y) *in Epiſtola Freindii Comm. VII. inſerta.*

z) *ibid. inſerta habetur.*

cum pravis et mortiferis ſæpe ſymptomatibus inde pendentibus minuenda plus valeat Opium, num alvum ducentia remedia, de quorum ſingulari uſu hactenus egi, ad hunc finem magis faciant. Prius omnino ſtatuit SYDENHAM, et idem prorſus cum eo ſtatuere ſupponendi ſunt omnes, qui durante febre ſecunda æque liberales obſervantur et liberaliores ſæpe ac ille in præſcribendo Opio. Sed non parum hac in re ſe decepit vir eximius, quanquam noxas graviſſimas febris ipſius et neceſſitatem ipſi obviam eundi pulcherrime intellexerit. *Diligenter expendendum eſt*, inquit, [a]) *prout ſedatior fuerit ſanguinis impetus, ita debitum augmentum et magnitudinem acquirent puſtulæ, atque ex adverſo pro ratione orgaſmi, quo tumultuatur dictus ſanguis, puſtulæ marceſcent, intercepto ulteriori progreſſu, unde non ſolum peccantis materiæ eliminatio ſufflaminatur, ſed inſuper ſingularum phlegmonum œconomia et genuina craſis interturbatur, indeque vel non omnino debito tempore ad ſeparationem pertingunt, vel ichor demum fit puris vice, et loco flavi liquoris favum colore referentis nigricans aliquis humor vel ſuccus alius non naturalis et a genuinis variolarum puſtulis alienus egeritur.* Atque hactenus egregie de febre ipſa et ejus ſequelis agit SYDENHAMVS; fallitur vero inſigniter, quando Opium ſecundæ febris in variolis confluentibus ſpecificum vocat, idque et ſanguini et ſpiritubus conſopiendis atque in ordinem redigendis par habet, totoque ſuppurationis tempore et diutius, doſi etiam auctiore, interpoſito licet ſemper aliquo temporis ſpatio, eouſque repetendum vult, donec finis præfixus, moderamen nempe febris, obtineatur. Dolendum valde, optimum virum, qui adeo bene in aliis febribus acutis noxas Opii cognitas habuit, hac in febre ſpirituum motui inordinatiori nimium dediſſe, cui quidem ſi ſub eo dolorem intelligas pulchre convenerit Opium, modo orgaſmum, citatumque et inordinatum motum ſanguinis, qui totus ab uno dolore

a) *Epiſtola ad Guil. Cole Oper. p. 463. 464. 465.*

non pendet, æque cohiberet, quem vero ex naturali ſua actione potius auget et intendit, ut omnia calida cardiaca, ſudorifera et alexipharmaca, adeo SYDENHAMO ipſi et hodie medicis omnibus doctis exoſa. Vidit vero tandem ipſe SYDENHAMVS et alio loco ſincere confeſſus eſt, ſummas etiam paregoricorum doſes vim febris neutiquam infringere, ſed augere. En propria ejus verba: [b]) Cum vero ſub ultimis morbi diebus haud raro accidat, ægri alvum partim a morbi natura, partim a magna paregoricorum vi, quorum opem plane depoſcebat medendi ratio, ita conſtipatam eſſe, ut tum fere ſuffocetur ille, tum febris ad eum gradum adſcenderit, ut jam de ægro pene conclamatum videatur, duro huic nodo durus cuneus aptandus eſt, et rebus ſic ſtantibus longe minus ægro periculi erit ab aſſumto cathartico leniente, quam a febre eo vehementiæ ob alvinarum fæcum retentionem profecta. Certum equidem eſt, SYDENHAMVM nec noxas Opii, nec fructus cathartici in febre putrida variolarum rite introſpexiſſe; ſufficit interim eum illud ſæpe inſufficiens febri coercendæ declaraſſe, niſi hoc in ſubſidium vocetur. Sed plenius poſt eum hanc practicam veritatem (cujus, licet dein per longum tempus ad FERNELII usque tempora neglectæ, Rhazes jam conſcius erat,) introſpexerunt clariſſimi quidam Angli jam a me memorati, quos inter MEADIVM, [c]) FREINDIVMque præcipue, et illos omnes, quorum epiſtolas huc facientes *Comment. VII. de febribus* is collectas exhibuit, laudare debeo. Deinde etiam JOH. HUXHAM, cathartica in ſecunda febre variolarum feliciter ſe adhibuiſſe, ſcribit in diſſertatione *de variolis circa finem.* Verasque horum purgantium laudes eſſe, expertum ſe didiciſſe teſtatur Ill. de HALLER *in Herm. Boerhaave Meth. Stud. Med. p. 923.* vide et ejus *Opuſcula pathologica p. 116.* Noſtra ætate Cl. YOUNG, [d]) dum in variolis humores ad putredinem inclinant, vaſa turgida et diſtenta ſunt, atque perſpiratio ſuppreſſa eſt, VSem, clyſma,

b) *de febre putrida Variolis confluentibus ſuperveniente, Operum p. 695.*

c) *Mead ante Freindium ſe methodum adhibendi purgantia in variolarum febre ſecunda in uſum vocaſſe dicit, in Præfatione libri de Variolis, in cujus cap. III aſſentire nolentem in ſole velle caligare dicit.*

d) *cap. 35. p. 182. edit. germ.*

clyſma, aut aliud remedium alvum ducens commendavit; Opium autem, quod notari velim, tum temporis pro veneno habendum eſſe monuit. Atque prorſus laudabili ſtudio ſummum uſum catharticorum docens Cl. SIMSON,[e] SYDENHAMUMque ſimul taxans, toto ſuppurationis tempore uſui anodynorum unice intentum, pro tumore capitis manuumque ſuſtentando, ſe ad omnia prava ſymptomata præoccupanda parcius uti conſueviſſe Opio fatetur, et toto ſuppurationis tempore alvum blande apertam ſervaſſe optimo ſucceſſu ait, nilque ſe inveniſſe pro moderanda febre aptius. Quin non mirum eſſe dicit, tot ægros perire, ſi alvus a principio ad finem morbi ſit clauſa et medicus de ea ſolvenda non cogitaverit, ſub perpetua Opii adhibitione. Ill. TISSOT[f]) in confluentibus et numeroſis diſcretis mannam adhibet jam nona morbi die, et ſequentibus pergit, cum magno fructu, ſine Opio. Ecce prærogativas catharticorum, veramque eorum vim minuendi febrem! ſine quibus pro hoc fine nil poteſt Opium, quod potius ſua naturali dote, ſi rite ejus effectus conſiderentur, febrem juvat et auget, cum omnibus ab ea pendentibus ſymptomatibus. Inter illa quammaxime referri debent ardor ſummus, pervigilium, delirium, convulſio, coma, angina, anxietas, peripneumonia, pleuritis, ſub quibus toties æger moritur. Hæc vero mala omnia oriuntur a decubitu turgentium corruptorumque humorum per impetum febrilem ad interiora capitis, ad fauces, ad pulmones, determinato. Cogitemus jam conſtare per experientiam, Opium ſua vi inſita circulum intendere, calorem augere, humores rarefacere, ſanguinem ad caput congerere, eumque ſimul in pulmonibus coacervando reſpirationem difficiliorem reddere. Quis his ita ſe habentibus non videt, ſi in variolis confluentibus febris jam ardet, ſi jam turgor omnium humorum adeſt, Opium phyſica neceſſitate peſſima illa in capite, faucibus et pectore ſymptomata, humores ad hæc loca determinando, citius ac-

e) *Act. Edinburg. Tom. II. Part. II. No. 50. edit. Germ. p. 757. 765.*

f) *p. 258.*

cer-

cerſere, et ſi jam adſint, pejora reddere debere? Quis præterea non animadvertit, dum omnia hæc mala nil magis arcet et minuit quam alvus laxa, Opium alvum naturaliter cohibens duplici reſpectu nocere, nempe et illa mala ſua agendi ratione inducendo, ac confirmando, et excretionem illam ſiſtendo, qua ſola præverti et curari poterant? Confirmantur hæc, quæ ita eloquor, experientiis celeberrimorum practicorum. Obſtinatis vigiliis, poſtquam narcotica incaſſum adhibita ſunt, ſubveniri leniter purgantibus ſæpius debitis intervallis adhibitis, docet SALISBURY CADE. *) In illo anginæ ſub finem morbi interdum ortæ genere, in quo præter vocem raucam atque deglutitionem difficilem inſignis faucium tumor et dolor, ac viſcidorum humorum ad eas factus decubitus rhonchusque adeſt, expertus Opium ſerio diſſuadet et cathartica laudat YOUNG. [g]) Poſt ſuppurationem enatum delirium pro naturali ſua cauſa habuiſſe Opium, cujus uſui SYDENHAMVM ſecutus antea durante ſuppuratione indulſerat, obſervavit Cl. SIMSON; [h]) abſtinuit igitur ab eo, et clariſſime animadvertit, ægros periculoſius decumbentes ſemper a delirio et febre magis liberos fuiſſe, qui illud non ſumebant. Opio a ſe amato, ubi ſomnus non comatoſus et reſpiratio integra permittit, neque fluxus ſalubris adeſt, tantum locum concedit Illuſtr. WERLHOF; [i]) quare, ubi fluxus ſalubris alvinus arte neceſſario movendus, id abeſſe debebit ſecundum ejus ſententiam; verum quando ob colluviem humorum in pulmonibus aggeſtam reſpiratio non integra ſed brevis et frequens eſt, purgantia indicari laudatus CADE [k]) injungit. Non opus eſt, ut plura ſymptomata febris putridæ ordine percurram, namque monente MEAD, *utcunque varia inſtent et ſibi ſuccedant, illud tamen omnibus commune eſt, ut exinanitionem aliquam deſiderent.* [l]) Suppoſitorio, enematibus, potioni lenitivæ, cedere cum febre vidit convulſiones RICHARDVS FREWIN; [m]) coma cum febre poſt decoctum ſennæ evanuiſſe

ob

*) *Vide Freind Comment. VII. de febribus pag. mihi 42.*

g) *cap. 35. p. 175.*

h) *l. c. p. 760.*

i) *de Variolis et anthracibus p. 96.*

k) *Freind. Comment. VII. p. 42.*

l) *Freind. Comment. VII. pag. 45. edit. Pariſ.*

m) *Freind. Comment. VII. p. 39. 40.*

obſervavit FREIND,[n]) qui variis hiſtoriis ſuppeditatis tandem ſeſe monſtraſſe dicit, ægrotos ſexus utriusque, omni tempeſtatum genere, omnis ætatis, omnis habitus, omni anni tempore laborantes omnes purgandi via a periculo vitæ maximo liberatos fuiſſe. [o]) Nonne ergo, ſi verum Opii modum agendi contueamur et practica hæc virorum expertiſſimorum teſtimonia adſpiciamus, dilucide apparet, tantum præciſe Opium febri et ejus ſymptomatibus velificari, quantum alvina purgatio contrariatur? Sane ſi, quod teſtatur CADE,[p]) repetitis evacuationibus per alvum omiſſis ſymptomata indies augentur et inter diem 12, et 24 lethalia evadunt, id certius eveniet Opio alvum ſupprimente loco catharticorum ſaltem exhibito, aut harum exhibitione rariore, illius frequentiore, plus juſto.

n) *Epiſtola ad Rich. Mead de purgantibus in febre ſecunda variolarum Hiſt. I.*

o) *p. 91.*

p) *Freind Comment. VII. p. 42.*

*** ***

Atque his ita ſeſe habentibus fere videri poſſet, plane abeſſe debere Opium a febre ſecunda variolarum confluentium; et vere melius in totum abeſt, niſi medicus accuratius intelligat, quales mutationes in corpore varioloſo edat Opium, et quousque ſaluti ægri conveniat, quousque minus. At vero datum tamen eſt ſæpe aut ſine damno, aut cum fructu, a medicis illis ipſis quos nominavi catharticorum uſui patrocinantibus, teſtibus multiplicibus eorum obſervationibus, quas ſuppeditant. Et quod majus eſt, qui præcipuam partem curationis in eo ponit Cl. SIMSON,[q]) ut et a principio morbi et durante ſuppuratione alvus ſit libera; qui, diarrhœa infantes in vadum locante, ut ipſe notat SYDENHAM, naturæ veſtigia legenda eſſe, alvinamque excretionem ptyaliſmo faciliorem et magis naturalem eſſe monet; qui ad Cl. WINTRINGHAM[r]) et HOFFMANNVM[s]) provocans alvi ſeceſſum haud nocere ptyaliſmo urget; tamen nihilominus ingenue fatetur, ſi magna adſit inquies et magnus dolor, Opium incomparabile deprehendi remedium. Minime ergo illud prorſus rejicit; ſed quan-

q) *l. c. p. 767. 768. 769.*

r) *Comment. noſologici p. 63.*

s) *Cap. de Variolis Med. Syſt. Tom. IV. p. 172. vide et p. 159. in fine et 153. §. 3.*

quando id ad ſedandos dolores et ſomnum inducendum præſcripſit, [t]) ſemper ſimul clyſma injiciendum præcepit; more autem Sydenhamiano ſi detur, neminem determinare poſſe dicit, quid eo impetratum velit, miramque rem eſſe recte affirmat, dari id ſub ſpecifici nomine eo tempore, quando omnes ejus effectus fini medentis contrariantur, qui ægrum a ſentina corruptorum humorum liberatum cupit. [u]) Non ſatis verbis poſſum exprimere, quanta voluptate legerim hæc Cl. SIMSONI placita, cogitatis meis a multis annis animo firmiter ſedentibus, ut ovum ovo, ſimilia. Poſtquam quippe accuratius ſcivi effectus, quos Opium edit in corpore humano, illos accommodare indicationibus veris in febre ſecunda variolarum confluentium ſtabiliendis neutiquam potui; quin cum illis effectubus has pugnare prorſus convictus credidi, ſæpeque adeo tum ab Opio abſtinui, quando ab aliis medicis præcipue exhibendum eſſe judicabatur. Introſpexeram jam bene novitius adhuc medicinæ doctor, ut VSis utilitatem in variolis, ita alvi nimis diu retentæ noxas, et fructus inſignes clyſterum, hos ex diſſertatione Cl. BERGERI [x]) edoctus, qui anxietates, inquietudines, ſpirandi difficultatem, æſtum vehementiorem, vigilias, dolores capitis inde levari, imo ipſam decantatam malignitatem eorum beneficio cito, tuto et jucunde alvo emitti ſcribit; [y]) quamvis uſum ſummum evacuationum alvinarum ad ſecundam febrem variolarum confluentium mitigandam nondum clarius perſpexerit. Imbutus etiam eram, cum ad artis opera accederem, præcepto BOERHAAVII, [z]) in ſtatu ſuppurationis clyſma blandum, diluens, emolliens, laxans quotidie injiciendum eſſe, magnoque meo bono Freindianum Commentarium mature pervolveram. Igitur in diſcretis adeo nunquam alvum per duas aut tres dies clauſam eſſe ſivi; meminique, dum in his ſecunda ardebat febris, adultioribus præcipue moleſta, anxietatibus, inquietudinibus et agrypniis me ſæpe ſæpius felicius ſuccurriſſe blandis cathar-

ticis,

t) *l. c. p. 760.*

u) *p. 771.*

x) *de uſu VSis et Clyſterum in curatione variolarum.*

y) §. 28.

z) *Aph. 1402.*

ticis, quam Opio; poteramque ſi opus foret variis hiſtoriis id fuſius adſtruere. In confluentiſſimis vero variolis propriæ uxoris, tum gravidæ, poſtquam febrem primam VSe infregiſſem, ſecundam liberaliore uſu nitri et lactis ebutyrati potu largiore, alvoque inde quotidie ſemel, bis, ter, mota, plus mitigaſſe recordor, quam laudano liquido, ad quod interdum ob ſummos dolores confugiendum erat. Quoties vero aliis ægris, urgentibus doloribus, inquiete et vigiliis, ad quæ ſola ſymptomata vere ſpectat, Opium exhibui, ſemper cogitandum eſſe intellexi, id alvum, cujus apertio adeo utilis et ſæpe neceſſaria eſt, natura ſua cohibere; igitur illud abeſſe tam diu debere, donec laxans porrectum officio ſuo defunctum fuerit, denuoque poſt Opium datum operam dandam eſſe, ut alvus reſpondeat, cum, ſi pergeret actio Opii et cathartici ceſſaret, ægri res ſemper in deterius abire deberent. Optime ergo per diem blando cathartico uſurpato, ingruente veſpera, vel nocte adventante narcoticum locum habet, maneque inſecuturo ſæpe iterum catharticum exhibere æquum erit, veſpertino narcotico denuo ſubjuncto, ſi nil contraindicet, alternis vicibus ita pergendo, donec æger melius ſe habeat. Hac via incedendo plus ſimplici vice ægros in ancipiti rerum ſtatu verſantes, quin conclamatos viſos, ſervavi. Quo magis vero durante febre ſecunda, capite, collo et pectore affecto, urgent vigiliæ, delirium, convulſio, tumor faucium, reſpiratio peripnevmonica et pleuritica, eo magis cautiſſime mercandum cum Opio eſt, quod ut antea dixi ad hæc loca commotum ſanguinem præcipue determinat, ac his omnibus malis non levandis, ſed intendendis aptum habetur; eo magis unica ſalus tum a purgantibus mature adhibitis ſperanda. In genere aurea eſt regula, quam tradit SIMSON:[a]) In morbis, in quibus copia corruptorum humorum adeſt, potius dandam eſſe operam, ut illi educantur et alvus aperiatur, quam exhibendum eſſe medicamentum, quod naturali ſua actione omnes excre-

a) p. 763.

excretiones inhibeat, quemadmodum Opium. Bene novi non probari omnibus cathartica in variolis, ſed egregie eorum uſum contra ſecus ſentientes vindicat FREIND.[b]) Vana eſt objectio, ea avocare humores a cortice corporis, tumoribusque ſalubribus externarum partium obeſſe. Probe tenendum eſt, quod cum Celeb. MEAD [c]) urget laudatus SIMSON, ipſum Sydenhamum obſervaſſe multos mori delirio, angina, peripneumonia in ſumma ἀγμῇ morbi conſtitutos, non obſtante tumore faciei et artuum enormi, coacervationemque humorum nimiam durante ſuppuratione eſſe mortis præcipuam cauſam. [d]) Teſtantur ambo et vidi ſæpius ipſe, tumores neutiquam poſt uſum decentem catharticorum ſubſidere et purulentam materiem retrahi; ſuppurationis potius ſucceſſui obeſſe nimium tumorem nimiamque ſeri ſtagnantis colluviem; SIMSON affirmat, circulum humorum in cute prorſus ſufflaminando, a cujus tamen libertate blanda ſuppuratio pendeat. [e]) Diſtinguendum cum hoc Cl. Viro inter incrementum puſtularum et tumoris; illæ non ſatis elevari poſſunt, hic nimium elevatus occaſionem præbet peſſimis ſymptomatibus; tumore quippe totum corpus occupante, qui liquida ſtagnantia et vaſa compreſſa ſupponit, febreque ſimul validius ſanguinem urgente, neceſſario tranſitus ejus in vaſa aliena, peripnevmonia, delirium et aliarum partium inflammationes debent inſequi.

* * *   * * *

Quæ hactenus a me diſputata ſunt omnia, ad illas variolas ſpectant, quæ verum ingenium inflammationis exhibent, febreque manifeſta inflammatoria, cum pulſu celeri, pleno et forti, ſtipantur. Sed occurrunt non raro, maxime dum graves epidemiæ ſtragem edunt, aliæ variolæ, cum ſumma virium proſtratione et pulſu valde debili, veris malignitatis characteribus, quæ aliam longe medendi methodum ſibi depoſcunt. Has in ſuis aphoriſmis BOERHAAVIUS non deſcripſit proprie, alia tamen occaſione, in epi-

ſtola

b) *in epiſtola de purgantium uſu in ſecunda variolarum febre, poſt enarratas hiſtorias.*

c) *apud Freind. Comment. VII.*

d) *p. 757. 758.*

e) *p. 764 765. 770.*

ſtola quadam ad BASSANDVM, cujus partem publici juris fecit van SWIETEN,[f]) accurate eas depinxit. *Interim monendum eſt*, inquit, *accidere quandoque in hoc morbo, ut venenum varioloſum plus noceat ſpiritus projiciendo penitus, quam inflammando corpus. Tum æſtus haud adeo magnus, pulſus creber, debilis prorſus, deliria levia, virium projectio; variolæ lentæ, planæ, parvæ, depreſſæ, non aſſurgentes; interſtitia puſtularum languida, pallida, certa mortis indicia; tum fæces alvi ſolutæ, cadaveroſo foetore, colore fuſco, debilitantes, delirium, vox clangoſa. His in caſibus methodus dicta obeſt; morbus ex ſe lethalis. Tum rad. contray. ℥j ſerp. virg. ʒß. rut. rec. ℥ß infundantur cum Va rut. ℔j. vini rhen. ℥vj. adde ſachari ℥ß; bibat ℥j omni hora, fervide ſuperbibendo decoctum ſcorzon., ut excitentur vires.*

f) Tom. V. p. 71.

Paſſim etiam, dum varias epidemias recenſet, SYDENHAM hujus generis variolarum, anomalarum nomine, mentionem facit, e. g. quæ anno 1670, 71, 72, 74, 75, graſſatæ ſunt, ubi infinitæ puſtulæ rubræ efferatæ in unam conflatæ, cum veſiculis ambuſtorum inſtar ſero limpidiore diſtentis, notabantur, cum ſummo et fere perpetuo vitæ diſcrimine.[g]) Crudas quoque ichoroſas et coctione difficiles variolas, ubi cutis puſtulæque pallidæ vel luridæ, urina tenuis, aquea et cruda, exhibet HUXHAM,[h]) hasque calidiora medicamenta poſcere dicit, qualia ſunt pulv. contrayerv. compoſitus, myrrha, moſchus, crocus, camphora, theriaca, mithridatium, quæ in puſtulis elevandis et materia concoquenda admodum ſalutaria eſſe pronunciat: hicque procul dubio Opiata ſollicite indicari, theriacam, elixir paregoricum, cum tinctura thebaica, diacodiumque, denuo aſſerit.[i]) Cautus adeo in porrigendo Opio YOUNG,[k]) tamen ſub modo memoratis conditionibus, id non ſaltem non improbat, ſed commendat adeo. Vix exiſtere morbum dicit, in quo multa adeo ſigna depreſſarum vitalium virium ante oculos verſentur, quam in malignis variolis; clariſſime nempe conſpici, ſan-

g) p. 252. 253.

h) Diſſ. de variolis p. 138.

i) p. 139.

k) p. 174. 175.

 gui-

guinis debitum appulſum non attingere cutem externam, humoresque ibi ex minutiſſimis vaſculis in minora retrocedere; tum enim puſtulas non eſſe elatas et plenas, ſed in apice collabi, ſpatia intermedia eſſe pallida, tumorem faciei et manuum ſubſidere, ptyaliſmum ceſſare, omniaque hæc a debilitate motus circulatorii pendere; tumque ob defectum virium vitalium nil certius eſſe, quam quod Opium, illas ad tempus reſarciturum, tumores et puſtulas elevaturum et ptyaliſmum reſtituturum ſit. Et in ſequentibus,[l]) ſi vires vitæ deficiant, id ſuppurationem promovere contendit. Tandem quoque Ill. TISSOT, cui tamen adeo male audit Opium, in curatione variolarum id adhibet, quando debiles ſunt vires vitales et neceſſitas cardiaca imperat.*) Ex his omnibus nunc facile intelligitur, laudatos viros graviſſimos omnes cardiaca et inter ea Opium tantum admittere et commendare, quando cum reliquis ſymptomatibus malignitatem indicantibus, virium defectus et pulſus debilis adeſt; quod remedium, ſi tum conveniat, nequaquam convenire poteſt in ſtatu contrario, pulſu exiſtente magno et forti, febreque violenta inflammatoria præſente. Tria autem ſunt potiſſimum, quæ conſentientibus illis auctoribus, cardiaca et Opiata exhiberi volunt: 1) quando ob virium vitalium languorem eruptio juſto tempore non rite procedit, ſed nimis tarde evenire obſervatur, atque puſtulæ depreſſæ manent et non elevantur; 2) quando ob eundem languorem circuli puſtulæ retrocedunt; 3) quando diarrhœa retrogreſſum humorum ab exterioribus ad interiora proritat, quæ eapropter cohibenda ſit. Opium pulſum excitare et accelerare, humoresque ad cutem determinare, ac perſpirationem movere, quod in his caſibus volumus, omnino certum eſt. Interim tamen non ſine magna cautione id dandum præcipiunt ipſi ejus modo nominati commendatores, quo ipſo non tacite, ſed aperte commonſtrant, ſeſe ipſius uſui non adeo abſolute fidere. SYDENHAMVS,[m]) ſi

l) p. 182.

*) p. 217.

m) p. 181.

ſi forte contigerit, ut phlebotomia minus opportune celebrata, vel admiſſo frigore, puſtulæ receſſerint, vel facies ac manus detumuerint, cardiacis utendum eſſe dicit; addit autem: *ſed cavendum eſt, ne in iis exhibendis nimii ſimus; fieri enim poteſt, ut cardiacis aut fortioribus, aut ſæpe repetitis utens, novam ebullitionem ex improviſo ſuſcites; nimirum ſanguis facile vim calidioris ſtimuli ſentit, ut ſæpe novæ ebullitiones excitentur*; et poſtea: [n]) *ſi eruptio parum pro voto ſuccedat, recte exhiberi poteſt cardiacum aliquod blandius, ſed NB. unica ſaltem vice, quo exigantur puſtulæ. Inter iſta, quæ huc faciunt, medicamenta paregorica dicta ſunt laudanum liquidum, diaſcordium etc. hæc ſanguini æſtuanti frænum injiciunt, ut natura materiam morbificam opportunius et liberius ejiciat.* Obſecro lectores meos, ut obſervent, SYDENHAMVM pro ſua integritate diffidentiam ſuam in Opium non diſſimulare, atque etiam binis his locis ſibi manifeſto contradicere, dum in primo novam ebullitionem ſanguinis a cardiaco Opio metuit, in altero frænum æſtuanti ſanguini id injicere perhibet. Prius ſi efficiat, omnino ſeponendum eſt; ſi alterum, cur unica ſaltem doſis tuta judicatur? cum plures frænum adeo ſæpe neceſſarium injicere pergerent. Sed ad alios!

n) p. 184.

Meretur hic cum cura citari a Cl. FREINDIO conſignata hiſtoria prima in epiſtola ſingulari ad Cel. MEAD exarata. [o]) Erant ſexto die puſtulæ omnino pallidæ, facies depreſſior, delirabat æger, ſed febre vacabat. Data igitur fuit theriaca cum rad. ſerpentariæ. Septimo die puſtulæ ſe extulerant, margines earum rubeſcebant, et interſtitia colore florido ſuffundebantur. Addit hæc omnia recenſens FREINDIVS: *Vides, quam mira præſtiterit calidior paulo medicina! Vix vero talia cardiaca cum judicio adhibentur, niſi in hoc unico variolarum tempore, ubi non ſatis proruperint. Valentiora illa fiunt cum Opiatis commixta, quæ nulla frigida vi inſtruuntur humores reprimente, ut nonnullis placet.* Taceo

o) *de purgantibus in ſecunda variolarum confluentium febre.*

ceo hiſtorias alias a Cel. FREINDIO conſignatas et collectas: addo ſaltem, in illo quem adfero caſu, cum deinde febris accedere deprehenderetur, ſomnifera et calefacientia ſtatim fuiſſe ſepoſita. Poſtquam in mali moris variolis, cum pulſu debili, pro earum elevatione, cardiaca et inter ea Opiata laudaverat HUXHAM, immediate [p]) notabilia monita ſubjungit. *Aſt tali in doſi*, inquit, *Opiata ſunt danda, quæ ægrum quietum, non vero ſtupidum reddat. - - - Licet etiam unica doſis largior mox magis ſomnum inducere poſſit, multo tamen minus reficit; at ſi hoc non efficiat, delirium fere ſemper ſubſequitur, aut diuturnus continuus ſtupor. Quolibet in caſu largæ earum doſes magnam relaxationem et univerſalem efficiunt debilitatem, quas nil, quam nova poſt aliquod temporis ſpatium doſis, aut calidum cardiacum levat. Effectu Opiata cum liquoribus ſpirituoſis conveniunt, qui temporarium furorem, aut ſtuporem excitantes, debilitate univerſali, tremore et maxima ſpirituum dejectione, finiuntur. Siquidem nemo prædicere poteſt, qualem peculiaris doſis Opii in peculiari homine edet effectum, donec illa uſus ſit. Aliis adeo peculiaris eſt conſtitutio, ut parva admodum doſi inſigniter afficiantur; alii e contrario quadruplam multo minore cum effectu ſumunt. Aliis convenit diacodium, qui Opium perferre nequeunt, ita ut prudentis medici ſit, moderata ad minimum, vel parva admodum doſi Opii incipere.* In genere autem hic ego notari velim, dum promiſcue alioquin medici Opii fautores cum celeberrimo HAENIO, quaſi eundem prorſus effectum præſtarent, ſyrupum diacodii et Opium commendant, inter quæ bina remedia HUXHAM merito diſtinguit, illum præ hoc mitiorem omnino habens, ipſos damna clarius animadverſuros fuiſſe ab Opio emergentia, niſi hoc rarius, illum frequentius, in uſum vocaviſſent. Ego rationes ſufficientes, opinor, expoſui *in epiſtola mea apologetica ad* HAENIVM *p. 29, 30*, et *in vexatiſſimo meo argumento de inoculatione p. 256*, cur ſyrupum diacodii magis lenientem,

p) *pag. 139.*

tem, demulcentem, antiphlogiſticum habeam, quam narcoticum. Atque idem mecum ſentit Ill. TISSOT *in epiſtolis medico-practicis de variolis p. 216, 217.* Nullam vnquam vim calefacientem in ſyrupo diacodii, ſæpe ſæpius a me præſcripto, ad unciam unam cum dimidia et duas pro una doſi, obſervare potui. De laudano confeſſus eſt ipſe SYDENHAM:[q]) *videri ſibi, quod paulo magis calefaciat,* (dixerim ego multo magis!) *ſyrupus autem minus.* Hæc in tranſitu: venio ad YOUNGIVM. Hic, dum collapſis viribus vitæ Opio ſuccurrendum vult, præcipue tum hoc remedio opus eſſe dicit, quando illæ per præviam diarrhœam exhauſtæ fuerunt.[r]) Aliquot paginis autem interjectis[s]) ita loquitur: *Monui in antecedentibus, Opium vires vitæ excitare, tale remedium tempore criſeos in variolis requiri, defectum vitalium virium in hoc morbo per ſigna externa ſeſe ſatis manifeſtare.* Sed cautus addit: *Obſervandum vero eſt, an natura per ſimplicem evacuationem fuerit debilitata, an mole putreſcentium humorum oppreſſa. In poſteriore caſu certiſſime noxium eſt Opium, niſi neceſſariæ evacuationes illorum præceſſerint; in priori omnino prodeſt.* Et p. 180 ita ſcribit: *In hiſce caſibus, etiamſi vires vitæ depreſſæ ſint, Opium noxium eſt, namque natura copia putreſcentium humorum obruta eſt, quos id nec corrigit, nec evacuat. Hic potius cardiacum oleum camino infundit.* Audiamus nunc quoque Ill. TISSOT![t]) Primis eruptionis diebus, pulſu exiſtente irregulari debilique, cum frigore et ſyncope, etiam in pueris tenerioribus vires ſe erigere uſu Opii, dicit, quo præſtantius non detur remedium, quoties ab interioribus ad exteriora virus propellendum. Monet autem, (ſimili fere ratione ac SYDENHAM,) facilem eſſe ex uſu in abuſum lapſum; depoſito viru ad cutem, erectis viribus, niſi ſeponatur, quod vitam ſervaverat, Opium mox illam ſecare, vehementiſſima febre ſuppurationis oriente, potentiſſimis ſedanda refrigerantibus. Præterea ſagaciſſimus hic medicus,

q) p. 464.
r) p. 175.
s) p. 179.
t) p. 217. 218.

ſi tempore eruptionis impetuoſe ſed ſine phlogoſi ruant hu-mores ad inteſtina, diarrhœaque vires proſterneret, viru re-trogrediente, aut quando per totum morbi decurſum fuſior alvus fuit, Opio feliciter uſus eſt.[u] Video, virum inſignem ROSEN de ROSENSTEIN[x]) febre exiſtente nimis vehe-mente omnia in uſum vocanda monere, quæ eam minuant, quorum ſeleƈtiſſima indicat; attamen dolorem vehementem in lumbis poſſe eruptionem puſtularum impedire ſimul aſſe-rit, igitur ad eum leniendum ſyrupum e meconio aut elixi-rium paregoricum Londinenſe et alia expellentia commen-dat. Miror hoc conſilium tanti viri, febre exiſtente vehe-mente, a qua dolor lumborum vel pendet, vel augetur. Et hunc et illam antiphlogiſticis omnibus melius traƈtari per-ſuaſus ſum, quam phlogiſtico Opio. Lubentius cum illo facio, quando paucis interjeƈtis [y]) dicit: Si variolæ ſint pe-joris indolis, febre ſuppuratoria præſente, agrypnia et in-quiete ægri pueri vexantur, moris eſt pauculum ſyrupi diacodii exhibere; ſed melius is omittitur et loco ejus *opti-ma refrigerantia porriguntur.* Sane mea quidem ſententia tunc pauculum ſyrupi diacodii inſons eſſet, et minus noce-ret, quam tempore eruptionis ardente febre pro expulſione datum elixirium paregoricum, Opio prægnans.

u) *p.* 220.

x) *de morb. infantum p.* 185. 186.

y) *p.* 188.

*** ***

Nunc, cum per ſibi invicem egregie conſpirantes gra-viſſimorum virorum ſententias Opium ſub circumſtantiis ab iis indicatis vere locum habens et conveniens, tamen ni-hilominus adeo ambiguum et infidum ſit, ut, niſi ſumma circumſpeƈtione porrigatur, doſis prudentiſſime determine-tur, atque ab uſus continuatione mature abſtineatur, faci-le graviter nocere queat, quærere mihi liceat: an, dum eo fine præcipue adhibetur, ut circulationem languidam eri-gat, viresque vitales excitet, non tutius ſit, ſi alia dentur cardiaca, qualia omnino dari nemo negaverit, illa potius in uſum vocare, quæ tam anxia circumſpeƈtione non in-digeant, quæ largis etiam doſibus dari queant et continua-

ri,

ri, nulloque vitio, quod Opio adhæret, laborent? Id ego quidem firmiſſime credo, unico caſu excepto, quando debilitatis cauſa eſt diarrhœa cohibitionem permittens, aut poſcens, quam nullum aliud cardiacum æque certo præſtare valet, ac Opium. Suffecit cardiaco ſine BOERHAAVIO radix contrayerv. et ſerpent. virgin. ruta et vinum rhenanum, quod vel ſolum, humoribus putreſcente colluvie inquinatis, vires erigere ſatis aptum eſt, non minus ac acetum, quo ipſis nervis erigendis, movendisque ſpiritubus, vix aliud aptius invenit vir ſummus, debilibus, languentibus, ſummum auxilium id elargiri expertus.*) Pulſu exiſtente debili, languente ægro, puſtulis et interſtitiis pallidis, ſatis largam vini calidi quantitatem miro cum ſucceſſu fuiſſe datam, vidit HUXHAM.[z]) Cur ergo opus Opio? aut ſi vinum et alia jam laudata non ſufficiant, cur non recurreremus ad myrrham, itemque ad crocum, ad camphoram, cui multum favet ROSEN; quam in variolis peſſimis adeo egregiam reperit HALLERVS; *) quam vires a putredine proſtratas cito reſtituere, atque, ubi pulſus debilis cum gangrænæ metu, miraculi inſtar ex orci faucibus ægros eripere, multis obſervationibus docuit Cel. COLLIN.[a]) Non obliviſci debeo, notare YOUNGIVM, abſoluta ſuppuratione maximi momenti eſſe inhibere putredinem et excitare vires vitales, atque ad hos fines purgantia blanda, aerem frigidiuſculum, lenia acida, corticem peruvianum et Opium commendare. Poterat ultimum hoc abeſſe a reliquo apparatu, eique ſubſtitui vinum vel canarinum, quod in declinatione morbi SYDENHAMVS laudat, ad halitus putridos difflandos, ſine commemoratione Opii,[b]) vel generoſum rhenanum. Rectius multo paulo ante idem YOUNGIVS,[c]) quando diatheſis putrida in omnibus humoribus dominatur, et vaſa plena, ac perſpiratio cohibita, Opium adeo nocivum eſſe, edixerat, ac verum venenum.

*) *Chem. Tom. II. Proceſſu 50.*

z) *p. 147. 148.*

*) *Opuſc. pathol. p. 114.*

a) *de viribus camphoræ, p. 147. 151.*

b) *p. 186.*

c) *p. 185.*

Ducit

Ducit me Opii commemoratio et ſevera inquiſitio, an et quousque tandem id variolarum curationi conveniat, valdeque limitandus ejus uſus, ad conſiderationem *moſchi* Opio analogi, quem in cardiacorum catalogo nominare non oblitus eſt HUXHAM,[d]) quique paſſim a Cel. ROSEN commendatur, ut et ab aliis. Non inanis erit hæc mea opera, huic remedio deſtinata, cum non neſciam, dari medicos, qui moſcho ceu ſpecifico anti-varioloſo, omni morbi tempore, ſub omnibus ejus conditionibus, utantur, dixerim lubentius, male abutantur. Ut damna, quæ inde eveniunt, ſi minus prudenter porrigatur, evitentur, perpendiſſe ante omnia juvat ejus ingenium, actionemque in corpus humanum; hac enim bene cognita, illotis manibus ad præſcriptionem nemo ſagax artifex feſtinabit. Poſtquam in prælectionibus ſuis chemicis partes conſtituentes moſchi examinaverat et indicaverat NEVMANNVS, adjicere non dubitat, an in medicina tantum uſum habeat moſchus, ut hæc ipſo carere nequeat, ſe ignorare; deque tinctura moſchi, quæ pro cardiaco venditatur, dicit: *ſi credere fas eſt.*[e]) Videamus igitur accuratius, quid celeberrimi medici de ipſius operatione in ſyſtema et nervoſum, et vaſculoſum rubrum, per experientiam obſervaverint. Cl. LVDOVICI in Pharmacia moderno ſeculo applicanda *) ita ſcribit: *Moſchus pluribus adverſiſſimus, teneriorum et exhauſtorum hypochondriacorum caput æque, ac alia fumoſiora, magis plerumque replet.* KÖNIG *in regno animali p.* 282. illum ob ſummam volatilitatem inſigne eſſe cordiale notat, quod maſſam ſanguineam languidam et torpeſcentem reſtauret. VALENTINI in *Hiſtoria ſimplicium reformata p.* 307. illum gaudere dicit particulis valde volatilibus, iisdemque valde calefacientibus, ſpiritus vitales confortantibus, ſanguinem in motu progreſſivo perpetim conſervantibus; nullumque fere medicamentum ipſi præferendum eſſe, quod ad corroborandum magis valeat; membraque genitalia viro-

d) p. 138.

e) p. 1290.

*) p. 359.

virorum et mulierum id calefacere, ſimul monet. Cel. FVLLER in *Pharmacopœia extemporanea p. 302.* ita judicat: *Moſchus conducit hyſtericis, tunc autem præcipue, quoties ſpiritus non tam ob copiam et turgeſcentiam efferate exploduntur, ſed ob penuriam et vacillationem in confuſiones labuntur. Moſchus enim ſanguinem potenter exagitat.* CRANTZIVS, qui moſchum ad claſſem cardiacorum ſtimulantium refert, eum validum eſſe corpus turbans et caput tentans, aſſerit.[f]) WHYTT[g]) moſcho vim calefacientem non derogat, licet dicat, ipſum minorem calorem corpori inferre quam caſtoreum. Elegans materiæ medicæ ſcriptor Cel. CARTHEVSER:[h]) *Parum vel nil diſcriminis intuitu virium et uſus eſt*, inquit, *inter moſchum et zibethum; — — cruorem, fluidum nerveum, cæterosque humores mirifice expandunt; et forti hac expanſione capitis dolorem, vertiginem, lipothymiam, apud plethorica imprimis ſubjecta provocant; imo ſolus odor multis in utroque ſexu, maxime autem fœminis hyſtericis, adeo adverſatur, ut eundem citra animi deliquium ſummamque anxietatem diu perferre nequeant. Hinc per ſe etiam rariſſime, vel nunquam, a medicis providis præſcribuntur, ſed tantum variis compoſitionibus, doſi valde exigua, adduntur.* BOERHAAVIVS[i]) de moſcho, penetranti odore, quem latius diffundit, prædito, affirmat, *quod ita poſſit afficere nervos, ut ſimulac ejus odor percipiatur, mox oriantur diriſſimi ſpaſmi, inprimis in hypochondriacis et hyſtericis, adeoque eum miram habere efficaciam in ſyſtema nervoſum; hinc in paralyſi conferre, quando indigemus tremoribus concutientibus, quos* HIPPOCRATES *et* ARETÆVS *adeo commendant.* Ill. van SWIETEN[k]) de caſtoreo, moſcho et zibetho dicit, *quod calefaciant, excitent, moveant; ſed quia et moſchus et zibethum tantam gravis odoris vim diffundant, ut ægris hyſtericis et hypochondriacis et adſtantibus magnam moleſtiam faciant, in cura paralyſeos caſtoreum præ iis uſurpari.*

f) *Mat. med. I. p. 152.*

g) *de morbis nervorum pag. 279.*

h) *Part. II. p. 379.*

i) *de morbis nervorum p. 744.*

k) *Comment. Tom. III. p. 378.*

Tandem Cel. TISSOT [l]) in adhibendo moſcho ſuppeditat cautiones notatu digniſſimas: *ne exhibeatur, quando corpus eſt ſanguine plenum, isque impetuoſe ad caput propellitur; quando ventriculus et inteſtina impuritatibus ſcatent; quando alvus eſt obſtructa; et magnus calor adeſt; cum mala, quibus deſtinetur, tum pejora reddat*, quod in ægra quadam triſti experientia didicerit. Pergit deinde: *moſchus agit in corpus ut Opium, cui certa doſi fere ſubſtitui poteſt; eadem ergo prudentia opus, quando ille præſcribitur.* Crediderim, hæc omnia medicos moſchum in deliciis habentes ſerio monere debere, ut cautius mercentur, in omnibus illis ſubjectis præcipue, quorum genus nervoſum debile eſt et mobile, adeoque omnino in tenerioribus fœmellis et in pueris; ſed de hoc argumento mihi jam non ſermo eſt. In variolis certe, quando pulſus eſt magnus et fortis, atque caput per febrem et calorem jam graviter afficitur, abſonum omnino eſt et periculoſum, iteratas doſes moſchi ægris obtrudere. Non ſatis mirari potui, quando pulſum tardiorem deſiderans medicus moſchatos pulvillos nihilominus exhibuit, atque quando non introſpexit, vel altum ſoporem, vel delirium, deinde enatum, non a vi morbi, ſed a remedio a ſe dato, originem ſuam duxiſſe. Quando pulſus debilis eſt, puſtulæ pallidæ, urina tenuis, cum apparatu reliquorum remediorum calidorum, moſchum tantum locum habere, pulchre HUXHAMUS [m]) monuit. Atque Cel. ROSEN, [n]) cum cito nimis erumpentes variolæ malum ſemper omen ſibi junctum habeant: *Non alia ratione*, inquit, *eruptio variolarum ante 4 diem cum ſecuritate præpeditur, quam ſi primis tribus diebus ab omnibus expellentibus remediis, camphora, moſcho, abſtineamus etc.* quem, ſi ob debilem pulſum variolæ non eleventur ut decet, inter alia ſaltem locum habere dicit. [o]) Sed et tum adhuc perpendendum eſt, an idioſyncraſia peculiaris illum ferat, an non. Qui bene diſtinguit, bene medetur; alioquin caſui, fortu-

l) *de Epilepſia libro, edit. germ. p. 279.*

m) *de variolis pag. 138.*

n) *Kinderkrankheiten p. 174.*

o) *p. 182.*

næ et naturæ, medentis errores ſuis viribus interdum corrigenti et ſuperanti, unice ſalus ægri committitur.

*** ***

Ad cardiaca, quorum hactenus a me mentio facta eſt, ſine dubio etiam pertinet cortex peruvianus, cujus uſus merito a celeberrimis practicis in curatione variolarum commendatur; attamen et hic omnino neceſſarium eſt, ut ſciat et perpendat peritus artifex, quando uſus conveniat, quando minus. Fuere, qui ad vim febrifugam corticis reſpicientes, fere directe febri ſecundæ reſiſtere eum crediderunt, atque hoc fine præſcripſerunt. Cum veſicantibus, Opiatis et alexipharmacis, ubi vel febris uno tenore a primo inſultu jugiter perſeverat, vel recidiva poſt intermiſſionem vel remiſſionem notabilem recurrit, repetitum uſum corticis peruviani hoſtis inſultibus fortiter reſiſtere, et præ illis herculeum ejus antidotum eſſe, aſſeruit MORTONVS [p]). Hujus forte auctoritate motus Ill. noſter de HELWICH,[q]) ſi febris ſuppurationem comitans intermittentis typum induat, licet etiam intermiſſio brevi duret, corticem peruvianum egregium eſſe remedium edixit. Cel. MEAD,[r]) ſi, quod minus ſæpe accidat, febris intermittens tertiana ſimplex, aut duplex, ſeſe febri variolarum comitem adjungat, corticem peruvianum vel extractum ejus laudat. HUXHAM[s]) provocat ad MORTONVM, qui non in declinatione ſolum, ſed et in ipſa variolarum maturatione, ſi quando remiſſionem deprehendebat, tertia aut quarta hora ad drachmæ quantitatem corticem exhibebat; atque hoc a variis aliis eximiis medicis ante plures annos fuiſſe exercitatum, ſeſe compertum habere, ſcribit. TISSOT quoque eum utiliter adhiberi vidit, ſi intermittens febris variolis jungatur. *) Ex omnibus his commendationibus vix aliud elogium in corticem redundat, quam id, quod ubique meretur et ſuſtinet, nempe quod ſit febrium intermittentium, et ex earum genere continuarum remittentium, ſpecificum remedium; ſique tales

p) *Operum Tom. III. p. 185. 186.*

q) *Hiſt. morb. Vratisl. 1701. p. 6.*

r) *Lib. de variolis et morbillis c. IV. p. 57.*

s) *Diſſ. de variolis. p. 143.*

*) *de variolis p. 236.*

tales

tales complicentur variolis, omnino ad harum ſanationem præ omnibus aliis pharmacis facere. Verum quæſtio naſcitur, an ſine hoc comitatu incedenti febri ſecundæ variolarum opem ferat, tanquam febrifugum? id autem vix affirmari poſſe videtur. Sane modo laudatus TISSOT[t]) fatetur, in febre ſecunda graviore, poſt morbum vere inflammatorium, corticem ſe nunquam adhibuiſſe, quia nunquam vidit tuto adhiberi poſſe; imo vero imparem habet explendis indicationibus, in febre ſecundaria formandis, et nonnullis adverſari credit. Sane ſi perpendatur, abundare et fluctuare in omni humorum oceano purulentam colluviem, ſtatim perſpicitur, illum medicum melius opem laturum fore ægro, qui quantitatem ejus minuere et magnam partem cito exterminare per alvum ſtudet, dum cutis inflammata et arens non perſpirat, quam qui qualitati corrigendæ longum nimis laborem deſtinat. Norunt inſuper, qui BOERHAAVIUM legerunt,[u]) febribus etiam vere intermittentibus, ſi collectum alicubi in corpore hæreat pus, corticem non convenire; docuitque ſpeciatim in variolis experientia Richardum FREWIN,[x]) febrem putridam non obſtante exhibito cortice quotidie rediiſſe. Nullo cum fructu eum ingeri in hac febre teſtatus quoque eſt FREIND;[y]) atque Iohannes BATE et anodyna et corticem adhibuit, adhuc revertente febre, quæ poſtea purgantibus datis penitus fuit excuſſa.[z]) In febre ſecunda expectationi minus reſpondere corticem, quoque notavit HUXHAM, purgantium juſtus præco.[a]) Verum enim vero in vere malignis variolis nemo non pro ſummo remedio corticem declarabit, qui ſciverit, quanto emolumento hodie ad ipſam gangrænoſam corruptionem inhibendam, ejus uſus extendatur; quidni igitur apud varioloſos purulentæ humorum diatheſi, in putridum ichorem vergenti, congrueret?

Id certe per experientias edocti ſunt, et notare non intermiſerunt, maximi nominis practici medici. In variolis

t) *pag.* 235.

u) *Aphor.* 767.

x) *Comm. VII. Freindiano p.* 40.

y) *Epiſt. ad Mead comment. VII.*

z) *Freind. epiſtola de purgantibus, in ſecunda variolarum febre circa finem.*

a) *Diſſ. de variolis anomalis p.* 28. 29.

malignis et præcipue in iis, quas ſanguineas vocat, quando maculis nigris, quæ veræ ſunt gangrænulæ, cutis ſuffunditur, corticem laudat MEAD, et alumen et vitrioli ſpiritum;[b]) HUXHAM[c]) interdum, quando petechiæ copioſæ et variolæ admodum nigræ, parvæ, confluentes adfuerunt, acidis mineralibus, alexipharmacis, adſtringentibus et cortice peruviano maximas res geſtas fuiſſe ſcribit; ſimul ad MEADIUM, quem modo laudavi, ad Cl. MONRO[d]) et WALL[e]) provocat. WALL interea pro minuenda febre evacuantia cortici præfert, hæcque conducere ſcribit, ſi etiam ſub uſu corticis alvus ſit laxior. Cel. TISSOT,[f]) licet directe nil facere ad febrem ſecundam corticem peruvianum aſſeruiſſet, tamen ſtatim ſubjungit: *Sed multum is prodeſt, ut in malignis febribus, ſic in malignis illis variolis, quæ laxas fibras, ſolutum putridumque ſanguinem, ſummamque debilitatem exhibent et gangrænam continuo minantur, ex vappido putridoque ſanguine. Tunc toto morbi decurſu, ad drachmas 3, 4, aut 5 quotidie deglutitus, fauſte morbum convertit.* Cl. ROSEN DE ROSENSTEIN[g]) jam in ſecundo ſtadio, ſi puſtulæ ſubſideant, palleſcant et pus contineant non laudabile, flaveſcens, vel nigreſcant, fœteant et petechiis ſtipentur; ſtatim ad chinam recurrit, et uſu continuato per omnem morbi decurſum pergit, magnisque doſibus, ſi pulſus debilis ſit, et circa puſtulas levis ſaltem rubor. In tertio ſtadio malignarum idem remedium adhibet, dicitque, id ſæpe miracula præſtare, vel ſolum, ut aliis carere queamus.[h]) Atque adeo in quarto ſtadio, ſi iterum febris inſurgat, ob malignitatem morbi chinam præcipue conferre ait, cum iis remediis, quæ putridam colluviem e corpore eliment, nempe variolarum perforatione, ſalivationis promotione, diureticis et alvum ducentibus.[i]) Cel. de HAEN toto capite de variolis, quod habetur Rat. med. Tom. II. ne verbulum de cortice peruviano habet, uſum paregoricorum efficere poſſe ratus, ut, ſi unquam, rariſſime ſaltem variolæ

b) *cap. III. de variolarum curationibus p. 37.*

c) *Diſſ. de variolis p. 142.*

d) *Medical Eſſays Vol. V. p. 102.*

e) *Philoſophical Transactions No. 486.*

f) *p. 235.*

g) *Kinderkrankheiten p. 183.*

h) *p. 195.*

i) *pag. 198.*

 in

in malignas abeant. In illa tractatione ejus de variolis, quæ in Rationis medendi continuatæ Tom. II. habetur, dum pag. 84. ſtatui ſecundo convenientia pharmaca indicantur, tantum hæc verba leguntur: *ſi re urgente corticem peruvianum adhuc ad manus habeas; vix aliis indigebis*; interim, quæ res urgens corticem poſtulet, non explicat. Verum cum vir eximius Tom. III. Rat. medend. capite de morbis malignis pag. 71. corticem ſiſtat, tanquam in debilitate egregium cardiacum; in ſumma corruptione inimitabile alexipharmacum; remediumque, quod expulſionem exanthematum ſumma cum ægrorum euphoria promoveat, ſuſtineat, maturet, perficiat: facile intelligitur, ex ejus ſententia ipſum a malignarum variolarum curatione abeſſe haud poſſe. Nunquam ego, quoties, qui talibus laborabant, ægris mederi juſſus ſum, in gravibus quibusdam epidemiis, quas per 46 annorum decurſum obſervavi, corticem porrigere omiſi. Vidi et laudavi mecum proſperum effectum, attamen non raro etiam votis excidi. Dolentem me hanc infelicem ſortem erexit ſors, eadem collegarum, me haud feliciorum. Dantur certe variolæ abſolute lethales, quas ars nulla, nullum remedium ſanat. Forte majora præſtaret nobilis hic cortex, ſi juſta ſemper copia poſſet ingeri; verum talem toties nauſea ægri, aut anginoſus tumor, aut puſtularum in faucibus et lingua numerus, vel in ſubſtantia, vel in decocto aſſumendam haud admittit: interim de morbis malignis tractans HAENIUS ſat largam requirit, ut queat prodeſſe. Sine dubio hæ difficultates moverunt quosdam medicos e noſtris, ut fomenta ex corticis peruviani decocto pedibus, brachiis, aliisque corporis locis applicari facerent, atque ſibi ab iisdem multa bona promitterent. Dum alioquin gangrænæ obicem ponere aptus eſt cortex peruvianus, interne et externe adhibitus, ſpeciem omnino habet in variolis gangrænam minitantibus hoc conamen, et rerum non ſatis gnaris ita poteſt imponere, ut in curatione, ſi ea ſine illo infeliciter ceſſerit, aliquid omiſſum putent, quod cum cura adhi-

hiberi debebat. Verum licet intentio in hac methodo bona ſit, inventio tamen, de qua ſine dubio, ſi aliquid valeret, vel unicus ſcriptorum optimorum de variolis cogitaſſet, irrita omnino eſt et non prudenter ſatis deliberata; atque quo numeroſiores adſunt variolæ, quoque magis cutis externa confluentibus eſt obſita, eo magis illa noxia declarari debet. Scilicet tunc omnia oſcula minuta cutanea perſpirationi inſervientia oppilata ſunt et obſtructa, atque ab ejus ſuppreſſione ſola, niſi defectus ejus vel diarrhœa, vel ptyaliſmo ſuppleatur, cum febre peſſima ſymptomata enaſcuntur. Hanc autem oppilationem et obſtructionem non ſaltem arteriolarum oſcula exhalantia, ſed et venularum inhalantia, patiuntur; unde, ut illa nil emittunt, ita et hæc nil admittunt et imbibunt. Tanto autem magis horum et illorum functio impedita eſt et ceſſat, quando puſtulæ jam exſiccantur et denſam cruſtam efformant, longe lateque extenſam. Tum enim, ut HUXHAMI verbis utar, [k]) nil per habitum corporis externum expellitur, parum vel nihil per incruſtatam ſquamoſam cutem tranſpirat, quæ corpus ut lorica, aut potius, ob ejus effectum, ut induſium Herculis venenatum circumdat; nam his non ſolum perſpiratio impeditur, ſed et pus ac ſanies limitibus ſuis coercetur, quæ reſorpta atque ad ſanguinem delata febrem ſecundariam augent. An ergo probabile eſt, rebus ita ſeſe habentibus, oſcula venarum in cute ſic incruſtata, quæ prorſus obſtructa ſunt, decoctum corticis peruviani adſtringens imbibitura fore? nonne hujus virtute magis coarctabuntur, ſi hoc ad ea penetret? nonne pus et ſanies hac arte tanto magis limitibus ſuis coercebitur, aut verſus interiora retropelletur? Sane ejusmodi tentamina e diametro adverſantur ſapientiſſimæ methodo maximorum medicorum, qua pus extrorſum potius allicere, eidemque exitum facilem parare conantur. Minime ſane illa probaret BOERHAAVIUS, qui [l]) ſic procedere jubet: *In hoc ſtatu ſuppuratorio curandus puris ad exteriora exitus,* *ab*

k) *p. 149.*

l) *Aph. 1402.*

ab interioribus expulſio, quod fit laxando cutem fomentis laxantibus, tepidis, aſſidue et laborioſe renovatis; etc. quique in commentario ſuo, ad hunc aphoriſmum, ita agendum præcepit: *In miſero hoc ſtatu panni lanei lacte recenti pauxillo ſalis admiſto immerſi circa cervicem, jugulum, ſpinam dorſi, inguina, poplites, cæterasque corporis externi partes, ponendi ſunt et hæc calida fomenta repetenda, ut nempe itus purulentæ materiæ ad interiora caveatur. Si ægri balneum vaporis ferre poſſent, melius adhuc judicarem, ſed ordinarie ſunt nimis debiles.* En! quantum vir ſummus det emollitioni et relaxationi totius externi corporis, a decocto corticis peruviani applicato minime impetrandæ. Cel. MEAD *) juvenem habet, quem modo adeo terribili infeſtaverant variolæ confluentes, ut, cum matureſcere deberent puſtulæ, tota facies nigra atque arida facta gangræna corrumperetur et putreſceret. Cum ſpes nulla ſupereſſe videretur, cutem usque ad ſanam carnem multis in locis ſcalpello concidit; quid vero deinde conſuluit? Sane hic, ſi unquam alibi, applicatio decocti corticis peruviani poterat in uſum vocari, cujus vim antiſepticam MEADIVS toties laudatam bene noverat, et quem interne capiendum ſine dubio porrexit. Verum fotum longe alium, ex decoctis herbarum emollientium et calidarum, adjecto ſpiritu vini camphorato, pro condimento adhiberi juſſit; quo facto pus, odore tam gravi ex vulnuſculis profluxit, ut in cubiculo nemo morari poſſet; promota interim per apta medicamenta hujus digeſtione, et corpore demum purgato, incolumis evaſit miſellus. Neque etiam fomenta chinata jungi poſſent apertioni maturarum puſtularum, quam bene multi expertiſſimi viri adeo commendant pro febre ejusque ſymptomatibus minuendis. Die 10, 11 et 12 morbi puſtulas perſcindendas forfice in facie, brachiis, cruribus, repetitis vicibus, et deinde ſpongias aqua tepida et lacte madidas applicandas vult HAEN, *) ut panniculus adipoſus totus pure ſcatens evacuetur. Idem con-

*) p. 41.

*) Rat. Med. II. p. 55.

conſilium ſuppeditat Rat. medendi continuat. Tom. II. pag. 100; ſicque graviſſima mala a pure reſorpto enaſcentia feliciter abigi affirmat. Quin antea *) uſum docuiſſe monuerat, balnea integri corporis, modice calida, toto tempore morbi binaque de die variolas feliciſſime curaſſe. Multus quoque eſt in laudanda apertione puſtularum pro dolore et febre ſedandis Cel. TISSOT, [m]) quam nil certius ſedare dicit, ac toto corpore omnium puſtularum indeſinentem, prout turgent, apertionem et deterſionem. Non minus Cel. ROSEN ad febrem variolarum ſecundam impugnandam fomenta aſſidua manuum, brachiorum, crurum, pedum, cum pannis laneis calido lacte madidis; deinde repetitam ſæpe puſtularum mediante acu, lanceola, forfice, apertionem, harum deterſionem cum ſpongia, in aquam tepidam immiſſa, ſerio ſuadet. *) Sane, quando in ſequentibus [n]) adeo in quarto ſtadio, ſi febris urgeat, contra eam primo corticem peruvianum, dein puſtularum inciſionem, promotionem ptyaliſmi et diureſeos, benigna laxantia et fomenta plurimum boni facere aſſerit: hæc ex decocto corticis parari debere ſine dubio juſſiſſet, ſi hoc convenienter adhiberi, ſibi potuiſſet perſuadere.

*) p. 77.

m) p. 253.

*) p. 191. 192.

n) p. 198.

*** ***

Debeo, dum in hoc argumento pertractando occupor, adhuc commemorare duo potentiſſima malignarum variolarum et febris earundem ſecundæ remedia, *camphoram* et *vitriolum*, licet eorum in antecedentibus jam mentionem fecerim. Didiceram jam ſtudioſus medicinæ a venerando mihi ad urnam præceptore HOFFMANNO camphoræ vires, qui multis annis antea *in diſſertatione ſua de camphora §. XI.* aſſeruerat, in univerſo naturæ ſinu vix ullum reconditum eſſe ſimplex, ad ſubmovendam de corpore malignitatem, cujus natura in penetranti putredine ponenda ſit, ipſa camphora præſentius et potentius; id quod paſſim deinde in ſuis operibus *) denuo affirmavit et inculcavit. Atque no-

*) ut Tom. III. Med. Syſt. p. 579.

noſtra ætate Cel. COLLIN practicam hanc magni adeo momenti veritatem ſuis experimentis et obſervationibus [o]) evidentiſſimam reddidit, et merito camphoram omnium, quæ nota ſunt, efficaciſſimum eſſe contra putredinem medicamentum edixit, ſi doſi magnitudini mali adaptata porrigatur. Quidni igitur ejus adhibitio ad pravæ indolis variolas traheretur? Dedi illam methodo HOFFMANNI cum nitro, in prima ſtatim variolarum epidemia Vratislavienſi, novus medicinæ doctor, atque paſſim de pulchris effectibus lætatus ſum. Multa deinde voluptate, Ill. HALLERUM in variolis peſſimis confluentibus et nigris in epidemia bernenſi efficaciſſimam inveniſſe, vidi. *) Amat quoque camphoram Cel. ROSEN in variolarum medela, licet plus ejus vim pulſum excitantem et perſpirationem moventem, quam antiſepticam, laudet. [p])

Accedo ad vitriolum, cujus ſpiritum omni laude major SYDENHAMUS cum oppugnandæ putredini, tum perdomandæ caloris ferociæ, ſatisfacere poſſe, primus cum veriſſimo effectu credidit. *) Notavit deinde BOERHAAVIUS, acida foſſilia venena alioquin animalibus eſſe, niſi in caſibus pauciſſimis exceptis, ubi putredo et alcaleſcentia nimis increſcunt, ut in ſeptica prorſus conditione humorum, ubi peſtilentiale virus, vel variolarum præceps corruptio infeſtat. [q]) Sed omnium optime de virtute acidorum mineralium non ſaltem in malignitate corrigenda, ſed et in moderanda febre ſuppuratoria, ſcripſit Cel. TISSOT, *) nimium dans meo ſibi adjiciendo calculo, qui unum ex filiis meis, alio morbo deinde mortuum, obſcuro violaceo colore variolis inter numeroſiſſimas ſeſſiles conſperſum, largo phlegmate vitrioli ſervavi; quanquam tum jam damna Opii quidem, non vero egregias illas vires vitriolicorum, in febre ſecunda moderanda introſpexiſſem, illas plenius edoctus a laudatiſſimo viro, cujus veſtigia premenda eſſe recte monet Ill. de ROSEN. [r])

§. XIX.

o) *Anno medico III. Part. III.*

*) *Opuſc. pathologica p. 114.*

p) *Kinderkrankheiten p. 183. 192.*

*) *p. 299.*

q) *Chem. Tom. I. pag. 673.*

*) *p. 227. ſeq.*

r) *Kinderkrankheiten p. 188.*

§. XIX.

A variolis tandem tranſeo ad *morbillos*, quorum curationi rite accommodatum aliquando pulchre Opium favet; licet et hos et illas nuſpiam eo tuto curari WALDSCHMIDIVS [a]) ſtatuat. Nemo medicorum facile ignorat, tuſſem ferinam, ſternutationem frequentem, palpebrarum intumeſcentiam, dolorem mordacem in oculis, ſeri rodentiſſimi cum lachrymatione involuntaria ex iisdem æque ac ex naribus effluxum, imminentia et egredientia hæc exanthemata ordinarie comitari, eorundemque conſtituere ſigna pathognomonica. Quare certum eſſe videtur, acrimoniam irritantem tenuiſſimam ſui generis, cauſticæ fere indolis, ſeroſis humoribus innidulantem, locis in quæ ex eorum penu decumbit inflammatorium ruborem et ardorem inferentem, hujus ægritudinis eſſe cauſam. Cum ejus ſpecifica indoles nobis ſit incognita, cum ejus antidotum nos lateat, nil fere arti relictum eſt quam naturam ducem ſequi, determinationemque materiæ ad cutem regimine congruo et potulentis mollientibus et demulcentibus affatim hauſtis juvare, ac, ſi vel ob copiam, vel ob receſſum ab exterioribus, viſceribus vitalibus, nervoſisque ac membranaceis partibus pertinacius inhæreat, ejus pravos effectus impugnare. Regularis hic morbus ſi fuerit, neque tum regimine et remediis calidis acrimonia pejor reddatur, ſæpiſſime ſuperatur feliciter; ideoque rectiſſime ſcripſit Ill. van SWIETEN: [b]) *Non adeo magnum diſcrimen inferunt morbilli, ſi exteriora ſaltem occupent, neque calido regimine tractentur*; addit autem: *ubi vero delirium, vel dyſpnœa ſuſpicionem faciunt, ad encephalum vel pulmonem ſimile malum hærere, anceps ſæpe diſcrimen adeſt.* Sed et pro majori materiæ virulentia et epidemiæ varietate, præter delirium aut coma, præterque anxietatem peripneumonicam interdum virium ſumma proſtratio, vomitus et diarrhœa enormis, hæmorrhagiæ profuſiſſimæ, convulſiones, in magno periculo ægrum verſari te-

Morbilli.

a) *Monita med. circa Opium p. 14.*

b) *Comment. Tom. II. p. 97.*

teſtantur, malignamque morbi faciem ſiſtunt. Vidi non ſemel triſtia talia ſymptomata ipſe, ſine ullo peccato medici oborta, præcipue in adultioribus, qui fere ſemper gravius decumbunt. Omnia enarrata ſeſe invicem excipiebant in Illuſtriſſima illa virgine, cujus Cap. II. §. 20. p. 125. mentionem feci. Anxietas vero peripneumonica ſumma cum diarrhœa profuſiſſima valde difficilem mihi reddebat medelam, quam a me flagitabat illuſtris comitiſſa, maxime cum ruri degenti non ad vota adeſſe ſemper poſſem. Vidi etiam mercatorem triginta annos natum delirum et ſubinde convulſum, licet ſtabiles in cute florerent morbilli. Taceo fœmellas cordis palpitationibus et angoribus graviſſimis adflictas. In his caſibus omnibus mihi medenti valde utilia fuerunt, antea poſt alios practicos, apud SYDENHAMVM præcipue et MORTONVM de morbillis regularibus et anomalis, benignis et malignis, lecta. Neque pœnituit pervolviſſe, quæ in *Miſcellaneis Nat. Curioſ. Dec. IV. Ao. IV. Obſ. 11.* habentur. Egregia quoque ſunt præcepta optimi præceptoris HOFFMANNI in *Medicina Syſt.* ſuppeditata; eaque, quæ Cl. MEAD libro *de variolis et morbillis* ſuggeſſit, apprime utilia inveniuntur. In morbi benignioris medela, dum natura fere ſola protrudendæ materiæ ad cutim ſufficit, qua facta incommoda multum minuuntur, aut ſaltem nil periculi minantur, ſi juſtum moderamen circuli, nec excedentis, nec torpentis animadvertit medicus, methodica certe curatio eſt, quam tradit de GORTER, [c]) quæ neque nimis calefacit, neque refrigerat. Plenarie tum ſufficiunt juſcula hordeata, hydrogala, emulſiones, qualia ſola laudat SYDENHAMVS; *) certumque eſt, quod aſſerit, rariſſime perire, qui hoc utitur regimine. At vero, ſi nimio impetu projiciatur ſanguis et febris valida adfuerit, ea præſidia omnino vocanda ſunt in ſubſidium, quæ rapidiori motui frænum aliquod injiciunt. VSe tum neceſſario opus eſſe, nemo facile non videt ſua ſponte, niſi a notitia principiorum me-

c) *Syſtem Pr. Med. Tom. I. p. 196.*

*) *Operum p. 247.*

mechanico-hydraulicorum alienus. Equidem MORTONVS [d]) ante eruptionem nil tentandum eſſe dicit, quod ægrorum vires coerceat vel deprimat, utut ſymptomata id efflagitare videantur; eo nomine etiam a VSe, niſi vaſorum ſanguiferorum apertura vel aliquod aliud grande et inſolitum ſymptoma id neceſſarium fecerit, apprime et religioſe abſtinendum cupit. SYDENHAMVS autem de VSe in principio adminiſtranda penitus tacet. Dignius vero de eadem judicant alii clariſſimi viri. HOFFMANNVS [e]) in provectioris ætatis perſonis, ſi ſanguis redundat, primis ſtatim diebus eum ſubtrahi jubet. Ita non modo ominoſas hæmorrhagias declinari, ſed et remittere anxietates et facilius prodire exanthemata fatetur. Quin et ſi plethora eruptionem impediat, inſtante adeo eadem VSem adminiſtrandam vult, crebriori experientia edoctus, ſanguine nimium redundante difficillime, eodem autem detracto promptiſſime ſuccedere materiæ exanthematicæ expulſionem. [f]) Apud RIVERIVM [g]) ſane legitur, matronæ cuidam quarto demum die, cum febris intenſior evaſiſſet, ſanguinem fuiſſe detractum, eademque die totum corpus morbillis conſperſum apparuiſſe. Atque ita antiquiſſimi medici jam agere conſueverant. AETIVM de exanthematibus tractantem citat FREIND [h]) initio ſtatim, ſi febris violenter exarſerit, ſanguinem mitti jubentem, cujus curandi regulam, ut in aliis cutis efflorescentiis, ita et in morbillis ad imitandum aptiſſimam eſſe affirmat. Sed nemo melius VSi patrocinatus eſt Cl. MEAD, [i]) qui jure miratur, ſagaciſſimum SYDENHAMVM, licet indolis morbi phlogiſticæ bene gnarum, non præcepiſſe, ut in principio ſtatim detraheretur ſanguis, ſed ſaltem voluiſſe, ut ſub finem, ubi regimen et medicamenta calida noxas intuliſſent, demum adhiberetur. Sed excuſat eum, quoniam eo tempore in febribus exanthematicis, puerorum præcipue, communis praxis VSem horrebat. Ipſe autem MEAD, ſi quidem id fieri poſſit, ante puſtularum eru-

d) *Exercit. III. cap. IV. p. 29.*

e) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. p. 189.*

f) *p. 201. 202.*

g) *Cent. III. obſ. 76.*

h) *Hiſt. Med. Aetius pag. mihi 155.*

i) *Libro de variolis et morbillis c. VI.*

 ptio-

ptionem, ſi vero illæ jam proruperint, nihilominus ſanguinem mitti jubet, cum maximum a pulmonis inflammatione immineat periculum, cui quam citiſſime occurrere oporteat. Miratus quoque MORTONVM, in principio VSem diſſuadentem et morbo conſiſtente ſæpe neceſſariam judicantem, recenſet, graſſantibus olim Londini ſævius morbillis, ſe medico cuidam celebri, qui SYDENHAMVM imitatus a VSe abſtinuerat, conſilium dediſſe, ut ſemper in principio vel, ſi ſerius advocaretur, primo quoque tempore ſecari venam juberet, peripneumoniam enim conjunctam ſecum ferre hunc morbum, non alia via impugnandam; huncque medicum poſtea acceſſiſſe, ac gratias egiſſe, quia ad unum omnes ægros hoc modo periculo eripuerat. Ego, quanquam ut nil diſſimulem puſionibus ob nimiam parentum phlebotomophobiam VSe mederi haud potuerim, apud adultiores tamen raro princeps hoc remedium omiſi, maxime ubi morbum in pulmonibus aut capite ſedem præcipuam figere, anxia reſpiratione, cephalalgia et delirio teſtibus, animadverti. Tum enim haud absque ratione ac tuto prorſus venam incidi FREINDIVS [k]) me docuerat, qui quanquam haud aliud experimentum frequentius inſtituerit, ne ſemel quidem præſentibus adeo jam exanthematibus animadvertit, ea poſt miſſionem ſanguinis retroceſiſſe, ubi affectus id auxilii requireret. Quoties vero venæſectionem adminiſtrare conſultum eſt, toties etiam cum potulentis demulcentibus largiter hauriendis, refrigerantibus varii generis et nitro opus erit, quod per totum morbi decurſum potui frequenter dandum eſſe laudatus MEAD injungit.

k) *Hiſt. Med Aetius p. 156.*

Ut vero aliquando morbilloſa febris ante excretionem exanthematum impetu nimio peccat, ita et nonnunquam languida eſt et torpet. In hoc caſu valde periculoſum foret VSem et refrigerantia in uſum vocare, cum, ſi valde depreſſus ſit pulſus et tamen excretio cutanea ſuccedere debeat, potius excitantia indicentur. Intempeſtivo nitri uſu, ob

ob retardatam macularum eruptionem, ſpiratione ſemper difficiliori evadente, tres puellos a medico fuiſſe necatos, refert HOFFMANNVS,[l]) qui omnes ſine dubio ſervati fuiſſent, ſi hoc remedium abfuiſſet, aut ſi veſicante admoto circulum incitans pharmacum fuiſſet exhibitum. In ejusmodi torpore febrili Opium potius certo reſpectu locum habere poſſet, ſuadetque illud vere MORTONVS,[m]) ad excitandam languidam nimis febrem et excretionem in cute nimis tardam promovendam, licet paulo ante abſtinendum ab eo dixiſſet, ne vires ægri deprimat et coerceat, ſibique adeo contradicere videatur. Scilicet ſi efflorescentia ad 4, 6, 8 diem protrahatur, per febris malignitatem, intercurrentibus adeo lipothymiis, theriacam, diaſcordium, mithridatium dandum vult repetitis vicibus, donec efflorescentia vegeta reſtituatur, aut ſaltem inchoetur, et æger pulſu fortiore reddito a deliquiis liberatus elaſticitate ſpirituum reduce potiatur. Eleganter vero ſimul monet, calida talia præter rem nec exhibenda eſſe, nec nimis diu continuanda, ne in ſecundo morbi ſtadio inflammatoria ſymptomata ſubſequantur; alibique diſertis verbis febrem jam per ſe ſatis validam Opiatis augeri ſcribit.[n])

l) *Med. Syſt. Cap. de Morbillis obſ. 7.*

m) *Exercit. III. c. IV. p. mihi 28. 29. 30.*

n) *p. 33.*

Hæc de febre morbilloſa in genere, quatenus ipſi convenit aut non convenit Opium; jam de ſymptomatibus nonnullis urgentibus quædam ediſſerenda ſunt. Accidit interdum in morbillis pejoris notæ, ut acre eorum adhuc intus in humoribus latitans ac nerveos villos et membranas irritans non ſaltem palpitationes cordis et pavores in ſomno, vomitusque enormes cum ſtricturis cardialgicis cieat, ſed et alios ſpaſmos motusque muſculorum convulſivos, quin ipſam epilepſiam, inducat. Atque in hoc rerum ſtatu, maxime ſi nervoſa talis affectio magis urgeat, quam violentia febris, atque ad id nequitiæ culmen illa adſcendat, ut motuum anomalia morbo principi juncta majus quam hic ægro diſcrimen minetur, veſicantibus admotis, valde profi-

cuum

cuum erit adhibere Opium idonea doſi, vel toties repetitis minoribus præbiis, donec gravius ejusmodi ſymptoma mitigetur. Memini bene me pauculis laudani guttulis aliis pharmacis additis, MORTONVM [o]) ſecutum, gravia ejusmodi ſymptomata levaſſe, imo vero et infantibus ob morbillos imminentes et dentitionem convulſis ita auxilio fuiſſe.

o) *l. c. p. 30. 31.*

Sequitur *tuſſis*, quæ, licet omnia bene cedant, ordinarie tamen valde importuna eſt, latratuque perpetuo quietem omnem et ſomnum excutit. Huic certe, ſi apozemata pectoralia ſyrupique et oleum amygdalarum dulcium non ſufficiant; ſi tragacantha, HARRISIO [p]) multis laudata et Opiatis neſcio an ex merito prælata, votis haud reſpondeat; ſi ſyrupus papaveris et de meconio, quem SYDENHAMVS ab ipſo morbi inſultu per totum ejus decurſum exhibet, exoptatum levamen deneget: Opium requiri videtur. In primo morbi ſtadio ab uſu Opiatorum dehortatur MORTONVS, [q]) utut tuſſis et vigiliæ ea poſtulare videantur, cum vires ægrorum coerceant et deprimant, ſpiritubusque diſſipatis venenum augeant, atque ſic morbillos benignos in malignos commutent. Taxat etiam SYDENHAMVM, quod primis diebus ſyrupum e meconio dederit, Cl. MEAD; [r]) ſoporifera enim ſpiſſare humores, ſpiritum difficiliorem reddere et puſtularum proruptioni obſtare dicit. Contra ſyrupum de meconio nil ego moneo, nam innocentior et blandior eſt Opio, neque ob narcoſin timeri debet, quod attentius conſiderandum eſt. Vix vero eas ob rationes, quas hi clariſſimi viri allegant, Opium nocere poſſe videtur. Vires certe circulationis, quæ præ aliis, dum exanthemata ad cutim ableganda ſunt, reſpiciendæ veniunt, non deprimit et coercet, ſed excitat Opium, humoresque ſolvit, non ſpiſſat: muco narium, faucium et aſperæ arteriæ excepto; et quanquam, ſi ſpiritus jam difficilis eſt, neutiquam conveniat, puſtularum tamen exitum neutiquam retardat. Quin potius, ſi tuſſis ſymptoma urgens et urgentiſſimum lenioribus

p) *Diſſ. Med. Chir. III.*

q) *l. c. p. 28. 29.*

r) *de Variolis et morbillis c. 6. p. 76. Edit. Gotting.*

non

non auſcultans Opium flagitaverit, id, cutis perſpirationem promovendo et geneſi exanthematum favendo, acre morbilloſum ad corporis corticem feliciter determinare poſſe videtur. Quodſi vero primis diebus noxa metuenda eſt, Opium, dum tuſſi medetur, ſi ſimul valida febris ardeat, facile hanc intendere et exacerbare poteſt, tantum vero abeſt ut eam nimis coerceat. At ubi mediocri celeritate ſanguis per ſua vaſa decurrit, ea doſi veſperi captum hoc pharmacum, quæ illam non adeo multum intendere queat, tuſſim lenire et ſub placido ſomno puſtularum excluſionem pulcherrime juvare poterit. Prorſus mecum ſentire video Cel. YOUNG. *) Scilicet tuſſis ſiccæ perpetua irritatione adfligentis, inſeparabilis a morbillis ſymptomatis, incomparabile remedium Opium eſſe affirmat, licet palliativum tantum ſit, quale etiam ſaltem deſiderari queat, cum tuſſis antea tolli nequeat quam finito morbo. Interim tamen eam omnino leniendam eſſe monet, neque alia ad hunc finem remedia adhiberi poſſe, quam VSem, veſicantia et Opium. Vidit YOUNGIVS interdum ægros immani tuſſi concuſſos ita debilitari, ut prodeuntes maculæ ante juſtum tempus palleſcerent, et vi morbi natura cedere videretur, eoque in caſu unam doſin Opii per horæ decurſum omnia in melius mutaſſe affirmat. Verum cautus addit: licet autem Opium ſub his circumſtantiis a ſolo concuſſu pendentibus optimum ſit remedium, tamen ſi æger fuerit plethoricus; ſi minax febris urgeat; aut Opium jam ſine effectu ſperato fuerit exhibitum: id valde noxium erit. Quare ſi modica doſis ſine fructu fuerit propinata, majori tuſſim impugnare non amplius audet, ſed ſtatim ad venæſectionem et veſicantia confugit, ut nempe inflammationem in pectore præpediat, quam largior doſis tum ingeneraret, quando ſumma cura avertenda et præoccupanda eſt. Quouſque febris durat, ea quæ hanc imminuunt, optima eſſe pectoralia affirmat. Profuiſſe tamen etiam viſum eſt Opium, febre licet ſat gravi, ſi tuſ-

*) *cap. 30.*

tuſſis gravior id flagitaverit. De nutrice filii ſui recenſet RIVERIVS, [s]) quod correpta fuerit morbillis cum febre intenſa, accedente ſymptomate graviſſimo, fluxione tenui in pulmones, quæ tuſſim frequenter excitabat et ſuffocationis metum incutiebat. Admotum eſt veſicatorium cervici et exhibita ſunt laudani grana duo, cum conſerva roſarum. Fluxio cohibita eſt tota nocte, poſtridie rediit, et iterum exhibitum eſt laudanum cum ſimili effectu, unde poſt paucos dies convaluit. Sane ſi ægræ huic miſſus fuiſſet ſanguis, et ob intenſam febrem et ob ſuffocationis metum, adhuc ſecurius tuſſi opponi potuiſſet Opium, vi febris per VSem fracta et pulmonibus ab onere utcunque liberatis; pulchre quippe ſemper, ſi Opio indicato febris acuta contraindicat, uſui hujus remedii phlebotome præmittitur, quod YOUNGIVS facere ſolitus eſt. Celeb. ROSEN *) in primo et ſecundo ſtadio ne quidem ſyr. diacodii ſed alia tantum lenientia commendat. Poſtquam autem morbillis in omni habitu corporis ſtabilem ſedem nactis febris ceſſavit, ſine ullo timore per totum morbi decurſum urgenti tuſſi æqua doſis Opii opponi poteſt, utpote nil habentis, quod illum turbaret, modo peripneumonica febris abſit. Atque ſi inclinante omni ægritudine et maculis prorſus diſparentibus tuſſis remanet et in habitum degenerat, omni ope allaborandum eſt, ut ejus graviores ſequelæ præpediantur idoneis remediis, quæ inter Opium non ultimum hercle locum ſibi vindicat. Illud licet a curatione in principio fere abeſſe velit MEAD, [t]) ut antea notavi, tamen quia reſtitans tuſſis, ab acri pituita pulmones infeſtante oriunda, febrem lentam et phthiſin minatur, opus eſſe dicit, ut anodynis compeſcatur, interpoſita debitis intervallis lenia cathartica, lac aſininum et cœli mutationem, motumque corporis ſimul laudans. Phthiſin pulmonalem a prægreſſis morbillis data opera deſcripſit MORTONVS; [u]) quomodo vero ferina tuſſis poſt morbillos ad illam prona via ducens ſananda ſit, alio

loco

s) *Cent. II. obſ. 45.*

*) *Kinderkrankheiten p. 301. ſeq.*

t) *l. c. p. 76.*

u) *Phtiſiol. lib. III. c. 12.*

loco docuit.[x]) Sollicite ibi aliis remediis, VSe, cathartícis, lenientibus mucilaginoſis et cortice peruviano commendatis, ſuadet, ut veſperi laudanum liquidum, pilulæ de ſtyrace et de cynogloſſa in ſubſidium vocentur, ad ætatem ægri reſpiciendo, donec minoratio tuſſis ſequatur. In fine morbi etiam YOUNGIUS, ſi periculum ægro immineat tuſſisque ſit vehementior, Opium, non autem aliter concedit, niſi VSe præmiſſa, lac aſininum ſimul commendans. Me quandoque ſine miſſo ſanguine ſero lactis, lacte cum aquis ſelteranis, manna et pilulis ex extracto corticis, adjecto leni Opiato veſpertino, ut aliquoties aliis ægris, ita præcipue puellæ teneriori ad incitas redactæ, multum profuiſſe, non ſine voluptate recordor.

x) *Exercit. III. c. 4. p. 38 edit. Amſtelod.*

Frequens quoque ſatis morbillorum ſymptoma eſt *diarrhœa*, cui non minus pulchre ſæpe medetur Opium. Notavit Cl. RIDLINUS[y]) diarrhœam morbillos antecedentem, quam deſinentem immediate maculæ exceperunt vix per integrum biduum ſedem in cute figentes, puella cito cum ſanitate in gratiam redeunte, quod quidem ob bonam partem morbilloſæ materiæ, alias ad cutim deponi ſolitæ, alvino fluxu mature evacuatæ, factum dicit, confirmarique hac obſervatione affirmat, quod, modo abſit malignitas in morbillis, etiam purgantia in principio non ſemper absque fructu adhibeantur. Imo vero Cel. ROSEN,*) Anglos allegans, neceſſarium eſſe pro feliciore curatione affirmat, ut in primo ſtadio æger lene emeticum vel purgans aſſumat. Quodſi enim, antequam erumpant morbilli, mature primæ viæ repurgatæ fuerint, multa incommoda per totum morbi decurſum alioquin obortura præverti, illamque diarrhœam, quæ communiter die octavo evenit, moderatam et ſalubrem futuram dicit. Quin et ſi ſponte ſua in principio diarrhœa adfuerit, lene laxans rhabarbarinum ſumendum eſſe inculcat. Atque per alvum morbi mineram ex parte proſcribi poſſe, ſine dubio etiam credidit Cl. MEAD,[z]) quia diætam

y) *Lin. med. Ao. VI. Iul. obſ. 9.*

*) *Kinderkrankheiten p. 297.*

z) *libro de variolis et morbillis c. VI. p. 75.*

diætam talem eſſe debere imperat, ut ſoluta magis quam adſtricta toto morbi tempore perſtet alvus. Prorſus in eadem ſententia verſatus eſt HOFFMANNVS,[a]) qui adeo ſub morbo enatam diarrhœam non facile compeſcendam eſſe pronunciat, cum ſæpe morbum ſolvat et multas ſordes ſimul educat, quare et demulcentia ſaltem et terrea atque caſcarillæ corticem commendat. Puto tamen illuſtrem virum ſaltem loqui de alvi libertate per omnem morbum utili et bona, ſi limites non excedat, aut de diarrhœa verſus morbi finem ſine turbis eveniente, quo tempore demum locum habet ejus ſolutio. Quodſi enim aliquando, ut experientia me docuit, et *Miſcellanea Natur. Curioſ. loco allegato* teſtantur, ad lethalia ſigna diarrhœa referenda eſt, quando nempe tempore et copia incongruis adfligit, fræno omnino opus erit, quod omnium maxime Opium ſuppeditat; idque ſine dubio probe perſpexit HOFFMANNVS, quando et loco caſcarillæ theriacam cœleſtem permiſit. Quivis rerum gnarus ultro debet concedere, diarrhœam in primo morbi ſtadio ingruentem, atque eouſque invaleſcentem, ut motum a centro corporis ad peripheriam, quo acre morbilloſum ad cutim ablegandum eſt, penitus invertat, viresque expellentes emungat et peſſundet, contrariari omnino ordinario et felici morbi decurſui, dum ita hoſtis intus detinetur et membranis inteſtinorum, ad quas decubitu humorum continuo invitatur, pertinax inſidet, diatheſin inflammatoriam ipſis illaturus. Eapropter rectiſſime MORTONVS[b]) hoc tempore diarrhœam ſemper ſymptomaticam habendam eſſe aſſeverat; eamque contumaciorem, ac regimine omnibusque aliis remediis inſuperabilem, extrema neceſſitate urgente Opio, quod unicum aſylum dicit, ſopiendam ſuadet, quanquam non neget febrem illud augere, monitumque eapropter addat, non præter rem ad id accedendum eſſe. Ultro autem ſic apparet, ſi diarrhœa largior naſci jam incipientia in cute exanthemata retrotrahat, febrisque aliquale augmen-

a) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. cap. de morbillis p. 190.*

b) *l. c. p. 31. 33.*

mentum ab Opii uſu expectandum nil mali illaturum fore credibile ſit, tanto magis id indicari, cum profluvium alvi non ſaltem componat, ſed et a centro ad peripheriam humores moveat, ac perſpirationi faveat, tantoque ſecurius tum poſſe præberi.

Hæc de primo morbi ſtadio; verum et in ſecundo aliquando diarrhœa morbo jungi ſolet, quæ ſi vires non emungat, neque diſparere in cute morbillos faciat, pulſu ſatis forti perſeverante, datis demulcentibus et vel ſolius tuſſis reſpectu leni paregorico veſpertino exhibito, intra debitos cancellos ſeſe facile coerceri patietur. At ubi hos exceſſerit, parem urgenti fluxui doſin Opii mature exhibere conveniet. Ill. ROSEN,*) in ſecundo ſtadio diarrhœam, ſi tuſſis minuatur, oculorum ſerenitas redeat, vires ægri increſcant, minime ſiſtendam eſſe monet, cum ſalutem adferat. Quodſi vero torminibus ſtipata perduret, rhabarbaro exhibito, ad varia demulcentia et tandem rebus urgentibus ad Opium veniendum eſſe, præcipit. Ita ſeſe geſſit Cl. RIDLEY, c) vocatus ad puerum, qui a principio morbi indies ad triduum vigeſies et ſæpius jam dejecerat. Cum die quarto maculæ apparerent, ſed exiguæ, manente adhuc alvi fluxu, parentibusque de vita nati ſui actum eſſe credentibus, noluit equidem illum penitus ſiſtere, ne pabulum febrili fermento venenoſo humoribus inſidenti copioſius adminiſtraret; credens tamen, ſi non ſiſteretur, ob virium defectum naturam critice excludendæ materiæ per cutim imparem futuram, media via tutiſſimus inceſſurus frænum profuſo nimis fluori injecit diaſcordio. Statim hinc alvus remiſſius ter vel quater intra 24 horas ſoluta eſt, maculæ eminentiores redditæ ſunt, febris mitior facta, dataque ad tuſſim placandam theriaca, quæ et excretionem alvi moderari apta erat, ut quotidie tres vel quatuor ſedes haberet æger puſio; ac evaneſcentibus die 7 puſtulis et maculis, ſanitas plenaria redibat. Multum quoque rebus ita conſtitutis Opio

*) p. 305.

c) *Obſerv. Med. Pract. XI.*

 tri-

tribuit MORTONVS, cujus veſtigia aliquoties cum fructu ægrorum meorum preſſi. Is ob uſum Opii intermiſſum multos e vivis auferri profeſſus, ſe vero tempeſtiva et liberali ejus adhibitione plurimos orci faucibus eripuiſſe aſſerens, ad fluxum alvinum enormem aliquando compeſcendum, ægrumque in ſummum virium collapſum ad deliquium uſque adactum in vivis ſervandum, non minus tutum, quam neceſſarium, eſſe uſum Opiatorum contendit, modo non adſit ſtrangulatio præfocativa, quam in hoc caſu funeſtiſſimam eſſe et uſum Opii non admittere dicit. d) Sed inter hanc ſcyllam et charybdim ego aliquando medius hæſi, timuique mirum quantum, ne unam vitare moliens inciderem in alteram. Quinto morbi die iterum petebat a me triſtis nuncius, ut comitiſſæ illi, cujus in hoc §o jam mentionem feci, in prædio ſuo uno et dimidio milliari Vratiſlavia diſtante commoranti, perniciſſimis equis curru vehendus in auxilium advolarem. Inveni eam anxiam valdeque difficulter reſpirantem, dejectionibus numeroſiſſimis ſumme debilitatam, atque cum adſtante marito et accito theologo de vita ſervanda deſperantem, pulſu debili quidem, ſed celerrime micante. Rebus ſerio penſitatis vere neſciebam, an peripnevmonica pulmonum affectio an inteſtinorum lævitas primam opem ſibi depoſceret, neque videbam, quo generoſo remedio unum ex his malis ita poſſit impugnari, ut alterum non juvaret. Expertus eram antea in mercatoris 18 annorum filia præſtantiam moniti MORTONIANI, e) quod SYDENHAMVS f) ad tenerrimos adeo infantes extendit, ſi poſt effloreſcentiam inceptam et vigente ea anginoſa adſit deglutitio, et reſpiratio anheloſa cum ſtrangulatione ſuffocativa eveniat, ſanguinem largius mittendum eſſe, ac ſi æger morbillis correptus non fuiſſet, ob præſentem faucium et pulmonum inflammationem, ſicque ægros ex orco retrahi aliter perituros. Non poterat ergo non mihi in mentem venire VS., ſed obſtare ipſi videbantur vires ob liquidiſſima

d) *Exercit. III. cap. IV. p. 35.*

e) *l. c. p. 34. 35.*

f) *p. 247.*

ma ſanguinis magna copia deperdita admodum dejectæ. Diarrhœa adhibitionem Opii quantocyus flagitabat, eo vero ex actionis ſuæ phyſicæ neceſſitate reſpirandi difficultatem pejorem evaſuram clarum erat, neque febri et inflammationi conveniebat ipſius uſus. In perplexo igitur hoc rerum ſtatu emulſiones et lac tepidum affatim ſumendum ſuadebam, ut exhauſtum humorum penum inſtaurarem, ut acre morbilloſum demulcerem et ſtagnans in pulmone attenuarem. Deinde balneum pulmonicum ex hydrogala jugiter in uſum vocandum præcipiebam, atque Opiata parvulis et repetitis doſibus accipienda præſcribebam. Atque his remediis, quæ Dei erat gratia ægra, a binis minacibus malis felix liberabatur.

Remanet vero etiam aliquando poſt morbillos jam ſuperatos diarrhœa, eaque interdum contumax, quæ non minus ægre ſine Opio ſanatur. Puerulum habet RIDLINVS [g]) morbillis affectum, quos diarrhœa antecedebat et comitabatur, tandem vero et excipiebat pertinax, donec, aſſumtis omnibus immutatis per alvum exeuntibus, penitus exhauſtus ſuccumberet, adſtringentibus exhibitis nil juvantibus. Conſului ego ſimilibus in caſibus lac cum ovorum vitellis, vel cum oryza hordeoque coctum, demulcendi et incraſſandi fine, laudanumque ad paucas guttulas veſperi puſionibus dedi cum fructu; memini quoque, iis lac cum floribus balauſt. coctum cum vel ſine tantillo Opii profuiſſe. SYDENHAMVS [h]) diarrhœam morbillos ſubſequentem VSe ſanari ſcribit, cum ab halitibus inflammati ſanguinis in inteſtina ruentibus oriatur; deſinente morbo ſanguinis detractione humorum in inteſtina defluxum avertendum eſſe, etiam præcipit MEAD. [i]) Horum conſiliorum vim nondum expertus monitorum interim Cl. MORTONI [k]) valorem didici, qui a catharticis dehortans colliquativum hunc fluxum Opiatis et adſtringentibus, rheo toſto, diaſcordio, cortice peruviano cum Opio, abſorbentibusque ſanabilem eſſe aſſerit; quod

g) *Lin. Med. Ao. VI. Maj. obſ. 26.*

h) *p. 248.*

i) *de variol. et morbillis c. VI. p. 74.*

k) *Exerc. III. Cap. IV. p. 39.*

quod tanto felicius me judice ſuccedit, ſi diæta acri oppoſita, blandiſſima et demulcentiſſima his remediis jungatur.

§. XX.

Peſtis, cui ab omni ævo theriacalia et Opiata alia fuere oppoſita.

A variolis et morbillis pedem promoveo ad febres, ut vulgari practica appellatione vocantur malignas, non minus ſui generis excretionibus cutaneis ſtipatas. Harum cauſa cum antiquitus jam poſita fuerit in veneno ſubtiliſſimo, craſin omnem naturalem humorum deſtruente cordique et nervis infenſiſſimo, eaque propter ſubito ſæpe hominem trucidante, ipſa jam vetuſtas ea remedia iis curandis deſtinari debere cenſuit, quæ venenis adverſari obſervata fuerant. Dum communem curationem in omnes ictus virulentos tradit DIOSCORIDES, inter alia Opium, myrrham et piper melle excepta et inſtar ægyptiæ fabæ in vino data, mirum remedium haberi dicit; [a]) deinde ſpeciatim morſis a baſiliſco poſt caſtoreum τὸν τῆς μήκωνος ὀπὸν commendat; [b]) ejusque veſtigiis incedentes Græci et Arabes, Opium, ſi non ſemper ſolum, ictubus animalium oppoſuerunt, tamen id aliis admiſtum pro venenis enervandis, quibus illa homines infecerant, in uſum vocarunt. Adhibita vero ejusmodi compoſita alexipharmaca jam priſco tempore fuerunt et ad alia venena ex aere, vel aliunde, quomodocunque corpus ingreſſa efficaciter infringenda, ac ſudoris præcipue beneficio a corde avertenda et per corporis corticem in auras abigenda. Cumque ad unam fere omnes tales antidoti ab antiquis medicis congeſtæ in ſinu ſuo gerant Opium, ejus præcipue virtute ſudoribus movendis pares ſunt, ſine eo eosdem aut plane non aut multo ſegnius moturæ. Factum igitur eſt, ut licet Opio ſoli parum fiderent antiquiores medici, tamen illud in compoſitis pharmacis aliis remediis, quæ ea conſtituebant, ſociatum, magnam virtutem malignas febres ſanandi cuſtodire ſtatueretur per multa ſecula, hæcque methodus ad ſeram poſteritatem et noſtrum ævum propagaretur. Exſtiterunt vero recentiori tempeſtate multi clari viri, qui

a) *de Medicinali materia lib. VI. c. 30.*

b) *lib. VI. c. 40. in fine.*

qui omnem vim alexipharmacam, antidotis variis Opio impraegnatis tributam, non niſi ſoli Opio tribuendam eſſe declararunt. Omnes confectiones opiatas tantopere celebratas, theriacam, mithridatium, philonium nullos effectus manifeſte juvantes edituras fore, aſſerit BONTIVS,[c]) niſi Opio tanquam baſi ſuffultae eſſent; animamque omnibus antidotis auferri, ſi Opium auferatur, teſtatur GESNERVS.[d]) Atque ſi aliquid ſingulare praeſtat in ipſa peſte theriaca, id potius ratione Opii evenire dicit ZWELFERVS,[e]) quam ratione inſignis ejus virtutis alexipharmacae. Hanc vero, meo quidem judicio, inter abſurda compoſita remedia merito ſuo eminentem locum occupantem opiatam theriacam, in qua magnum inventoris ingenium et praerogativas eximias prae aliis notis compoſitionibus, quicquid dicat Celeb. SCHVLZIVS,[f]) invenire nequeo, cum bonus ANDROMACHVS veras vires ſimplicium egregie ignoraret, prorſusque impar eſſet rationali compoſito inveniendo; hanc inquam theriacam, ex quo inventa eſt, per omnia ſecula ad noſtrum aevum innumerabilibus et ſummis elogiis a medicis pro praecavenda et abigenda peſte affici, ubique notum eſt. Inter veteres jam GALENVS,[g]) vel quicunque autor fuerit libri *de Theriaca ad Piſonem*, eam ſolam in peſtilenti conſtitutione languentibus poſſe ſuccurrere ſcribit, cum nullum aliud praeſidium tam magno malo, ac ipſa, reſiſtere valeat, apud ſanos non permittens, ut peſtilentia capiantur, aegros autem ſanans et non ſinens, ut corporis temperatura corrumpatur. Easdem pene laudes theriacae apud AETIVM, PAVLVMque AEGINETAM et alios, apud quos ſumma GALENI erat exiſtimatio, ut vel dubitare de ejus placitis ipſis religio eſſet, legere harum rerum ſtudioſus poteſt. Neotericorum ſimilia docentium parvum catalogum habet WEDELIVS,[h]) GIESELERVM *de peſte Brunſuicenſi* Opiata varia, RESINGIVM *in Idea Loimode* Opium cum alexipharmacis, RONDELETIVM, PLATERVM,

c) *Med. Ind. in notis ad Garciam ab Orta c. 4.*

d) *lib. I. Epiſt. p. 45.*

e) *in Animadv. ad Pharmac. Aug. p. 409.*

f) *In ſpraelectionibus de viribus et uſu medicamentorum officinalium p. 372.*

g) *cap. 16.*

h) *Opiol. p. 100. 101.*

ANGELVM SALAM, MINDERERVM diverſas compoſitiones opiatas cum theriaca laudantes. Sed longe plures nominandi reſtant. FRACASTORIVS diaſcordium ſuum præcipue deſtinavit morbis contagioſis et malignis ipſique peſtilentiæ. HOLLERIVS libello *de peſte* theriacam et mithridatium nullis aliis remediis cedere dicit; BARBETTE tractatu *de peſte* mirum quantum laudat theriacam et diaſcordium, quod et in *Obſervationibus de peſte* facit THONERVS, et in *Conſilio de peſte* TIMAEVS; cœleſtisque ſuæ theriacæ omnino etiam effectus cœleſtes et divinos; contra omnia cujuscunque generis venena et affectus peſtiferos deploratos et incurabiles, deprædicare debuit Joſephus QVERCETANVS. Vix opus eſſe credo, ut plures autores nominem. Unum ſaltem adhuc mihi adducere liceat inter Loimiatros potiores memorandum, Isbrandum de DIEMERBROECK. [i]) Hic theriacam et mithridatium duo nobiliſſima et antiquiſſima antidota per ſecula plus præſtitiſſe affirmat, quam innumera alia magnis titulis decantata alexipharmaca. Tacere deinde jubet illos omnes, qui celeberrimi ac divini hujus medicamenti uſum frivolis et diſtortis argumentis ex praxi exterminare nituntur. Neque ignotum eſſe puto, quantum in peſtis ſanatione theriacæ dederit SYDENHAMVS. Moverunt forte tot celebrium alioquin virorum auctoritates integerrimum HOFFMANNVM, [k]) licet parcum alibi Opiatorum encomiaſten, ut dederit, non in totum negari poſſe, theriacam aliaque alexipharmaca opiata in certis malignis et venenatis morbis quandoque locum invenire poſſe, temerariumque fore aſſeruerit, ſi aliquis experientiam per tot ſecula penitus vellet pernegare. Magnas quoque doſes theriacæ exhibendæ placuiſſe quibusdam, ex Olai BORRICHII [l]) recenſione conſtare poteſt, qui nihil ſibi ſecurius obſervatum fuiſſe in peſte, quæ Haffniæ An. 1654 ferociſſime incubuit, inquit, ſola theriaca, ſed liberalius non improvide tamen propinata. Plures enectos di-

i) *de Peſte lib. III. c. V. p. 150.*

k) *Diſſ. de Correct. Opii §. 12.*

l) *Diſſ. de ſomno et ſomniferis §. 32.*

dicit, qui drachmam unam hauſerant, etiam ſubinde duas nil opis effeciſſe, inque adultis nonnunquam ad tres adſcendendum fuiſſe, non ſine periculo quidem, minus tamen, quam malum ipſum, periculoſo. Sed plane enormis doſis eſt, quæ referente Cl. ERNDELIO [m]) peſtilentiali febre carbunculis et bubonibus ſtipata decumbenti porrecta fuit. Drachmas ſex diaſcordii, cum drachmis tribus theriacæ, et ſalis volat. CC. drachma dimidia, camphoræque ſcrupulo dimidio, addito aceto bezoardico et aqua conveniente pro tribus præbiis intra ſex horas aſſumſit, et quod mirum optato cum ſucceſſu, imo vero quod magis mirum delirio, quo antea laborabat, ceſſante. Verum enim vero quamvis per ea, quæ retuli hactenus, univerſalis videri debeat in collaudanda theriaca medicorum conſenſus, tamen recentiori ævo aliter de ea et analogis ipſi remediis ſentiri cœptum eſt. Ipſe Celeb. HOFFMANNVS, quanquam loco modo allegato contraniti immani ſtrepitui pro theriaca militantium auſus non fuerit, tamen alibi de peſte ex inſtituto agens, [n]) alexipharmacis calidis, theriaca quoque et mithridatio nihil pernicioſius eſſe, declarat. Atque inter alios Cl. SCHREIBERVS [o]) alexipharmaca et ſudorifera ſtimulantia in nullis febribus malignis bona, in peſte vero malignitate omnes anteeunte, eo pejora eſſe pronunciat.

m) *Eph. N. C. Cent. VI. obſ. 30.*

n) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. Sect. I. c. 12. p. 296.*

o) *in Obſerv. de Peſtilentia. Petrop. ao. 1750. p. 15.*

§. XXI.

quo jure inquiritur,

Meum nunc erit, ut accuratius Opii et Opiatorum uſum in peſte, ex methodi hactenus obſervatæ legibus expendam. Non me latet, eousque fiduciæ in opiatam theriacam et diaſcordium proceſſiſſe bonos viros, ut in iis verum miaſmatis peſtilentialis antidotum, ejus energiam directe oppugnans et enervans, repoſitum crediderint, quod tamen nemo facile renuentibus probaturus eſt, nemoque rerum gnarus ſibi ipſi perſuaſum tenebit. Oſtendit ipſa peſtis natura cum omnibus ejus effectubus, demonſtraruntque poſt alios multos DIEMERBROECK, [a]) HODGES, [b]) HOFFMANNVS,

a) *Tr. de peſte.*

b) *in Loimologia.*

NVS,[c]) MEAD,[d]) HUXHAM[e]) et SCHREIBER,[f]) ſeminium peſtilens per aera diſperſum et ex oriente, patria ſua, ſemper emanans, quando reliquam Europam pervadit, eſſe tenuiſſimum, fracidiſſimum alcali, quod ſubito craſin naturalem ſanguinis diſſolvit et deſtruit, illumque ad phlogoſes et gangrænas peſſimas efficiundas diſponit, unde et velociſſima cadaverum putredo emergit. Nil vero reperitur in Opio, nil ineſt acri et aromaticæ farragini omni theriacam conficienti, quod veneno peſtilenti ita comparato vere contrarietur; peculiare potius, ut verba SYDENHAMI[g]) mea faciam, peſtis remedium, propriumque ipſius perniciei alexiterium, adhuc in naturæ ſinu abditum deliteſcit. Atque vere, optima antiloimica, ſi rite conſiderentur, effectubus quidem miaſmatis, non æque ingenio ipſius miaſmatis, adverſantur. Cumque præterea, rectiſſime monente SCHREIBERO, ut cætera contagioſa miaſmata, ita et peſtilentiale ſit per vires corporis immutabile, clariſſime patet, artifici eo unice allaborandum eſſe, ut humoribus corporis receptum quantocyus eliminetur. Taceo hic vomitoriorum mature exhibitorum præſtantiam, quamdiu nempe id recens hauſtum in ventriculo ſtabulatur, cum oceanum ſanguinis jam ingreſſum, et cum ejus undis volutum per totum corpus, præcipue loquar. Ex omni ergo humorum penu, cui inhæret, ut ejiciatur feliciter, facile perſpicitur, vim vitæ omnia effecturam, eandemque proinde ita dirigendam fore a medico, ut nec excedat nimis, nec torpeat, adeoque moderamen juſtum circuitus liquidorum regimenque conveniens id præſtiturum, ut verſus excretoria corporis jam miſtum ſanguini miaſma peſtilens ablegetur. Non ergo pro hoc fine impetrando eadem remedia ſemper adhiberi poterunt; namque pro re nata, quando febris manifeſta adeſt, circulum refrænantibus et refrigerantibus, quando autem, ut HIPPOCRATES *Lib. III. Epid.* jam obſervavit, λοιμὸς ἄνευ πυρετȣ̃ deprehenditur, circulum incitantibus et calefacientibus opus erit:

c) *Diſſ. de Origine et Natura peſtis.*

d) *Diſſ. de peſte.*

e) *de febribus c. V. et VIII.*

f) *in obſervationibus et cogitatis de peſtilentia.*

g) *p. 139.*

erit: adeoque promiſcue haud prodeſſe poterit circulum incitans Opium et theriaca, ſed et hæc cum illo non raro nocentiſſima eſſe deprehendetur. Dum interim omnes loimiatri ſaltem prodeſſe voluerunt ægris ſuis, dolendum eſt plerosque eorum arduum hoc momentum haud intellexiſſe, ſed potius peſtilentibus ſuis alexipharmacis, bezoardicis et theriacalibus calidis minus opportune exhibitis, multos, quos peſtis haud abſumſiſſet, quod turpe quidem dictu eſt ſed verum tamen, trucidaſſe. Etenim quam infames et exitiales fuerint talium effectus, ex ſolo HILDANO [h]) diſci poteſt, qui in peſte Bernenſi eadem multis et omnibus ægris obfuiſſe ſcribit. Ita quoque THONERVS memorat, cum Ulmæ graſſaretur peſtis complures ad orcum mittens, facta magiſtratus juſſu inquiſitione methodi, aquas calidiores alexiterias frequenter in uſum vocatas in culpa fuiſſe conſtitit, quibus abdicatis feliciorem curam ſucceſſiſſe, ut plerique evaſerint. [i]) Sane ſi exceſſus febrilis in peſte neceſſarium moderamen, languentisque circuli neceſſarium incitamentum, accuratius perſpexiſſent multi cœteroquin clari viri, melius etiam inter ſe conveniſſent de adminiſtranda peſtilentia adfectis VSe, quam cum DIEMERBROECKIO, [k]) FERNELIO, PLATERO, MINDERERO et HILDANO multi horrent, alii cum FORESTO, LVDOVICO MERCATO, LVDOVICO SEPTALIO, FONSECA, MERCVRIALI, LANGIO, SYDENHAMO, cum fructu adhibuerunt; de quo diſſenſu SCHVLZIVS [l]) legi meretur, plethoricis, pulſuque pleno et forti pollentibus, eam valde ſalubrem eſſe declarans. Atque ita prorſus cum alexipharmacis calidioribus et Opio refertis compoſitionibus comparatum eſt, quarum adhibitionem ſalubrem et noxiam circuli vitalis celeritas et tarditas, plenitudo et parvitas, unice definit. Multum certe favet theriacæ DIEMERBROECKIVS, ejusque uſum contra contemtorem GVIDONEM PATINVM acriter defendit, nihilominus tamen limites juſtos

h) *Cent. VI. obſ. 29.*

i) *Lip. I. Append. Obſ. I.*

k) *de Peſte lib. III. c. 3.*

l) *de VSe in peſtilentia.*

ſtos illi ponit, atque egregie illos ſtabilire annititur. *Si medicus*, inquit,[m]) *magnum videat eſſe febris ardorem, prudenter abſtinet a tam calido remedio et utitur alio frigidiore; ſi febrilis autem calor parvus aut mediocris ſit, exhibet theriacam cum aceto, ſucco citri, qui calorem ejus infringere valeat. Tali modo gloriari poſſum me multos ægros ex cymba Charontis retraxiſſe, ſi modo theriacam nimius febrilis ardor non prohiberet. Præterea cum peſtis ſine febre eſt, quid tum quæſo vetat uſum theriacæ ob caliditatem? Multos vidi peſtiferos non febricitantes, et ego ipſemet tempore crudeliſſimo noſtræ peſtis magnum carbunculum peſtilentem habui ſine ulla febre, in qualibus caſibus theriaca ſemper uſus ſum, etiam æſtivo tempore. Expertus hæc ſcribo. Magnus mihi apertus fuit variis annis campus peſtis myſteria perſcrutandi, quæ alii ne quidem e longinquo videre auſi fuerunt, qui tamen ſæpe nimis faciles ſunt in culpandis illis rebus, quæ cum inexpertis eorum ſpeculationibus non conveniunt.* Prorſus vero eadem ratione noſter SENNERTVS[n]) peſte infectum ſumere theriacam jubet, itemque elect. de ovo ac diaſcordium Fracaſtorii. Tamen theriacam, ubi febris peſti conjuncta jam corpus occupavit, caute et non niſi frigefacientibus admiſtis exhibendam vult. Itaque ubi metus eſt, ne humores et ſpiritus nimis accendantur, talia cum frigidis aquis, aut cum aceto præberi cupit. Alias, ubi non urget calor, cauſam nullam eſſe dicit, cur theriaca rejicienda ſit, cum plus commodi venenum expellendo, quam damni calorem excitando, adferat. Non minus eleganter MEAD,[o]) ſi valde acuta febris ſit, regimen frigidum adeo in variolis ſalubre, hoc loco magis etiam neceſſarium eſſe teſtatur; ſed cum pulſus languet, neque nimius æſtus eſt, adhiberi debere moderata cardiaca monet. Experientiæ quoque æque ac rationi conforme eſt, quod de peſte Maſſilienſi notarunt clariſſimi quidam medici:[p]) Alexipharmaca tunc ſaltem bene ſeſe gerere, quando nulla ſitis nullusque calor adfuit, facies-

m) *lib. III. c. 5. p. 152.*

n) *de febribus p. 467. 468.*

o) *Diſſ. de Peſte Cap. III. p. 103. 104.*

p) *Vide has epiſtolas ex gallico idiomate adjecto in vernaculam linguam verſas a Cl. noſtro Kanoldo p. 13. 17.*

ciesque pallida et pulſus debilis exſtitit, adeoque quando opus fuit, ut languens et lento gradu provolutum vitale flumen arte incitaretur. Certe in tali caſu cor et vaſa ſtimulantibus omnino opus eſt. Mirum quantum ergo fallitur WILLISIVS,[q]) *in peſte*, inquiens, *donec pulſus et reſpiratio vigent*, *theriaca*, *mithridatium et diaſcordium*, *imo et laudanum ſæpe cum fructu exhibentur*; *attamen quando in his febribus functio vitalis languet*, *antidotis his concelebratis parce admodum*, *fortioribus vero Opiatis non omnino utendum erit: nam ubi ſanguis inſigniter depravatus perpaucos ſaltem ſpiritus et debiles ſuppeditat*, *narcotica fere ſemper malefica et quaſi venena ſunt.* Clarum eſt, WILLISIVM hæc ita eloqui ex errore ſibi proprio, quaſi Opium naturali ſua vi pulſum retardaret, unde neceſſario, valde jam languente eo, ex recepta hypotheſi prorſus abeſſe illud jubere debuit. Verum licet ſolius circuli intuitu a languore ejus magis omnino permittatur Opium, quam ab exceſſu, tamen viribus omnibus reliquis motricibus in corpore a miaſmate putredinem ſubito inferente prorſus dejectis, ne pereant prorſus, alia cardiaca, cum cordis viribus reliquas in corpore omnes excitare apta, Opio et Opiatis ſummo jure debebunt præferri. Atque hæc omnino in peſte ſæpe indicatiſſima ſunt, meritoque hoc reſpectu, ſervata tanto nomini debita reverentia, SYDENHAMVM[r]) notat HUXHAM, ſi non omnes febres et ipſam peſtem unice tanquam morbos inflammatorios, ab exceſſu circuli oriundos, tractaſſet, dogmata ejus et præcepta in medendo univerſalius vera et prorſus imitatione digna futura fuiſſe, affirmans. At vero quando tamen ſæpe vere peſtilens febris eſt inflammatoria,[s]) impetumque vehementem circuli ſibi junctum habet, ac miſſus adeo e vena ſanguis pleuriticum æmulatur, non poterit non exhibitum calefaciens, rarefaciensque humores ac circulum ſanguinis incitans Opium vel ſolum, vel in theriaca, augere calorem et anxietatem, pro-

mo-

q) *Pharmaceut. Rat. Part. I. Sect. VII. c. 2. p. 190.*

r) *de Febribus* Cap. *VIII.*

s) *vide Sydenh. p. 134, ſeq.*

movere diſſolutionem putridam liquidorum, accerſere deliria, excludere fatales petechias, cum quibus vix ullus peſte affectus emergit. Nempe hæ colore lætiore indutæ notas præbent diffuſæ per corpus inflammationis, lividæ autem vel nigræ, ut optime jam notavit PECHLINVS,[t]) univerſi corporis gangrænam referunt. Aut ſaltem talia opiata pharmaca loco exoptandorum bubonum, incitato perperam circulo, longe minus exoptatos et ſecuros in variis partibus carbunculos et anthraces producunt, qui vibicibus ſtipati in peſte Roſenbergenſi paucos mortis fauces effugere ſiverunt.[u])

t) *lib. II. obſ. 18.*

u) *Ephem. Nat. Cur. Cent. I. et II. obſ. 143.*

§. XXII.

et maxime intuitu ſolutionis morbi.

Jam vero ardua et pragmatica oritur quæſtio: ſi certum eſt, circuitum humorum nec acceleratum nimis, nec torpentem nimis, cauſam eſſe unicam, qua e penetralibus corporis peſtilentiale virus excutiatur, per quam demum viam illud omnium feliciſſime eliminari ſoleat et queat? Militant ubivis et per omnia ſecula medicorum integræ cohortes pro cribro cutaneo et ſudore, atque hunc maxime ſtatim in morbi initio movendum eſſe præcipiunt. Curationis methodum tradens, qui inter loimiatros eminet, DIEMERBROECKIVS,[a]) nil habet, niſi regimen ſudoriferum et remedia ſudorifera, pro re nata etiam reiteranda; atque ita ſe gerunt innumeri auctores alii; ipſeque SYDENHAMVS, febris peſtilentialis cauſa cum tenuiſſima ſit et perquam ſubtilis, ſuffragante experientia, eam primis diebus ſudoribus difflari poſſe affirmat,[b]) theriacamque et electuarium de ovo eo fine exhibet.[c]) Largiar ego tantiſper, audax aſſertionibus innumerabilibus haud ſtatim contradicturus, neceſſitatem movendi ſudores in peſtis medela; largiar Opium eſſe ſudoriferorum remediorum ſummum: mea tamen faciam, quæ omnia alexipharmaca cum theriaca et mithridatio in peſte damnans ſapienter elocutus eſt HOFFMANNVS.

a) *lib. III. c. 6.*

b) *p. 285.*

c) *p. 153.*

NVS.[d]) *Perpetua hæc lex eſt,* inquit, *ſecretiones, quæ antecedunt excretionem recrementorum in corpore, melius ſub liberiori et moderatiori ad emunctoria appulſu ſuccedere, quam ubi humores impetuoſe et celeriter commoventur. Augent potius calidiora pharmaca anxietates præcordiorum, calorem intendunt, diſſolutionem humorum promovent, et miaſma quoque malignum facile et cum impetu ex ventriculo in ſanguinem ac nervoſas partes agunt, ut ſic multiplici ratione ſint detrimentoſa.* Neque hic reticere poſſum, quæ huc facientia habet Cl. SCHREIBER,[e]) non vanam ſpem eſſe concedens, ſeminium peſtilens per perſpirationem et ſudorem expelli poſſe, ſed ſapienter adjiciens: *Enim vero id efficere velle per uſum repetitum ſtimulantium ac validiſſimorum ſudoriferorum, hoc ſæpiſſime eſt falſo mittere copias auxiliatrices et opus naturæ interrumpere, id eſt efficere lethales petechias, quæ tunc tribuuntur malo medela majori, dum haud dubie id, quod telæ celluloſæ inhærens feciſſet carbunculos et bubones, nunc vi ſudoriferi adactum in cutis tenerrimas arteriolas lethales producit petechias. Namque reſoluti humores in aliena loca pulſi comprimunt, acerrimique adurunt tenerrima vaſcula pulpamque medulloſam papillarum cutanearum.* Quodſi igitur movere ſudorem in peſte expediat, ſequi omnino conveniet conſilium ſaluberrimum GVALTERI HARRIS,[f]) qui, ſi locum habent ſudorifera, non ſicca pharmacevtica ſpirituoſa, quæ flammam flammæ admoveant, ſed liquida et culinaria commendat, quæ potius copiam materiæ ſudoribus proliciendis ſupplere poſſint, quæque ob calefactionem ſuam externam, non ob calorem ſuum ingenitum, ſudores promoveant. Sane ſi quid video, multum per omnes has animadverſiones decedit laudibus alexipharmacorum, opiaticæque theriacæ, quæ, ſi febris adfuerit magna, illam intendet cum damno, calorem augebit, hæmorrhagias, ubi malignitas ſumma eſt, accedere ſolentes[g]) citius advocabit, ſtaſes humorum phlogiſticas

d) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. p. 297.*

e) *in Obſerv. de peſtilentia p. 22. conſect. 28.*

f) *de Morb. infantum p. mihi 83. 84.*

g) *vide Obſervat. et Reflexions ſur la peſte de Marſeille p. 331.*

excitabit, ventriculi viſcerumque aliorum gangrænam maturabit, quicquid obloquatur uſus tyrannus; ſi vero pulſus langueat et plurima ſtagnent, liquidiſſima humorum exprimet, magisque immeabiles eos reddet, et non minus funeſtæ necroſi occaſionem faciliorem ſuppeditabit. Multis igitur paraſangis ſudoriferam theriacam ſuperabunt diaphoretica omnia, quæ ſimul ſunt diluentia, attenuantia, antiphlogiſtica et antiſeptica. Effert ſe inter hæc indicatiſſima eoporiſton et polichreſtum acetum, per millenas experientias ſummum antiloimicum. Neque dubito ego omnibus theriacæ ſudoriferorumque aliorum fautoribus, in numeroſum exercitum coeuntibus, opponere unum ſapientiſſimum BOERHAAVIUM,[h]) qui SYLVIUM adducens unciam unam alteramque aceti ſummum in ſe ipſo prophylacticum expertum: *Sudoriferum*, inquit, *certius efficaciusve ignoramus*, *quam acetum*, *quod ſi dilutum aut merum potetur*, *quammaxime ſudores propellit*, *etiam in peſte et malignis*, *ubi alia vix reſpondent*. Atque inſignes fructus hujus remedii, Maſſilienſibus medicis magno ægrorum bono larga copia in peſte adhibiti, agnoſcunt etiam et teſtantur illi omnes, qui theriacam et diaſcordium cum aceti largiore vehiculo porrigi, aut cum HERRMANNO van der HEYDEN dum theriaca exhibetur, in diæta acetum uſurpari volunt, numero certe bene multi loimiatri. Mirum ſaltem, illos abſonum remedii intenſe calefacientis et potenter refrigerantis connubium haud introſpexiſſe, atque ſi ſudore opus eſt, eum ſine orgaſmo, ſine impetu circuli, moventis aceti prærogativas, præ acri et commovente theriaca, haud capere potuiſſe. Sane ut aceto, ita aliis pharmacis acidis ſine comitatu theriacæ ſummus ſemper honos habitus eſt. Nullam putredinem, nullam infectionem, nullam humorum depravationem eſſe profitetur MINDERERUS,[i]) quæ per acida non ſuperabilis exiſtat, vitriolicorumque adeo uſu carere non vult, ſineque iis ſe inermem ad peſtis curationem

ac-

h) *Chem. Tom. II. p. 186. edit. Lipſ.*

i) *de peſte, c. 15.*

acceſſurum affirmat. Et in hac re ſibi quoque conſentientem habet BOERHAAVIVM,[k]) acidorum foſſilium interne exhibendorum parcum alioquin encomiaſten, tamen in ſeptica prorſus conditione humorum, ubi peſtilentiale virus infeſtat, ea collaudantem. Egregie deinde annotavit HARRIS,[l]) Turcas, quibus mithridatium, theriaca, radix ſerpentariæ et alia nobis nota calida alexipharmaca penitus ignota ſunt, peſtem febrium maligniſſimam curare ſolo ſucco limonum. Huic et aceto, ſi aliquis junxerit aut ſubſtituerit Germanorum theriacam antiphlogiſticam et antiſepticam, rob ſambuci, nitrumque ac camphoram, ex quibus concinnatum electuarium in peſte Viennenſi magno cum fructu exhibitum eſt,[m]) camphoram, inquam, cui in peſte Veronenſi largiter uſurpatæ erectam in honorem ſuum et perennem memoriam rerum bene geſtarum ſtatuam debet HENISIVS, medicus Auguſtanus; atque infuſo rutæ, marrubii, ſcordii, cum regimine pro promovenda diaphoreſi uſus fuerit: habebit ſine dubio, inter hactenus cognita et deprædicata, tutiſſima et ſumma. Securus igitur alexipharmacis, calidis, ſtimulantibus, omnibus carebit, niſi forte ſumma pulſus debilitas eadem ſimul in uſum vocare juſſerit. Atque laudata omnia pharmaca omnino longe magis quadrabunt peſti ſanandæ per ſudorem, neque nocebunt unquam; dum de theriaca uſurpata plerumque illud valiturum fore credibile eſt, quod ſæpe de ægris dicit DIEMERBROECK: *copioſe ſatis ſudavit, ſed abſque levamine mortuus eſt.*

k) *Chem. Tom. I. p. 673.*

l) *de Morb. Inf. p. 89.*

m) *Hoffm. Med. Syſt. Tom. IV. p. 301.*

§. XXIII.

An ad ſolutionem ejus genuinam facit Opium?

At vero quamvis ego nil detractum huic methodo ſudoriferæ velim, ſi prudenter et in principio ſtatim ſuſcipiatur, ſumma tamen cura hic ea expendenda eſſe judico, quæ quod ſciam poſt PECHLINVM[a]) nemo medicorum majori argumentorum pondere, et conquiſitis pluribus experientiæ ſuffragiis, urſit et commonſtravit, quam Cl. noſter KANOLDVS,

a) *Obſervat. lib. II. obſ. 18.*

b) *In den Sendſchreiben einiger Medicorum von der graſſirenden Peſtilentz, im V. Sendſchreiben.*

c) *Diſſ. de VSe in peſte §. 2.*

d) *de Peſte: c. III.*

e) *Confect. 25.*

f) *Eph. Nat. Cur. Cent. I. et II. obſ. 143.*

g) *Operum p. 140.*

DVS,[b]) merito eapropter a SCHVLZIO[c]) laudatus; nempe quod ſudores et udores qua tales nullatenus, ſed potius carbunculi, abſceſſus et bubones, et hi poſteriores præcipue, ſint genuina ſpecifica et eſſentialis excretio in peſte, a qua ſalus ægrorum pendeat. Scripſerat vero jam diſertis verbis PECHLINVS: *virus ſubinde diligentiſſimam curam ſudoriferam eludere; utique ſecurius eſſe, in unum remotumque locum cogi veneni peſtilentis particulas, quam toto corpore diffundi; et in univerſum melius collectam materiam in glandulas, quam in carnes fibrasque muſculares immitti: cum venenum bubonum ſit minus acre, quam carbunculorum, hoc partes ſtatim exedat et exurat, illud lymphæ vehiculo mitigatum diutius ſine adeo præcipiti damno feratur.* Eadem ratione Cl. MEAD,[d]) cum maxime mitis morbus eſt, morbificam materiam eliminari dicit, in mollem aliquam glandulam, in exterioribus corporis ſitam, ut in inguinalem, axillarem, parotidem et maxillarem; prope quas glandulas primo modica durities, magnus calor, rubor, dolor acutus ſentiatur; atque ſi convaliturus eſt æger, hos tumores rite ſuppurare memorat, de ſudore interim tacens, quare et deinceps febrem moderamine regendam et excretiones naturales juvandas docet. Neque diſſentit ab his egregius Loimiater SCHREIBERVS,[e]) quin potius unaninem eſſe ſcriptorum omnium ſententiam urget, quod in peſte bubones interna a veneno præſervent. Sane in Sileſia mea, in peſte Roſenbergenſi, notante Cl. de HELWICH,[f]) omnes incolumes evaſerunt, in quibus natura bubones, modo plures, modo pauciores protruſit. Edocuerat idem ipſum etiam jam claris verbis SYDENHAMVS:[g]) *Naturæ*, inquiens, *in materiæ morbificæ exterminatione, ſuo more et modo, auxilium eſt ſuppeditandum, quæ in vera peſte, dum neque ſponte ſua aberrat, neque vi aliqua tranſverſim agitur, per abſceſſum aliquem negotium ſuum exequitur.* Saltem in febre peſtilenti et per diaphoreſin idem efficere eam teſtatur, tuncque

que veſtigiis ejus inſiſtendum eſſe injungit; interim tamen addit, eum, qui materiam veræ peſtis ope ſudoris amoliri ſatageret, diverſa a natura via inſiſtere, utpote quæ id per apoſtemata molitur. Fateor, magis fidit ſudoribus SYDENHAM quam abſceſſubus: 1) quia non conſtet, quibus remediis apoſtematum eruptio juvari queat, cardiacis ægrum in majorem æſtum conjecturis ac funus ejus maturaturis, ſudoribusque quamdiu hi vigent omnem illorum eruptionem præpedituris; 2) quia incerta ſit mali per bubones ſanatio, cum facile recedant; inter ſudores excretioni promovendæ deſtinatos, utpote quibus materies, quæ molem abſceſſus augere et ſuſtentare debebat, aliorſum determinetur. Sed fallitur vir ſummus in eo, quod ſudores, neceſſarios peſti ſanandæ a ſe habitos, etiam therapiæ per abſceſſus conſtanter immiſceat. Namque ſub blanda determinatione humorum ad exteriora, ſine ullo ſudore, ſi locis glanduloſis inguinum præcipue, ubi bubones prodire ſolent, ſaltem applicentur emollientia, attrahentia, topica, cucurbitulæ ſine ſcarificatione, quin veſicantia, affluxum humorum huc præcipue determinantia, juvabitur omnino natura in protrudendo bubone; et maturantibus dein ipſi applicatis ſudoribusque evitatis, ſub quibus incrementum ejus haud ſuccederet, bona ſpes ſupererit, ut hac via, quam natura affectat, ſeminium peſtilens tuto evacuetur. Etenim ut ipſe SYDENHAMUS dicit, ſi laudabili ritu tumores erumpant, ægri ſanitatem brevi recuperant, niſi malo conſilio a medicaſtris ſudare jubeantur. Hæc ſi forte probe perpendiſſet vir optimus, non contra morem ſuum ſibi adeo conſtanter ſervatum eo proceſſiſſet, ut minime ſecurum eſſe profeſſus eſſet, in exterminando hoc morbo naturæ veſtigiis inſiſtere; inque curatione poſt VSem, diaphoreſin ope theriacæ promovendam non adeo collaudaſſet, cujus difficultates quibus premitur ipſe perſpexit et agnovit, et amoliri cautelis quibusdam additis ſategit. In peſte Roſenbergenſi ſudo-

res ſine bubonibus non fuiſſe ſalutares, licet illis SYDENHAMVS multum tribuat, notavit HELWICH;[h]) atque omnia alexipharmaca poſt 24 horas fuiſſe inefficacia, obſervavit MINDERERVS: ut adeo, ſi valeat unquam methodus ſudorifera, aut diaphoretica, vel diapnoica, ſaltem in principio principii valeat. Solide et docte recentiſſimus Loimiater, qui decies legi meretur, Cl. SCHREIBER, reſolutionem benignam peſtis, ſed ſine moto ſudore, ſine bezoardicis et theriacalibus calidis, ſolo ſpecifico ſuo, mercurio dulci cum nitro antimoniato et camphora, deſuper hauſto decocto hordei tepido, equidem commendat; ſtatim vero ſimul, ſi reſolutio non ſperanda, inguinibus emplaſtrum de meliloto et camphora apponi jubet, ut materies critice citoque evacuetur per glandulas, atque carbunculorum et petechiarum ortus præpediatur. Jam quando ex dictis liquet, nullum ſudorem multoque minus acribus et calidis motum prodeſſe in peſte, aut minimum ſemper eſſe valde ancipitem, neque æque facile, ſi naturam ducem ſequi juvat, per cutem, quam per glanduloſa loca excerni peſtilentiale virus: facile intelligitur, calidum ſudoriferum Opium et omnia quibus immiſtum eſt nil boni, ſed peſſima quævis edere in peſte, quamvis aliter ſentiant medicorum millenarii. Multitudo vero errantium nullam errori veniam parit.

h) *Eph. Nat. Cur. Cent. I. et II. obſ. 143.*

an ad ſymptomata?

Neque eſt, ut aliquis exiſtimet, ſi non peſti ipſi conveniant opiata pharmaca, illa tamen levandis urgentibus ſymptomatibus convenientia fore. Infelix eſt ſententia GIESELERI,[i]) in deliriis et vigiliis efferis Opio alexipharmacis mixto locum eſſe. DIEMERBROECK[k]) e contra, qui in capitis dolore, delirio et vigiliis, medicamentis ſoporiferis per os exhibitis ſeſe nunquam ſomnum provocaſſe ſcribit, licet id RONDELETIO, PLATERO, ANGELO SALÆ, MINDERERO, familiare eſſet, naſutulum chirurgum multoties Opiatis aliisque ſoporiferis infeliciſſime uſum fuiſſe,

ſimul

i) *de Peſte Brunſuicenſi obſ. 36.*

k) *de Peſte lib. III. c. 8. p. 168. 169.*

ſimul memorat. Vomitus et ſingultus ſibi depoſcere Opium videri poterant; verum ſi in morbi principio a ſeminio peſtilente in ventriculo ſtabulante natales ducant, vomitorio mature dato, aut epoto aceto ipſius vero antidoto, melius curantur; ſique dein inflammatoriæ diatheſi ortum debeant, Opium cum acribus alexipharmacis nocentiſſimum remedium haberi debet. Atque quam male illud anxietati opponatur, conſtare poteſt ex illis, quæ in antecedentibus de anxietate, ut ſymptomate febrili, jam elocutus ſum. Hæmorrhagiæ, quas ſanguinis diſſolutio et acrimonia ſeptica ciet, quæque in peſte ſemper infauſti ominis habendæ ſunt, niſi acidis et vitriolicis præcipue cohibeantur, Opiatis nunquam auſcultabunt. Diarrhœa morbi initio eveniens adſtringentibus et ſudoriferis excipi debet, ad mentem DIEMERBROECKII; [l]) atque niſi magna febris obſtet, diaſcordium vel theriaca in auxilium vocari poſſunt. At a putredine et colliquatione humorum ortum trahens ventris profluvium erit malum immedicabile; ipſeque laudatus DIEMERBROECK annotavit, ſi in principio non ſiſtatur, poſtea eam ægros cito jugulaſſe.

l) *lib. III. c. XI.*

an ad prophylaxin? Poſtquam paucis ſymptomata peſtis contuitus ſum, agam etiam brevibus de ejus prophylaxi. Inter varia, quorum beneficio muniri corpora volunt contra ingreſſum peſtilentis miaſmatis, opiatam theriacam præcipue extollere ſolent auctores, quorum prolixum adſcribere catalogum parum intereſſet. Non neſcius uſus deprædicati talium calidorum antidotalium, emolumentum adhuc probandum reſtare dicit SYDENHAMVS; [m]) ſimulque vinum liberius ingurgitatum, aliaque fortiora præſervativa ſtatis horis dietim aſſumta, complures, qui alias ſalvi intactique veriſimiliter permanſiſſent, in hunc affectum conjeciſſe affirmat. An autem, dum hoc de largis hauſtubus vini experientia locuta eſt, non inferre inde licet et probare, Opium, quod in parca doſi idem agit in corpore ac in magna vinum, tantum ab-

m) *Operum p. 138.*

abeſt, ut prophylaxin præſtet, potius æque nocumento futurum. Sane de peſte Viennenſi agens RAMAZZINI [n]) theriacæ, cuicunque licet venenorum generi adverſari creditæ, atque ex tot medicamentis de alexiteriorum genere conflatæ, ut luxuriæ excogitatam compoſitionem PLINIVS dixerit, nil tamen pro prophylaxi tribuit; ſed unum remedium de tribus compoſitum commendat, celerem fugam a loco infecto, profectionem ad longinquas regiones, ac tardam reverſionem. Atque dubiam prophylaxin peſtis exponens Celeb. BOHN: [o]) *Theriaca, inquit, mithridatium, orvietanum, camphorata, ſimiliaque ex farragine multiplici aromaticorum volatilium ſeu calefacientium conſarcinata non omnibus æque quadrant, ita ut vix adeo inepte egerint Gedanenſes, dum, notante medico quodam illius loci in literis ad medicum Vratislavienſem conſcriptis, theriacæ divenditionem publicam interdixerunt.* Miror proinde vehementer, Cl. noſtrum de HELWICH [p]) theriacæ et diaſcordio, pro ſcopo prophylactico, laudes non detrahendas judicaſſe. Certe ſi jugiter præcipue et repetitis vicibus eum in finem adhibeatur theriaca, in celeriorem motum circulum ſanguinis abripiet, ſudoresque ciendo hominem debilitabit; dumque in ſe nil habet, quod ingreſſum miaſmatis in corpus prohibeat, quod ipſi e diametro adverſetur, ingreſſique in corpus effectus impugnet, nil aliud efficiet, quam ut morbus ingruens difficilius ab ægro ſuperetur, quam ſi theriacam antea neutiquam cepiſſet. Longe magis remedii prophylactici honores, præ Opio et theriaca, tuebitur acetum, ſtimulo peſtilentiali alcalino et ejus effectubus putridis antiſeptica ſua virtute vere oppoſitum, quod inter alios merito multis pro prophylaxi laudat Hermannus van der HEYDEN. Ipſe GIESELERVS [q]) ſupra citatus, fautor licet theriacæ, fateri coactus eſt, multos peſtem declinare ſatagentes eam in ipſa viſcera ſua traxiſſe, viribusque ex immoderato prophylacticorum calidorum uſu fractis, admiſſo hoſti reſi-

n) *Operum p. 811.*

o) *Diſſ. de Prophylaxi peſtis dubia §. 55.*

p) *Eph. N. C. l. c.*

q) *de Peſte Brunſuic. obſ. 124.*

reſiſtere amplius haud potuiſſe; alibique notat, [r]) dici vix poſſe, quam belle ſe habuerint omnes, qui præſervatoriis temperatis moderate uſi ſunt.

r) *obſ. 89.*

§. XXIV.

Febres malignæ.

A peſte tranſitum facio ad febres cæteras malignas, quæ, SYDENHAMO [a]) et aliis medicis teſtibus, non niſi gradu a peſte differunt; atque in quibus curandis, non ſecus ac in ipſa peſte, Opio et theriacæ, tum et aliis compoſitis opiatis multum dederunt clariſſimi in arte viri. Ut omnes antiquos ſuis antidotis et alexiteriis ſuperbientes taceam, atque antecedentibus §is modo memoratos auctores non iterum gratis adducam, magnum nomen inter recentiores tenens Lazarus RIVERIUS, [b]) quemadmodum in peſte alexipharmaca calida et inter ea theriacam et mithridatium ſtatim in morbi initio uſurpanda vult, ut venenata qualitas brevi hominem jugulatura cito et potenter oppugnetur, malignique vapores diſcutiantur, ita et in malignis febribus aliis, ſi magna ſit vehementia ſymptomatum, recentem theriacam propter vires Opii adhuc in ea vigentes convenire dicit. Imo vero interdum, quando uſus theriacæ non videatur idoneus, præcipue in morbi initio et augmento, laudanum opiatum ad grana duo exhibitum et alexipharmacis permiſtum multum prodeſſe aſſerit. Rationes addit bonus RIVERIUS, quia vis Opii narcotica et congelans ferventes ſpiritus cordi infenſiſſimos figit quaſi, et materiam morbificam (quæ dum eſt in fluxu, perniciosiſſima eſt,) ſiſtit, ac pene immotam eſſe jubet; unde contingat, ut natura a malignis humoribus et ſpiritibus non laceſſita, recollectis viribus, alexipharmacorum virtutem facilius ſibi applicet. Ut vero diu ante RIVERIUM jam ita ſenſerunt bene multi, ita etiam eum non pauci ſecuti ſunt, quos omnes nominaſſe nil juverit. Utramque paginam in malignis facere Opiata, ad MICHAELEM et HORSTIUM provocans, aſſerit ETTMULLERUS, [c]) atque ad anxietates tollendas et ſudores movendos egregia eſſe

a) *Operum p. 128. 129.*

b) *Pr. Med. Lib. XVII. Sect. I. c. I. p. 457.*

c) *Diſſ. de Virtute Opii diaph. Cap. II. §. 22. et C. III. §. 15.*

d) *Pharm. rat. Part. I. Sect. VII. c. I. p. 186.*

e) *Opiol. p. 97. 98. 99.*

f) *p. 116. 135. 136.*

contendit. WILLISIVS[d]) quoque particulas Opii ſanguini non venenoſas, ſed potius alexiterias exiſtere inde colligi poſſe exiſtimat, quoniam in peſte et febribus malignis laudanum ſæpe cum magno fructu exhibeatur. Dehortatur equidem fere ab Opio WEDELIVS, [e]) niſi cum alexipharmacis detur, atque in declinatione morbi; interim tamen ſub his conditionibus, et ſymptomatibus urgentibus, id etiam concedit. Laudat vero multis Opium, tanquam ſummum cordiale in malignis ac epidemicis febribus, emeticisque præfert HECQVETVS, [f]) et præcipue veſperi mediocribus doſibus dari vult, maxime ſi adſint agrypnia et cephalalgia a tenſione membranarum cerebri, pavores in ſomno, ſubſultus tendinum, taliaque mala, quæ nervos adfectos doceant.

g) *Pharmac. rat. Part. I. p. 190.*

h) *de Somno et Somniferis §. 32.*

i) *Monit. Med. circa Opii uſum p. 14. 15.*

Neque tamen ita cenſent omnes. BALLONIVS *lib. I. Conſ. 65.* infelicium effectuum exempla in malignis ab Opio exhibito oborta conſignavit. Ipſeque WILLISIVS, [g]) quem encomiaſten Opii in malignis modo adduxi, tamen theriacam, diaſcordium et mithridatium et laudanum, donec pulſus et reſpiratio vigent, ſaltem in malignis cum fructu exhiberi dicit; ſi vero functio vitalis languet, antidotis iſtis celebribus parce admodum, fortioribus vero Opiatis non omnino, utendum eſſe præcipit ex ſua ſententia, quam de Opio circulum retardante fovet; et brevi poſt *p. 192.* in febribus admodum malignis narcotica ſæpiſſime interdici ſcribit. BORRICHIVS [h]) in malignis Opium equidem concedit, ſi conſtent vires et morbus ſit in declinatione; ſed in initio, incremento et ſtatu periculoſum eſſe dicit, nec tum uſurpari vult, niſi vehementia ſymptomatum neceſſitatem imponat. Opium quippe ex formato ſibi conceptu condenſando ſanguinem malignitatem non oppugnare, ſed ſi hæc pituitæ inhæreat contumaciorem reddere, affirmat. Atque nuſpiam febres malignas tuto Opiatis curari WALDSCHMIDIVS [i]) aſſerit, rogatque per amorem Dei, ut in

febre

febre petechiali et ſimilibus morbis ab illis abſtineamus. *Quomodo quæſo*, inquit, *figentibus ſpiritus vitales et principia activa ligantibus addimus robur naturæ? Nonne manibus ligatis induciæ dantur morbo, ut eo profundius ſanguini innidulari poſſit? In excubiis potius ſtandum et ſpirituum cohortes ad pugnam incitandæ, non ad ſoporem componendæ. Neque vigiliæ tantum damnum inferent corpori, quantum tu Opiatis tuis imprudenter adhibitis.* Sed data Opera peculiarique obſervatione Opii funeſtum in febre maligna uſum exponit LENTILIVS,[k]) et ſerio ab eodem in ſimilibus morbis dehortatur. Deinde RIDLINVS[l]) obſervationem quandam, minus felicem adhibitionem Opii in febre maligna complexam, claudit his verbis: *Sæpius obſervavi, febre maligna decumbentes multos haud ita bene ferre Opium et illa medicamenta, quæ hoc ingreditur.* HOFFMANNVS[*]) vero Opium adeo facile trucidare homines dicit malignis morbis decumbentes, quia ex præconcepta ejus hypotheſi pulſum adhuc magis debilitet;[m]) hinc alibi id maximopere diſſuadet.[n]) Lego quoque in conſilio, a Cl. HAGUENOT et FIZES pro curatione febris malignæ Aquismortuis (Aiguemorte) in Languedocia inferiori graſſatæ ſuppeditato, ſobrie et parvis doſibus anodyna exhibenda eſſe, et tantum, quando pulſus vegetior, ſique ſummus aliquis adſit dolor. *Vide les Conſultations de Montpellier, Tom. II. p. 30.*

k) *Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Ao. VI. obſ. 217.*

l) *Lin. med. Ao. 1697. Menſ. Mart. Obſ. 29.*

*) *Diſſ. de Operatione Opiatorum §. 9.*

m) *Diſſ. de Correct. p. 31.*

n) *vide Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. p. 248.*

Atque ita conſtat abunde, diverſa ratione ſentire autores de uſu Opii in malignis; neque mediocriter offendere debet legentem apud HARDERVM,[o]) quod virum febre maligna decumbentem Opio ſanaverit, laudani opiati ope ſudorem cum euphoria conciliians et deliriis pertinacibus frænum ſalubre injiciens, atque in *Act. Nat. Cur.*[p]) pharmacopœum invenientem, qui matronæ cuidam in febre maligna ob cephalalgiam et delirium Opium exhibuit, a quo ſopita et extincta eſt.

o) *in Apiario obſ. 70. in ſchol.*

p) *Dec. III. Ao. V. obſ. 54.*

§. XXV.

Num illis conferant Opiata, inquiritur.

Verum ut e diametro inter ſe pugnantes ſententias omnes, quas adduxi, aliasque, quas adducere poteram, accuratiſſime dijudicemus, conſiderandum eſt, febres acutas malignas omnino contradiſtingui aliis acutis febribus, quas multum benigniores medici experiuntur, dum naturæ et arti magis obediunt, neque tot ægros, quos invadunt, neci tradere ſolent. In his benignioribus pulſus celer adeſt, ſed ſatis fortis, cum æſtu magno, ſiti urgente et reſpiratione citatiore. In illis malignis ſine ulla cauſa ſenſibili et manifeſta, ſine ulla evacuatione, ſubito adeſt ſumma virium proſtratio, pulſus interdum celerrimus quidem, ſed debilis et ſæpe debiliſſimus, ac valde inæqualis, adeoque et calor mitior, quin ſæpe artuum frigus, cum magna præcordiorum anxietate. Accedunt malignis ordinarie exanthemata, talesque febres epidemice utplurimum graſſari, atque contagio inficere magnamque ſubinde ſtragem edere ſolent, ſecus ac aliæ acutæ inflammatoriæ benignioris indolis. Magnum ergo inter utrasque has febres datur diſcrimen: dum febres acutæ benigniores circulum refrænantibus et refrigerantibus remediis curantur, intendentibus circuitum et acribus calefacientibus exaſperantur; malignæ vero circulum depreſſum congrue excitantia remedia ſibi depoſcunt. Cum vero, quod ſumma cura animadvertit SYDENHAM, [a]) eas febres ſæpe perperam pro malignis habuerint medici, in quibus vehementiora videbant ſymptomata, ac exanthemata petechialia et purpuracea obſervabant; quæ omnia, licet a motu aucto et ab intenſiore inflammationis gradu penderent, a malignitate aliqua aut veneno aliquo deducebant, adeoque cardiacis et alexipharmacis calidis, ut id per cutis poros expellerent, non ſine ægrorum clade impugnabant: optimus vir rectiſſime monuit, malignitatis ſive notionem, ſive vocabulum inventum a medicis, generi humano ipſa pulveris pyrii inventione lethalius fuiſſe. Atque eadem con-

a) *Operum p. 681.*

conſideratio illum movit, ut febres malignas eſſe vel ſua natura tales, vel medicatione incongrua effici, decerneret, quales non ex ſe exſtitiſſent. Eadem prorſus ratione civis SYDENHAMI, Gualterus HARRIS, [b]) febrium epidemicarum ſic dictam malignitatem non requirere alexipharmaca edixit, ſed his potius febres ex ſua natura mites malignas effici, creatis per calida remedia exanthematibus, et pulſu reddito debili. Quanquam autem hæc omnia, ſi febres acutas inflammatorias mala arte malignas redditas ſpectaveris, ſint longe veriſſima: negari tamen nequit, de vere et ſua natura malignis aliter ſtatuendum eſſe. Omnis in his ſeſe manifeſtans malignitas, vel ſi mavis malignitatis cauſa, ſine dubio conſiſtit in particulis naturali craſi humorum adverſis, ut optime loquitur SYDENHAM. [c]) Hæ autem particulæ per contagium hominibus infeſtæ, in aere generatæ, aut eidem per varias exhalationes illatæ, mediante eo noſtra corpora intrant, eque uno migrant in aliud; atque licet earum ingenium intimum et miaſma ipſum ignoretur, tamen id omne fluido illi, quod ſenſui et motui in corpore famulatur, valde hoſtile haberi, ſubitanea virium proſtratio, nota characteriſtica præſentis malignitatis, abunde edocet. Inſuper alcalicæ, ſepticæ et putridæ illud eſſe indolis, omnia phænomena morbi et medelæ una cum extiſpiciis evincunt. Nemo, quod ſciam, hoc ipſum poſt Celeb. HOFFMANNUM [d]) ſolidius doctiusve explicuit Cl. HUXHAM [e]) atque PRINGLE. [f]) Dum autem hoc miaſma, quod θεῖόν τι alioquin appellatur a medicis ad ſtylum Hippocratis, vires motrices cordis et arteriarum ſubito peſſundat, ita ut forte, quod SYDENHAMO [g]) videtur, ſideratis ſpiritubus levis admodum vel nulla febris adſit, atque ita ſui ipſius ſemel ſanguinem ingreſſi promptam excluſionem ſimul inhibet: opus omnino eſt, ut cardiacis appropriatis ars labenti naturæ ſuccurrat. Eo igitur reſpectu remedia paulo calidiora, quorum adhibitio in febribus acutis benignioribus ma-

b) *de Morb. Inf. pag. mihi 79.*

c) *Operum p. 313.*

d) *Med. Syſt. Tom. III. Sect. I. cap. VII. §. 6. 7. 8.*

e) *de febribus c. V et VIII.*

f) *de Morbis militum Part. III. Cap. VII. ſect. VI.*

g) *p. 314. 315.*

gis

gis minusve nociva foret; hic aliquando locum ſatis opportunum habere poſſunt. Ita certe clariſſimis noſtri ævi medicis Anglis, qui coeuntibus conſiliis enucleatam ſupellectilem pharmacevticam, copiis regiis ſub auſpiciis ducis Cumbriæ dimicaturis inſervituram, ſeligere juſſi erant, in febribus mali moris pulſu tardo et debili micante placuit decoctum radicis ſerpentariæ Virginianæ, atque electuarium ex ea et contrayervæ radice concinnatum; [h]) talia quoque remedia apud Cl. PRINGLE,[i]) HUXHAM, [k]) et alios habentur. Præter hos, qui adeo circumſpectus ubique eſt et in omnibus morbis, ubi quippiam inflammatorii cum motu aucto adeſt, caute rejicit omnia tantum acriuſcula pharmaca, Illuſtris van SWIETEN [l]) nihilominus in talibus malignis febribus obſervationem docuiſſe ait, profuiſſe illa remedia, quæ vires oppreſſas erigerent et aromatico ſtimulo incitarent utcunque. Eapropter ſcordium, rutam, angelicam et ſimilia alexipharmaca dicta, larga copia aquæ infuſa et vino vel aceto remiſta, optato cum ſucceſſu porrigi memorat, cum impleto corpore blandus ſudor ſequatur, atque per ſurgentes vitales vires ſæpe de corpore expellatur epidemicum illud miaſma, quod omnia mala fecerat. Nunc autem, quando hæc omnia magnorum virorum judicio reſpondent, et experientia annuente ita ſeſe habere obſervantur, ſtatim credibile redditur, Opium quoque, quod vere cardiacum eſt, quodque analogiam quandam habet cum omnibus calidis et acribus circulum incitantibus, non minus ſub his circumſtantiis commode et cum bonis ægrorum rebus in uſum vocari poſſe. Sane licet de Opio nil habeat van SWIETEN, laudati angli menſuræ decocti radicis ſerpentariæ, cujus cochlearia duo vel tria ſingulis quatuor horis dari præcipiunt, laudanum liquidum addunt ad guttas XXX, cum drachma una ſalis volatilis oleoſi, adeoque manifeſte ad illam alexipharmacorum claſſem, quæ hic indicatur, Opium referunt. Theriacam, mithridatium, diaſcordium,

h) *edit. Germ. p. 25. 26. ſub titulo Kern der Medicin.*

i) *l. c. ſect. V.*

k) *de febribus. cap. 8.*

l) *Comment. Tom. III. §. 950. p. 125.*

dium, in parva doſi ſæpe repetenda etiam admittit HUXHAM. [m]) Spectat et huc decoctum ſacrum FULLERI, ex ſerpentaria, addita dein theriaca, et melle paratum, quod in febribus mali moris divinum plane auxilium autor adferre dicit. [n]) Non auſim ego contradicere viris ſummis; ſaltem habeo multa, quæ penſitare juverit, antequam celeri conſilio malignis deſtinemus Opium, quæque me penſitaſſe olim in Epidemiis tribus, civitati noſtræ valde gravibus, ægrorum aliorum et meæ propriæ ſanationi intentum nondum pœnitet. Expedit hic, ut nobis ſiſtamus ante oculos hominem decumbentem maligna febre, omnemque miſeriarum, quibus premitur, faciem uno obtuto contemplemur. En herculei ſæpe roboris corpus ſubito elanguidum, atque non ſaltem viribus vitalibus exutum! namque etiam ad omnes animales et voluntarios motus edendos nulla ſupereſt potentia. En hominem, ſui ipſius rerumque omnium oblitum, jacentem ſine ſenſu, de nullo calore doloreque conquerentem, anxium interim, inquietum, ſomnolentum, ſtupidum et ſemiclauſis oculis male cohærentia et delira loquentem, atque intra paucos ſæpe dies animam agentem! Detur nunc huic rebus ita conſtitutis Opium; ponatur, id excitare et augere humorum circuitum, revocare depreſſum calorem, diaphoreſinque movere: nonne vero ſimul vires animales depreſſas magis deprimet? nonne inſenſibilitatem, torporem, anxietatem, ſomnolentiam, ſtuporem, diſpoſitionem ad delirium, ex ſua natura juvabit? Sane, qui omnia phænomena ab uſu Opii enaſcentia ſigillatim conſiderat, is non aliter poteſt quam valde metuere, ne ſymptomata febris malignæ peſſima et deleteria reddantur exhibitione Opii. Præclare Celeb. PRINGLE [o]) Opiata in hac febre periculoſa, dum increſcit, inſecura, dum increvit et perdurat, exiſtere teſtatur, quia a ſudore nullus fructus expectandus, et delirium ab iis facile augetur. Sed dicit forte medicus, amator Opii, omnia mala pendere a languore circuli vitalis,

m) *c. VIII.*

n) *in Pharmacopœia extemporanea.*

o) *l. c. Cap. VII. ſect. 5. p. 299.*

p) *p.* 300. lis, ipſumque delirium conſentiente ipſo PRINGLIO [p]) a depreſſo et languente pulſu poſſe oriri, igitur hoc remedium, quod pulſum majorem et fortiorem reddit viresque cordis auget, ſimul expugnaturum fore omnia ſymptomata, ut acria et calida pharmaca, ſub his rerum conditionibus vere indicata. Ego vero reſpondeo, non tam ipſum vitalem motum depreſſum, quam cauſam depreſſi motus vitalis, hancque præcipue, reſpiciendam eſſe, et tum demum ex claſſe cardiacorum ea ſpeciatim eligi debere, quæ cauſæ huic vere contrariantur; neque enim perinde eſſe, ex qua illa ſeligantur. Sed cauſa unica debilitatis et omnium malorum eſt miaſma putridum et ſepticum, cum aere corpus ægri ingreſſum, humores in putridum tabum diſſolvens et gangræna viſceribus illata necans; quare remedium, quod id quantocyus ex corpore ejiceret, antequam effectus deleterios poſſet edere, omnium ſine dubio primum foret cardiacum. Dolendum valde, nocentiſſimum hoc miaſma ea ſubtilitate, ea penetrabilitate pollere, ut cito totum corpus cum omnibus liquidis pervadat et contaminet; certum tamen etiam eſt, illud, licet omnino prona via, inſpiratione hauſtum, pulmones ſubire ſanguineæque maſſæ illico communicari queat et ſoleat, tamen et ſalivali latici facile ſeſe inſinuare, in ventriculum ſubito deſcendere ac bilem, quæ inter humores animales citiſſime in putredinem vergit, admodum appoſitam invenire, cui innidulctur. [q]) Propter has rationes evenire ſolet, quod, ubi homo ex tali miaſmate intra ſe admiſſo ægrotare incipit, ſtatim fatiſcentibus viribus appetitus proſternatur, ac cardialgia ſyncoptica, nauſeaque et vomituritio ipſum male habeat; quod HUXHAMO [r]) teſte fere in omnibus contagioſis febribus ſolemne eſt. Scitur igitur, cur tot egregiis practicis lenia emetica in morbi principio tantopere celebrentur, etiam Illuſtri HOFFMANNO [s]) non excepto. Multum ipſis tribuunt clariſſimi Viri, laudatus modo HUXHAM [t]) et PRINGLE. [u]) Cavendum ſaltem

q) *lege Huxham. C. 8. p. 163. edit. germ.*

r) *c. VIII. p. 158.*

s) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. Sect. I. c. X. p. 240. et diſſ. de Vomitoriorum uſu obſ. 7.*

t) *loco cit. p. 159.*

u) *loco cit. c. VII. ſect. V. p. 294.*

tem, ne radicata jam ægritudine et ventriculo diatheſi inflammatoria adfecto vomitus moveatur. Proderit vero dein lene anodynum et ipſa theriaca, poſt tempeſtive datum emeticum, non ſaltem ad tumultus ejecta materie fruſtraneos futuros leniter coercendos, ſed et tranſpiratione auctiore reddita ex parte jam ſanguinem ingreſſum, nondum autem intimius miſtum humoribus miaſma, quantum poterit, exterminabit, morbumque omnem ita mitiorem reddet. Atque certe tum anodynum pertinebit ad bezoardica et alexipharmaca, quæ poſt emeſin obtentam ſtatim auctores adhibere jubent. At quando miaſma jam late per omnem humorum oceanum dominatur, quando ſanguinis compagem jam diſſolvit et fundit, tetramque putrilaginem omni corpori minatur, cordis interim et arteriarum vivida actione imminuta, ſub jugum rapta, adeoque excutere id prorſus impotente, præſtantiſſima erunt ſine dubio cardiaca et alexipharmaca, quæ ſimul, dum cordis vires excitant, ingenio et effectubus pravis miaſmatis adverſantur. Vix autem inter ea Opium ipſum et compoſita Opiata calida et acria aliquis retulerit. Nunquam in malignis febribus alexipharmaca, validiora commoventia et volatilia ac ſudorifera nimis expellentia adhibenda eſſe, quæ diſſolutionem elementorum ſanguinis magis promovent, ſed unice temperata et moderata remedia, ut perpetuum axioma, injungit HOFFMANNVS;[x]) malignitatemque non ſemper ſudore eliminandam, per ſudorifera aliaque calida medicamenta nonnunquam augeri et ſubinde contemperantibus poſſe edomari, docet SYDENHAMVS.[y]) Quis igitur calidum et volatile Opium antidotum venenoſi miaſmatis et effectuum ejus facile habuerit? Novi bene, Cel. PRINGLIVM[z]) inquirentem in corpora naturalia, quæ ut antiſeptica putredini reſiſtunt, eorum catalogo etiam adſcripſiſſe Opium, idque ſali adeo quocirca ad energiam præpoſuiſſe. At vero præſervatio hæc a putredine, quam ſolutio aquoſa trium granorum Opii fruſtulis car-

x) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. ſect. I. c. X. p. 237. 247.*

y) *Operum p. 313. 314. 682.*

z) *in Experimentis et Obſervationibus circa Septica et Antiſeptica; Propoſ. II. Exper. X.*

carnis bubulæ recentis præſtitit, admodum male traheretur ad corpus vivum. Obſervatione potius conſtat, [a]) Opium juveni ad drachmam unam datum effeciſſe, ut intra breve tempus demortui cadaver lividis tumoribus in brachiis et femoribus deturparetur, et corruptionem perpeſſis omnibus fluidis, intolerabilem fœtorem de ſe ſpargeret. Igitur Opium, quod in majori doſi tantam putredinem humorum cito ciet, in minori doſi putredini haud erit adverſum, licet in tali tantam non excludat, adeoque etiam malignitati ipſi ejusque cauſæ directe haud adverſabitur, ſed utcunque eam potius juvabit. Sane ſola idea diſſolvendi in ſerum ichoroſum et tabum putridum ſanguinis, ab hauſto miaſmate ſeptico, quam graphice ſuppeditant HUXHAM [b]) et PRINGLE, [c]) atque idea imminutæ cohæſionis in craſi ſanguinea, a dato Opio patratæ, quam *ſect. I. cap. II. experientia 3.* claram reddidi, ſtatim conficiunt, Opium ſtatui humorum, qui præſente febre maligna obtinet, neutiquam convenire. Dum præſente ſtatu hoc, omnia alexipharmaca calida et cordialia volatilia in acre et ſanioſum ſerum converſum ſanguinem magis diſſolvere et corrumpere probat HUXHAM, [d]) nonne tacite ſimul calidum alexipharmacum et cordiale volatile Opium diſſuadet? Summe autem imprudens foret conamen, ſi medicus, ægrum inquietum ſomnoque prorſus carentem obſervans, hiſce incommodis Opiato veſpertino ſubveniendum eſſe crederet. Effectum, qui inde expectandus eſt, graphice deſcribit YOUNG: [e]) *Forte*, inquit, *ſomnus per vim Opio inducitur, ſed inquietus, brevis et non reficiens, ex quo cum pavore, cum perturbatione, horridis ſomniis fatigatus æger expergiſcitur, moleſtas vigilias tali ſomno longe praeferens. Hos effectus quando Opium edit, id in omni morbo, et longe magis in mali moris febribus, omnino noxium eſt.*

a) *Memoires de l'Academie Royale des Sciences l'an. 1735.*

b) *Cap. V.*

c) *Part. III. Cap. VII. ſect. 6.*

d) *c. V. pag. mihi 95. et c. VIII. p. 169.*

e) *c. 38.*

§. XXVI.

Dari illis ſecuriora et ef-

Quodſi vero habeantur remedia, primo non uni et alteri ſymptomati conducere perperam viſa, ſed vere omnibus

bus ſimul adverſa, deinde et talia, quæ ipſam cauſam febris debilitatisque, cauſæque hujus effectus efficaciter inhibent, quæ acri putrido miaſmati e diametro ſunt oppoſita, quæ ſanguinis diſſolutionem impediunt cohæſionemque ejus conſervant: nonne hæc præferri merebuntur cardiaco licet habito Opio, ſalutarique præ eo debebunt magis indicata cardiaca, maxime ſi, quod PRINGLIVS [a]) rectiſſime requirit, ſimul ita ſint comparata, ut inflammationem non augeant. Nemo puto ambigit! ſed habentur omnino talia. A longo retro tempore in malignis febribus, non minus quam alexipharmacis acribus et calidis, ſuus honos quoque habitus eſt acidis pharmacis, grato ſtimulo in nervos agentibus, antiphlogiſtica virtute pollentibus, et tetram diſſolutionem putrilaginoſam, in quam tum ruunt humores animales, valide cicurare et inhibere aptis. Sane in hoc morborum genere, qui ex interna liquidorum putredine naſcuntur, ab acidis plus auxilii quam ab ullo remedio expectari poſſe, HOFFMANNVS [b]) auctor eſt, et quidem ob hanc cauſam, quia per putredinem gignitur alcali et a copioſo etiam alcali putredo provenit, quod protinus ab acido cicuretur, a quo ita incrementa putredinis cohibeantur. Dixi de ſumma vi aceti in ipſa peſte §o antecedente 22; laudavi ibi ſuccum limoniorum, quem Turcæ ſummum antiloimicum experiuntur; commemoravi fructus ab ipſis acidis mineralibus expectandos. Nonne ergo et fas eſſet credere ſalutem hominum, malignis mitioribus decumbentium, his ipſis pharmacis? nonne ſperandum a talibus circuitui humorum vitali conſtantia et inſtauratum robur, quod ſepticum venenum depreſſit? Maxime autem proderunt, ſi illis addantur, quæ oleo blando volatili et ſuaveolente, neque tamen nimis acri et calida virtute pollent, veluti fragrantes aquæ ex meliſſa aliisque herbis et floribus fragrantibus, ex corticibus aromaticis ac ſuaveolentibus confectæ, ſuccique et ſyrupi ex horæis ſubacidis gratiſſimis. Si vero præter hæc omnia ali-

ficaciora, probatur.

a) *l. c. c. VII. Sect. 6. p. 334.*

b) *in Obſerv. phyſ. chym. p. 185.*

 quod

quod remedium datur, quod cardiacum ſummum appellari meretur, eſt ſane vinum rhenanum, modica quantitate captum, vel aquæ admiſtum, RIVERIO,[c] BARTHOLINO,[d] RIDLINO,[e] HOFFMANNO,[f] MEAD,[g] HUXHAMO,[h] PRINGLIO[i] et aliis idoneis teſtibus. Pulchre ego recordor, in epidemia illa peſſimæ indolis, quam poſt pluvias diuturnas, fluviorumque et piſcinarum exundationes, aeremque inde ſqualidis effluviis inquinatum, annonæque caritatem, urbs noſtra cum ſuburbiis longe lateque, quin tota Sileſia experiebatur, quamque deſcriptam dedit Illuſtr. noſter de HAEN,[k] deinde in febribus illis malignis, quas milites præſidiarii boruſſi, fervente poſt obitum glorioſſimæ memoriæ Caroli VI. Imperatoris bello, e caſtris et prœliis reduces atque a noſtratibus excipiendi ſecum attulerant, me, miſſis omnibus alexipharmacis Opium habentibus et non habentibus, non infeliciter civibus meis medicisque collegis et chirurgis infectis medicinam feciſſe. Dedi potum multum aquoſum, cum ſucco citri, ſaccharo et vino rhenano, hujusque indolis potiones analepticas ex aquis deſtillatis ſuaveolentibus, phlegmate vel ipſo ſpiritu vitrioli imbutas. Junxi pulveres ex nitro, addita HOFFMANNO,[l] MEADIO,[m] WERLHOFIO,[n] HUXHAMO,[o] PRINGLIO[p] probatiſſima camphora. Vocavi quoque in uſum infuſa calida, ſcordii, rutæ, marrubii, cum tantillo aceti, ac circa finem decoctum cort. peruv. HUXHAMI quoque calculum nacti. Nunquam me pœnituit hujus methodi, quam et non ſine ſucceſſu, niſi ſumma malignitas omnia eluderet, me adhibuiſſe teſtor, cum circa Anni 1757 finem et 1758 initium, in urbe et agro Vratislavienſi vulneratis militibus onuſtis, peſſimæ indolis febres putridæ et petechiales epidemice graſſarentur. Noveram quippe bene, talia remedia parti gangrænoſæ foris applicata elargiri condimenta ſumma; quidni et inſervirent toti maſſæ humorum in putredinem tendenti, petechiarumque inflammatiunculis et gangræ-

c) *cap. de febribus peſtilent.*
d) *Hiſt. Rar. Cent. VI. hiſt. 7.*
e) *Lin. med. 1695. menſ. Jun. obſ. 1.*
f) *Diſſ. de Vino rhen. Cap. VI. §. 13.*
g) *Monit. med. p. 18.*
h) *de febribus c. VIII. circa finem.*
i) *de Morb. milit. Part. III. c. 7. Sect. V.*
k) *in Act. Nat. Cur. Vol. X.*
l) *variis locis.*
m) *Monit. med. p. 21.*
n) *Commerc. litt. Norimb. Ann. 1734. hebd. 33. 34.*
o) *de febribus C. VIII.*
p) *Tom. III. cap. VII. Sect. 5.*

grænulis in cute apparentibus, cerebrique et pulmonum minutiſſimis vaſculis eroſionem fatalem minantibus? Certe etiam harum ſolarum intuitu (quanquam earum excretio propellentibus ad cutem juvanda videatur non intelligentibus,) nil valent omnia, quæ alexipharmacorum, bezoardicorum et diaphoreticorum nomine veniunt, ſi tantillum acri ſtimulo egerint et calorem induxerint, niſi forte vis vitæ languentiſſima ſit, adeoque et tum abeſſe debent omnia Opiata. Scilicet ſi verum petechiarum ingenium ſpectetur, aut debentur ſoli impetui circuli et inflammatoriæ diatheſi humorum, aut ſunt effectus diſſoluti ſanguinis in putridum ichorem; in neutro caſu alexipharmaca et theriacalia opiata adverſantur mali cauſæ genuinæ, ſed in utroque ad eam potenter impugnandam optime conveniunt acida. Optime hæc vel diatheſin phlogiſticam, vel progreſſum putredinis impugnant; dum nec hoc, nec illud, præſtare queunt calida diaphoretica, et omnium minime ſpiritus alcalini volatiles, ſpiritus bezoardicus Buſſii et ſimiles, licet, quod miratus ſum ſæpius, præſtantiſſimis viris ad hunc diem placeant, cum tamen HUXHAMO teſte, *c. VIII. p. 169.* ipſum malignum miaſma ſit tenuiſſimum ſal volatile. Ego non ſemel inter ægros meos volvi animo Cl. KRAMERI,[q]) copiarum cæſarearum medici primarii, conſilia, qui in febribus caſtrenſibus acida, ſuccum citri et acetum tanquam ſpecifica in curatione et prophylaxi expertus erat, atque ab omnibus alexipharmacis calidis et volatilibus abſtinuerat. Ne quidem horum nomen, multo minus pharmacum ipſum, ſe ferre poſſe ſeni medico edicebat eadem epidemia, quam deſcripſit, prehenſus Cel. HAENIVS noſter, ab omnibus calidis parentis medici conſilio firmatus abſtinens, ſolaque aqua ſimplici, ſucco rub. idæi et citri, nitro, paucisque analepticis ſervatus. Mirum ſaltem, optimum virum his interpoſuiſſe Opiata, quibus multum utique favebat in ſua praxi, cum etiam ſine additione acrium inter alexipharmaca calida primas hæc teneant.

q) *Commerc. litt. Norimb. 1735. hebd. V.*

neant. Valde errare medicos, non ſine ratione monet Illuſtr. MEAD,[r]) dum in febre petechiali in principio humores calefaciunt et ſudores movere moliuntur; hinc præcipue nitrum, acetum, ſpiritum vitrioli dulcem, vinum rhenanum, ſuccum limoniorum laudat, et circa morbi finem ſaltem infuſiones paullo calidiorum radicum, addita tamen et hic aceti deſtillati quantitate, commendat. Nunc maximæ grates habendæ ſunt immortali HAENIO meo, quod corticem peruvianum, cujus uſus antea in malignis equidem bonos medicos haud latebat, ſummum eſſe remedium, ſi ſaltem ſufficiente doſi capiatur, evidenter, repetitisque experimentis et obſervationibus, docuerit. Rectiſſime illum ſiſtit,[s]) ut in malignarum debilitate egregium et incomparabile cardiacum; ut in ſumma corruptione interna et externa inimitabile alexipharmacum; ut remedium, quod exanthematum expulſionem ſumma cum ægrorum euphoria promoveat, ſuſtineat, maturet, perficiat, etc. licet ſua paregorica, lenia tamen, emulſis addita, ſyrupum diacodii ſine dubio in animo habens, ſimul collaudet.[t]) Eodem anno 1758 Ill. van SWIETEN[u]) in febribus malignis pulveres ex rad. ſerpent. virg. contray. china et camphora atque acetum camphoratum laudaverat, nulla paregoricorum mentione addita, niſi quod, dato in principio emetico, veſperi theriacam ſubjungi voluerit.

r) *Monit. med. p. 18.*

s) *Rat. med. Tom. III. p. 71.*

t) *p. 40.*

u) *Heilungsart der Feldkrankheiten pag. 141.*

§. XXVII.

Diarrhœa febrium malignarum caute Opiatis tractanda.

Unum ſupereſt, quod ad curationem malignarum præcipue facit et ſolerter attendi debet. Sapienter notavit SYDENHAM,[a]) malignitatem morbi comitem cum ipſo morbo ſtare et cadere, et pari etiam paſſu recedere, atque ex conſequenti quamcumque evacuationem, quæ febri in genere competat, etiam malignitati deberi. Igitur ſollicite attendendum erit ad viam, quam natura morbum curans præmonſtrat. Plurimi medentum militant pro evacuatione per cribrum cutaneum, neque eo inficias, ſat multas febres malignas

a) *Operum p. 316.*

lignas tranſpiratione ſudoreque ſolvi. Multum ergo exinde præſidii videtur accedere uſui diaphoreticorum etiam opiatorum primo intuitu; ſed noxas eorum et omnium calidorum ſatis puto ob oculos poſui. Malignitatem interim non ſemper ſudore poſſe eliminari, notavit SYDENHAM;[b]) atque Celeb. HOFFMANNVS[c]) ejusmodi febres epidemicas petechizantes non ſudore ſaltem, ſed ſæpe etiam diarrhœa juſto tempore eveniente, judicari obſervavit; quare et peculiarem diſſertationem *de diarrhœa in febribus malignis ſalutari* conſcripſit; talemque etiam obſervavit inter alios laudatus antea KRAMERVS. Hæc igitur ſi immineat, aut jam adſit, ægrum in vadum locatura, quam imprudente conſilio urgeatur diaphoreſis, alvinaque excretio inhibeatur opiato remedio, quis non videt? Serio certe dehortatur laudatus HOFFMANNVS, ne alvi fluxus præſertim circa tempora critica eveniens vel adſtringentibus vel opiatis ſedetur, ſed potius, ſi opus, lenioribus laxantibus juvetur, quæ ipſa et hoc fine Cl. HUXHAMO placent C. *VIII.* Non equidem neſcio, animadvertere HUXHAMVM,[d]) non bonam eſſe diarrhœam ſine leni ſudore et madore cutis, clariſſimumque hunc autorem, haud negantem excretionem criticam per alvum, tamen ſimul aſſerere, ſe nullam talem febrem curatam vidiſſe ſine ſudore. Sed non minus novi, Cl. PRINGLE[e]) ſudores per remedia motos pro inanibus et nil juvantibus declarare, niſi in principio, ubi ſæpius febrem avertant; atque ſimul ſtatuere, a natura etiam protruſos tamen criticos non habendos eſſe, niſi decreſcente demum morbo fluant. Quin idem peritiſſimus in arte vir, febre jam præſente, nimis alte jam radicatam cauſam morbi vix ſudore eliminari poſſe monet, huncque tandem erumpentem cum levamine ſaltem lenioribus remediis, ut ſpiritu Mindereri, nulla autem vi promoveri debere. Et quid multa, expreſſis verbis ſimul aſſerit, *a ſudore arte per Opium moto nullum expectandum eſſe auxilium.*[f]) Non aliter Celeb.

b) *Operum p. 313. 314.*

c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. p. 227. 237. et 266. ubi multi autores idem aſſerentes allegantur.*

d) *cap. VIII. p. 167.*

e) *l. c. p. 278.*

f) *p. 296. 297. 299.*

HOFF-

g) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. p. 237.*

h) *cap. VIII. p. 165. 166. 167.*

i) *Part. III. c. VII. p. 308.*

HOFFMANNVS [g]) ſudorifera ſpirituoſa rejiciens, inter quæ Opium ſine dubio primas tenet, temperata et moderata, utpote naturæ amiciſſima, unice ſuadet. Atque ita nec ſudoris nec diarrhœæ febrem malignam ſolventium reſpectu, Opio locum idoneum concedi in medela perſpicitur, cum id ſudorem minus opportune moveat et diarrhœam intempeſtive ſuſpendat. Poſtulat tamen nonnunquam alvi fluxus etiam juſto tempore eveniens, ſi paulo largior ſit, quam qui ab ægro ſumme debilitato ferri queat, ſibi injectum frænum, ne vires ad mortem usque emungat. Talem diarrhœam nimiam habet HUXHAM, [h]) ab evacuatione bilioſarum putridarumque ſordium inteſtinorum arundine collectarum non ſatis mature per alvum ſuſcepta oriundam, atque ſubito ſæpe lethalem; tumque diaſcordium et theriacam laudat. De nimia etiam alvi lubricitate verſus morbi finem eveniente loquitur PRINGLE, [i]) quam, licet critica videri poſſet, tamen ob vires miſere collapſas tinctura thebaica conſopiendam conſulit, dataque hac, ſudorem blandum cum levamine ſubſecutum aliquando fuiſſe memorat. Multa interim prudentia hic opus eſſe monet HUXHAM, ne diarrhœa vere critica turbetur, quare et ſecuritatis certioris gratia rhabarbarum præmitti vult. Locuples mihi occaſio nata eſt cautionum harum valorem animadvertendi, durante vltima epidemia Vratislaviæ et ejus confiniis poſt obſidionem valde gravi, quam ægri et ſaucii milites tot ædificiis publicis et privatis excipiendi ſecum adduxerant. Vidi diarrhœas moderatas in his febribus ab initio et incremento morbi usque ad finem perduraſſe, cum fructu ægri, ſi non ſupprimerentur. Vidi vero etiam non raro ipſo illo tempore, quo criſis adeſſe reputari poterat, fræno opus fuiſſe. Recordor cum voluptate ſervati illuſtriſſimi comitis de H. qui 9, 10 et 11 morbi die diarrhœa profuſiſſima adeo debilitabatur, ut lipothymiis ingruentibus et artubus frigeſcentibus, quævis mala metuenda eſſent. Dedi cum medico ordinario poſt

ana-

analeptica abſorbentia et camphorata, hactenus adhibita, diaſcordium, æqua doſi identidem repetendum, atque ita ambo feliciſſimum effectum et promptum ſanitatis reditum laudandi occaſionem nanciſcebamur. Datur vero et in ultima morbi periodo diarrhœa ichoroſa, ſuberuenta, cadaveroſa a corruptione viſcerum, ſine ſenſu ægri adfligens, inſtantis mortis nuncia, ſed de hac omnem virtutem qualiumcunque remediorum eludente multa exponere nil juvat.

CAPUT III.

Dolores.

§. I.

Doloris Theoria et Therapia generalis.

Expenſa febrium natura, comparataque cum eadem agentis in corpus humanum Opii vera indole, ſequitur, ut nunc ad dolores conſiderandos me convertam. Dum in antecedentibus Sect. I. Cap. V. §. 8. ſenſus et doloris ideam exhibui, ſimul conſtitit, ſtatum illum fibræ ſenſilis, qui rupturæ periculum vel remotius vel proximius infert, involvere dolorem. Id quidem ſatis certum habetur; verum de partibus ſenſibilibus et inſenſibilibus, adeoque de partibus dolorem homini vere inferre aptis et non aptis, aliter ſtatui cœptum eſt, poſtquam illuſtris de HALLER [a]) diſſertationem *de partibus corporis humani ſenſibilibus et irritabilibus* cum eruditis communicavit, ad quam perficiendam ipſe et doctiſſimi ejus diſcipuli, repetitis per annos laboribus, experimenta in animalibus inſtituta collegerant. Ex his luculenter apparuit, partes varias corporis humani hactenus, communi medicorum chirurgorumque conſenſu, pro valde ſenſibilibus et ſenſibiliſſimis habitas, ſenſu prorſus carere, ut tendines, ligamenta et capſulas articulorum, perioſteum, duram matrem, piam matrem, peritonæum etc. No-

a) *lecta hæc publice fuit a Viro ſummo, in conſeſſu Academiæ regiæ ſcientiarum Gœttingæ 1752. Menſe April.*

Novi bene, quid Hallerianis Obſervatis oppoſuerit Cl. le CAT, DELIVS, BIANCHI, KRAVSIVS et ſuperiori anno GIRARD de VILLARS,[b]) ac Dominicus VANDELLI in epiſtola *de ſenſibilitate pericardii, perioſtei, medullæ, duræ meningis, corneæ et tendinum*, neque minus LAMBERTI in epiſtola ad Cl. BIANCHI, et Pragæ Ignatius RVDNICZKY in ſpecimine experimentorum contra HALLERVM. At vero non ignoro etiam, quid regeſſerit illuſtr. HALLERVS ipſe,[c]) quidque pro eo reſponderint paſſim *Nova Litteraria Gœttingenſia*. Taceo ejus experientiis ſubſcribentem patrem Urbanum TOSETTI,[d]) ſtrenuumque illius defenſorem chirurgum gallum, Cl. BORBENAVE, qui mercurio gallico menſe Junio anni 1757. *de irritabilitate et ſenſibilitate* brevem, ſed egregiam diſſertationem inſeri curauit, et alios; neque dubito, veritatem de partibus ſentientibus et non ſentientibus pededentim clariſſime in omnium eam ſentire volentium ſenſus incurſuram eſſe. Fietque hoc maxime, quando, dum hæc ſcribo, adhuc deſideratus ſed promiſſus Tomus II. Commentariorum Lauſonienſium lucem publicam videbit, in quo Cl. BASSANI, POZZII, ZINNII, RVNGII, EMETTI et MÜHLMANNI experimenta, adſerta Illuſtr. de HALLER illuſtratura et confirmatura habebuntur. Mihi non incumbit, ut de hoc argumento natam controverſiam ſpecialius ingrediar, cum diſceptantes de partibus ſenſibilibus et inſenſibilibus tamen facile largiantur, ſedem doloris eſſe fibras nerveas, ſenſumque doloris inferri a periculo rupturæ ipſis imminente.

b) *in Diſſertatione pariſienſi, Ergo ut ſenſibilitas ita et irritabilitas a nervis.*

c) *Videantur præcipue Memoires ſur la nature ſenſible et irritable des parties du corps animal par Mr. Alb. de Haller Tom. I. Lauſanne, 1756. poſt ea, quæ in diſſ. de hac materia a Cl. Tiſſot gallice verſa et Lauſonii 1755. edita habentur.*

d) *in epiſtolis 4, Sull' inſenſibilità di alcuni parti degli animali Romæ editis,*

Quando itaque medico cum dolore ſanando res eſt, incumbet ipſi tollere cauſam, rupturæ periculum fibræ inferentem; vel manente et non ſtatim auferenda cauſa, minuere tamen in fibra ipſum rupturæ periculum, aut eandem aptam reddere, ut minus ab eadem afficiatur, diutiusque actionem cauſæ perferat, ſine inſequente ruptura; vel tandem, manente cauſa et manente ſtatu fibræ iis-

iisdem, efficere, ut æger ſtatum hunc et cauſam agentem non ſentiat.

Quod cauſæ ablationem attinet, ſciendum eſt, rupturæ periculum in fibra naſci a cauſa corporea vel diſtendente, vel diſtrahente, vel rodente, vel vulnerante, vel premente; atque perinde eſſe pro excitatione doloris, ſive cauſa hac vel illa ratione egerit, licet ſenſum doloris varium efficiat, pungentem, tendentem, terebrantem.

Diſtenſio a centro ad peripheriam fit per oppletionem, obſtructionemque canalis a plethora et ſpiſſitudine, vel lenta vel phlogiſtica, alioque quovis corpore obſtruente; excitatur autem et augetur tum præcipue dolor, ſi augeatur impetus vis vitæ, nam tum eo magis latera canalis et fibræ ejus ſenſiles diſtenduntur.

Diſtractio in longitudinem fit per luxationem, tumorem, nec non per ſemilacerationem alicujus nervi; tum enim integræ manentes ejus fibræ eo fortius diſtrahuntur.

Vulneratio ſeu ſolutio continui in parte molli fit per inſtrumenta acuta externa, diſtractionique majori fibrarum vicinarum continuarum manentium occaſionem ſuppeditat.

Roſio fit per acria quævis, quæ ſunt atomi acutæ, minutiſſima et copioſiſſima vulnuſcula infligentes, quæque fortius agunt, ſi accedat vis vitæ aucta.

Preſſio rudis in fibras ſenſiles fit a corpore incumbente impacto, gravi, duro, moto, ut a tumore, calculo.

Ut igitur cauſæ hæ omnes auferantur, aut earum actio minuatur:

Diſtenſio canalis erit tollenda impactum obſtruens, quod diſtendit, attenuantibus, loco moventibus, evacuantibus, ſimulque impetum vitæ ad locum affectum minuentibus.

Diſtractio impugnabitur adminiculis præcipue chirurgicis, luxatum reponendo, tumorem removendo, nervum ſemilaceratum abſcindendo.

Rodens acre debebit leniri per oppoſita remedia ſpecifica, vel lenientia univerſalia; loco moveri, ex corpore ejici, per organa colatoria congrua; vel eximi manuali opera, ſi acceſſus detur; ſimulque minui debebit vis vitæ. Sciri vero accurate debet, an vere adſit acre; non adeo quippe id frequens eſt, ut putatur. Sæpius enim cauſa doloris in motu nimio, ſtagnatione, plenitudine et mole humorum nimia repoſita eſt; ſi horum nulla ſigna adſint, tum demum cogitandum de acri.

Vulneratio externa ſi dolorem intulerit, dum retractio labiorum, tenſio fibrarum nervearum, inflammatio, acrimonia, quam humores effuſi contraxere, culpam gerit: diluentia, laxantia, lenientia, antiphlogiſtica proderunt.

Preſſio ſibi depoſcit oneris prementis, qualecunque id fuerit, ablationem.

Atque hæc de removenda doloris cauſa.

Nunc quod fibræ tenſæ et ad ſui rupturam accedentis talem mutationem attinet, ut rupturæ periculum minus reddatur, id quidem efficitur laxatione fibræ; laxata enim diutius rupturæ reſiſtit. Omnia igitur emollientia, aquoſa, oleoſa, mucilaginoſa, tepide præcipue applicata huc faciunt.

Reſtat inhibitio ſenſus, in ipſa fibra et ſenſorio communi manente cauſa dolorifica. Ea vero fit compreſſione, ſectione, uſtione nervi et obtuſo ſenſorio communi.

Sane his momentis omnia præſidia nituntur, quæ ullo modo inſervire poſſunt doloribus levandis et ſanandis. Jam ſi celebre illud antidotum Opium conſideretur, in cujus gratiam omnia hæc neceſſario præmitti debuerunt, conſtabit ſedulo attendentibus, aut nunquam aut ſaltem unice tum Opium quadrare cauſæ, quando hærens in canali lentor eum diſtendens facile attenuari et perſpiratione aucta vel ſudore poteſt ejici; ad utrumque quippe valet Opium, ſi auctior redditus circuitus ſanguinis haud repugnet. Cæteroquin

quin autem Opii indoles exactiſſime comparata cum aliis dolorificis cauſis omnibus, de quibus egi, inſtituto examine, nulli earum quadrare obſervabitur. Omne igitur, quod in dolore ſedando ulla ratione Opium præſtat, in eo verſatur, ut ſuſpendat ſenſum, affecto ſenſorio communi vel forte et in laborante fibra ipſa, quam laxari et torpeſcere dicit BOHNIVS,[e]) cum quo inter alios faciunt recentiores ſcriptores ALSTON et YOUNG.

e) *de Officio medici dupl. p. 361.*

§. II.

Canones generales circa uſum Opii in ſanandis doloribus.

His præmiſſis, jam ſtatim deberem accedere ad morbos ſpeciales doloroſos, iisque generalius hactenus ſuppeditata applicare; ſed antequam hoc fiat, exhibebo adhuc aliquas generales regulas, ex præmiſſis fluentes et inſignem uſum in praxi clinica habentes.

I. Opium, dum minuit dolorem, ſaltem minuit doloris ſenſum, non tamen ſimul par eſt removendæ doloris cauſæ, aut ſaltem valde raro. Cauſa igitur exiſtere et agere pergit, quamvis non ſentiatur adeſſe, ſummasque aliquando ægro non ſentiente noxas infert. Inter veteres hoc ipſum jam egregie notavit AETIVS, quando Opiata nequaquam affectiones ipſas in quibus dolores fiunt curare, ſed ſaltem membris ſtuporem et ſenſus hebetationem inducere, dicit; atque alibi ſedatis doloribus ea cauſam intus reſervare, et paulo poſt, aut animi deliquium et mortem inferre, aut diuturnos affectus excludere monet. Recentiori ævo idem prorſus rectiſſime urſit præ reliquis STAHLIVS[a]) merito hic audiendus, qui quantitatem et qualitatem cauſæ corporeæ Opium non tollere, hanc, ſtupefactione inducta, efficaciam ſuam in corpus nihilominus proſequi dicit, motubus interim ſuppreſſis, qui ſalutari alicui fini deſtinabantur.

a) *Diſſ. de impoſtura Opii §. 12.*

II. Dum autem ita ab Opio fallitur dolore affectus æger, fallitur quoque, exhibito minus opportune hoc pharmaco, eum fallens medicus. Hic quippe ſopito ſenſu con-

 ſtitu-

ſtitutionem ægri corporis diſcere non valet; atque quoniam Opium adeſſe facit in corpore quædam phænomena, quæ ſine eo exhibito non adfuiſſent, obſcuratur omnis morbus, aliamque faciem induit, ſæpeque medicus ad ea non rite attendens neſcit, an phænomenon præſens pendeat a morbo, vel ab Opio.

III. Opium, ſi vis cauſæ dolorificæ non major ſit, vi ſua, qua ſenſum minuit, equidem minuit aut ſuſpendit dolorem, ſed ſaltem ad tempus; namque hic exſpirante operatione remedii, dum manet cauſa, denuo recrudeſcit, atque aliquando etiam gravius.

Hanc veritatem introſpexerunt per repetitas experientias omnes practici. WILLIS *Pharm. rat. Part. I. Sect. VIII. c. I. p. 182.* exactis medicamenti viribus illico dolores redire dicit, nec atrocitatem ſuam remittere, niſi dum ab eodem pharmaco rurſus incantantur. Ubi vis Opii exſpiravit, redire dolores notavit RAMAZZINI diſſ. *de abuſu Chin. Operum p. 237.* in cujus ſtatim principio virtutem hujus pharmaci ſedativam ephemeram eſſe dicit. Cauſa manente, dato licet Opio dolorem facile recrudeſcere, huncque facile novos ac majores minoresque impetus exerere poſſe, aſſeruit BOHN de *Officio med. dupl. Part. I. c. XIX. p. 360.* Recte quoque urget Cl. STAHL, diſſ. *de impoſt. Opii §. XI.* apparens ab Opio ſolatium non diutius durare, quam doſis ejus ſtupiditatem incuſſam extendere valeat. Non minus Illuſtr. van SWIETEN, ſi cauſa doloris maneat, poſt aliquot horas eum redire, licet pulcherrime Opio ſopitus fuerat, docere non intermiſit, *Comment. ad aph. 203. Tom. I. p. 324.* Tandem Celeb. GEOFFROY, ceſſante narcotici operatione utplurimum regredi dolores, quos ſedaverat, autor eſt, ſæpiusque graviores ac antea, niſi beneficio ſudoris vel alio modo cauſa expulſa et deleta fuerit. Non igitur abſolute verum eſt,

quod

quod habet DIOSCORIDES *lib. IV. c. 55.* Opium ſumtum ervi magnitudine dolorem finire et concoquere.

IV. Cauſæ igitur remotio ſemper multum præferenda eſt ſopitioni ſenſus; nam illa ablata dolor ceſſat in integrum, non rediturus, cum, ſi hæc fortius agat ac Opium, ſæpe adeo repetita præbia nil proſint.

Pulchre huc facit monitum RIDLINI *lin. med. 1695. Febr. obſ. 22. In dolore ſedando*, inquientis, *non pertinaciter inſiſtas opiatis, ſi notaveris eadem bis terve fruſtra exhibita fuiſſe; alia medicamenta cauſam potius reſpicientia in uſum duc, quibus plus ſæpe, quam opiatis efficitur.* Legi quoque hic merentur, quæ habet RAMAZZINI. [b]) *Quia ſcimus,* ait, *Opii vi exſpirante redituros dolores, an rurſus altera die repetenda opiata ad prophylaxin? Nemo prudens medicus id aget, ſed ægro petenti et inſtanti denuo idem remedium offerri reluctabitur, ne morbi cauſam figat et contumaciorem reddat.*

b) *Diſſ. de abuſu Chinæ Operum p. 237.*

V. Opium inhibet omnes excretiones, ſola diaphoreſi excepta; quare claudit omnes vias, per quas forte cauſa poſſet eliminari, ſolo cribro cutaneo excepto.

VI. Opium non ſaltem cauſæ dolorificæ actionem non infringit, ſed potius aliquando eam juvat, e. g. plethoram, circulum auctum, orgaſmum, raptum humorum ad caput; tumque juvamen cauſæ doloris plus ſæpe facit ad fovendum et augendum dolorem, quam imminutio ſenſus ad eum inhibendum.

Dum itaque Opium plethoram magis expandit vimque vitæ excedentem haud compeſcit, ſed magis incitat, rectiſſime ſuaſit de GORTER *Med. dogm. de delirio p.* 22. Opium magis adhibendum eſſe chronicis morbis et doloribus a cauſa frigida. In doloribus calidis a plethora, motu aucto et inflammatione, licet quies et ſomnus ſumme indicari videantur, Opium periculo-

ſos

ſos effectus edere optime aſſerit YOUNG, forte per aliquot momenta ſenſum mali inhibiturum, ut deinde eo ferocius innovetur. Sine dubio illa virgo hyſterica, cui RIDLINVS [c]) ter laudanum opiatum exhibuit, ſemper doloribus auctis et noctibus inſomnibus ſubſequentibus, ac cui omiſſo Opio aliisque remediis uſurpatis ſtatim dolores omnes mitigabantur, ad plethoricas referenda fuit; ſaltem illa occaſionem dedit Cl. Viro, ut obſervationem ſuam inſcriberet: *Opiatis interdum dolor augetur.* Trahi vero huc debent et aliæ ſenſationes moleſtæ, quas Opium cauſam juvans magis auget, quam ſenſum minuendo impedit. Scripſit DIOSCORIDES *lib. VI. c. 17.* epotum papaveris ſuccum, quem meconium vocant, veternum ſequi cum pruritu vehementi et perfrictione, pruriginemque tantam erumpere, ut hominem excitet. Hominemque memorat LORRY [d]) pruritu valde moleſto laborantem, qui grana quatuor Opii ſumſit et tamen ſomnum capere haud potuit. Nonne hic Opium, pruritum propria ſua actione inducens, omni ſua vi ſopiente impar fuit impediendo ſenſui pruritus?

c) *Lin. med. Anno 1695. Febr. obſ. 21.*

d) *Journal Encyclopedique Tom. I. Part. II. p. 71.*

VII. Si dolor ſit conſectarium vel ſymptoma morbi, non morbus ipſe, nec ſymptoma urgens, facile patet, peccare medicum et ſaltem palliationem præſtare, oppugnando ſymptoma et tolerando morbum.

VIII. At ſi dolor ſit morbus princeps, vel ſymptoma urgens et urgentiſſimum; ſi ſit valde acutus et ſævus; ſi diutius perduret; atque ſi metuendum ſit, ne accerſat ſe adhuc graviora ſymptomata, periculique plena e. g. vigilias, febrem, deliria, convulſiones, et per hæc ipſam mortem: ocyus Opio impugnari debet, maxime quando cauſa ſtatim tolli negat.

Reſpexit ad hæc momenta, quamvis in Opio porrigendo ſat timidus, jam priſco tempore GALENVS *XII. de*

de meth. med. c. 1. regulamque Opiatorum uſum prorſus fugientibus et ægros doloribus jugulandos relinquentibus ſcripſit: *Sin ex vigiliis et viribus reſolvendis ad mortis diſcrimen æger tendat, tum profecto tempeſtive ejusmodi medicamentis utare, ſcilicet non ignarus, corporis habitum nonnihil eſſe lædendum, læſionem tamen quam mortem potius eligendam.* Inter recentiores, Opium magnum eſſe dolorum ſedativum in doloribus nephriticis, colicis, podagricis, aliisque ſimilibus, dicit RAMAZZINI *Diſſ. de Abuſu Chin. Operum p. 237.* non quod morbi cauſam tollat, ſed quia gravia ſymptomata compeſcat, vigilias contumaces et ſpirituum diſſipationem, interim reparatis per ſomnum viribus; morbique cauſam deinde propriis remediis removendam eſſe inculcat. Eadem ratione BOHNIVS *de Offic. med. dupl. Part. I. c. 19. p. 360.* quamvis palliativa et temporaria tantum videatur doloris per Opium medela, dum cauſa manet, per eam tamen ſpiritus ad quietem diſponi, viresque per ſubſequentem ſomnum eousque reſtaurari aſſerit, ut cauſæ novæ vel recrudeſcentis novum inſultum ferre, eamque digerere vel eliminare queant. Pulchre etiam monet Illuſtr. van SWIETEN *Tom. I. aph. 229. p. 372.* non ideo vilipendendum eſſe Opium, quia doloris ſenſum ſaltem, non vero cauſam tollit. Magnum enim quid eſſe, in morbis dolorem ſedare poſſe; nilque impedire, ſaltem ſenſum obtundi, cum interim aliis remediis cognita cauſa tolli queat. Addit vero, non ſatis inculcari poſſe, quod licet nullus doloris ſenſus adſit, tamen cauſa manens corpus deſtruere pergat. Memoratu dignum eſt, HOFFMANNVM [e]) mediocrem Opii fautorem non tamen potuiſſe diffiteri, eam ſæpe eſſe dolorum indolem, ut, ſi diutius durent, vires animi et corporis frangendo, morbum alias benignum le-

e) *Med. Syſt. Tom. II. p. 274. 275.*

lethalem efficiant, vel etiam ipſi ſoli mortem inferant. Quare, qui hos Opiatis tollere et tanta pericula avertere ſcit, eum profecto egregiam et fere divinam ægrotantibus opem et ſolamen adferre, dicit. Merito ergo SYDENHAMUS f) inter tres illos affectus, qui Opium ejusque repetitionem quammaxime indicant, primo loco ponit *vehementem dolorem.* Neque hic conſiderandum, a qua cauſa pendeat; ſufficit vehementia, ſive ſit ab acri rodente, a calculo, a verme, a dente carioſo, vel erupturo a nervoſarum partium læſionibus externis, ab ambuſtionibus etc. modo cauſa ipſa non negligatur a medico. Aliquando ſola mobilitas ſolidorum validiſſimas facit contractiones doloroſas, quæ Opio miteſcunt, ut bene annotavit de GORTER *Comp. Med. Tract. XVII. §. 56.*

f) *Operum p. 373.*

IX. Ubi cauſa doloris ſummi latet, aut cognita vel prorſus non, vel ſaltem poſt longum tempus, auferri poteſt; ubi non conducit, vel impoſſibile eſt, ut nervus affectus deſtruatur; ubi emollientia topica, fibram ferendo melius dolori parem reddentia, quæ ſunt univerſalia anodyna, cum aliis remediis, nil faciunt: unum ſupereſt auxilium, ut ſenſorium commune Opio obtundatur.

Ad illos morbos cauſam inſuperabilem habentes, ſummo tamen dolore ſtipatos, ideoque Opio egentiſſimos, a practicis refertur cancer. Plurimi ad palliationem tanti mali anodynis utendum volunt. Ipſe Celeb. STAHLIUS, g) quanquam nihil boni præſtare dicat narcotica in talibus doloribus et corruptionibus, tamen ſaltem jubet cavere ab Opiatorum nimis frequente et nimium copioſo uſu. Sed qui magis hic audiendus eſt Ill. BOERHAAVIUS, h) dolorem Opiata exigere, dicit. Atque eximius ejus commentator van SWIETEN ſerio injungit, ut manente licet doloris cau-

g) *Diſſ. de Cancro p. 26.*

h) *Aph. 508.*

ſa

ſa tollatur ejus ſenſus, et caveantur doloris effectus nonnulli hic metuendi. Niſi enim hoc fiat, adfuturas vigilias, inquietem, jactationem, febrem et omnium malorum augmentum, aſſerit. Verum enim vero, his ſapientiſſimis conſiliis non obſtantibus, perpendere quoque juvat ea, quæ expertus recenſet Cl. YOUNG.*) Dolores in artubus, a cancroſo veneno per totum corpus diffuſo oriundos, certo placari Opio et ſomnum ab eo induci dicit, quanquam illi, exſpirante hujus operatione, redeant. Habet tres ægras ejusmodi doloribus, vel in toto corpore, vel in aliquibus partibus vexatas, quæ ab Opio magnum levamen experiebantur, ſed temporarium ſaltem, cancro ſemper in pejus abeunte et ipſis morientibus. Seponere volebant Opium, ſed vel dolor vel tuſſis eas cogebat, ut iterum ad uſum recurrerent et doſin augerent. Quanquam vero ſomnus magis interruptus et anxius redderetur, tamen levamen dolorum efficiebat, vt crederet YOUNGIVS, nil magis in cancro prodeſſe, quam Opium. Verum nobilis matrona vetula cancro laborans nec Opium, quod averſabatur, nec aliud remedium aſſumere volebat, et tamen per 12 menſes diutius ejus vita extendebatur, ac ipſe putaverat. Dolor erat tolerabilis et placide moriebatur; cum reliquæ juniores et magis vegetæ, quæ Opium aſſumſerant, illius reſpectu, violenta quaſi morte perirent. Hic caſus efficiebat, ut crederet YOUNGIVS, Opium citius ipſis mortem induxiſſe, caloremque cum anxietatibus per noctes excitaſſe. Ichor gangrænoſus ſine dubio ex ejus mente acrior erat redditus; nam dolores deinde majori vehementia redibant, lenitisque iis ad tempus, morbus ipſe augebatur ab irritante ejus indole. Si tali gaudeat Opium, pergit vir clariſſimus, ut vaſa ſeroſa et glandulas obſtruat, humores expandat, totum corpus turgere faciat, glandu-

*) c. 20.

 larum

larum ſalivalium tumores producat, mucum inſpiſſet, calorem et ſitim augeat: mirum non eſt, ipſum ſcirrhoſæ et cancroſæ mammæ, cujus acris ichor adeo cutem vicinam rodit et exedit, graves noxas inferre. Multum, credo, nos movere debent hæc Youngiana præcepta et exempla? Sane utraque faciunt, ut ſaltem largiamur, multa cautione dandum eſſe Opium cancro laborantibus, ſi detur. Dandum omnino eſſe videtur HOFFMANNO,[i]) Opiata anodyna et exterius et interius minus proficere, quia vim putredinis augent; et STAHLIO,[k]) niſi moderatiſſime adhibeantur, ſphacelum aut ſaltem non multum diſparem corruptionis ferociam, inde enaſci. Non ſane hic metus inanis eſt! Scilicet inter remedia potiora cancri quietem ponit BOERHAAVIUS,[l]) quo nomine pacatiſſimum humorum blandiſſimorum per vaſa pervia motum intelligi dicit van SWIETEN,[m]) ut nulla fiat cancri irritatio, nec ab aucto motu, nec ab acribus huc delatis. Solus certe motus circuli auctus ex ſcirrho facit cancrum; quare eodem jam præſente, tanto magis vitanda omnia ſummopere ſuaſit optimus olim præceptor, celeb. PLATNERUS,[n]) quæ humores citant. Certum vero eſt, Opium vere citare circulantia liquida atque efficere, ut in glandulas obſtructas fortiori vi impingant et arietent. Porro etiam Opium humores fervere facit, et acrimonia ipſis inducta pruritum ciet; cumque inter prima ſigna cancri adhuc occulti accedens loco ſcirrhoſo titillatio et pruritus referatur, atque omne id, quod ulla ratione acres humores reddere poteſt, prorſus ab ægro abeſſe debeat: facile patet, his reſpectubus Opium non adeo conveniens eſſe cancro levando remedium. Quando vero non minus certum eſt, dolorem quemvis vehementem motum auctum et febrem ciere poſſe, aliaque mala invitare, quæ calamitoſas

ægri

i) *Diſſ. Praxin clinicam morborum ex vitio glandularum latente p.* 27.

k) *loco cit.*

l) *Aph.* 506.

m) *ad aph.* 507.

n) *Inſtit. chirurg.* §. 272.

ægri conditiones ad ſummum apicem evehunt: iis avertendis, ſi malum ex hoc viſionis puncto conſideretur, Opium impar haberi, ſatis perſpicitur. Rectiſſime ſcribit YOUNG: Omnes medici conveniunt, cancrum per ea omnia, quæ circulum ſanguinis celeriorem reddunt et calorem augent; per motum muſcularem, per lautum victum, potus ſpirituoſos et vehementes animi turbas exacerbari. Si hoc verum fuerit, ut eſt veriſſimum, neceſſario Opium ad cancrum levandum magis obeſſe debet, quam prodeſſe, cui potius diæta lenis, parca et refrigerans competit. Quodſi etiam dolor urgentiſſimus Opium clamare videatur, ex hucusque expoſitis clariſſimum redditur, dubiam valde eſſe ejus exhibitionem, niſi judicare ſciverit artifex, num indicatio aut contraindicatio præponderet. Ipſe in utramque partem reſpiciens hæſi aliquando inter ſacrum et ſaxum, atque ut nil diſſimulem, non niſi miſerum et cito evanidum levamen in duabus fœminis, in quarum curatione maxime ad effectus Opii attentus eram, ab eodem obſervavi. Meretur vero tremendum hoc mali genus, hactenus, ſi ancipitis tamen etiam eventus exſtirpationem excipias, inſanabilibus eheu annumeratum, ut experiamur uſum mercurii ſublimati, ad granum dimidium in uncia una ſpiritus frumenti ſolutum; quod remedii genus ad cochleare unum vel duo mane et ſero adſumtum, tanquam certum cancri antidotum laudat van SWIETEN in epiſtolis ad Joſephum BENEVENVTVM, et GMELINVS in diſſ. Tubingenſi, ſpecificam methodum recentiorem ſanandi cancrum exhibente. Vtinam ab Ill. STOERCKIO inventa cicuta, ſi juverit cancro laborantes, ut obſervationibus docetur, ſemper juvaret! ita enim et Viennæ et alibi de aliis remediis, horribile malum ſanare aptis, ut cogitaretur, inane et ſupervacaneum eſſet. Multa ab arſenici

ſenici cauta externa et externa inhibitione promittit le FEBVRE; ſi autem verum fuerit id, quod in calce libri, titulum gerentis: *Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch practiſcher Aerzte II. Band IV, Stück*, legitur, per aliquot relationes conſtare, hoc remedium in Gallia prohibitum eſſe; facile clarum eſt, quid de eo ſit ſtatuendum. Tutius ſane vix haberi poterit in ſanatione cancri, quam in ſanatione febrium intermittentium deprehenſum eſt.

Peculiare caput decimum nonum YOUNGIVS deſtinavit conſiderationi effectuum Opii poſt operationes chirurgicas. Ante amputationes duabus vel tribus horis exhibitum Opium corpori et animo vires addere, atque ſpaſmodicos motus, in ſubjectis tenerioribus et ſenſibilioribus praecavere affirmat, licet dolores ſub ipſa operatione perferendos non minuat. Verum ſi amputationem paſſis aut, ut capite viceſimo exponit, poſt fracturam oſſium, pro dolore leniendo porrigatur, id evidenter nocere notat, cum ſomnum turbulentum cum pavoribus inducat et inflammationem partis adaugeat; tamen ſi ob coſtae fracturam tuſſis vehemens urgeat, illam a nullo alio quam ab Opio placari, monet, quod neceſſarium eſſe monſtrat, quia violenta pectoris concuſſione quies ad coaleſcendum oſſi requiſita turbaretur.

Melius, ac cancer, amputationes et oſſium fracturae, ferunt pro palliatione Opii uſum repetitum alia mala doloroſa, remotionem ac ſanationem plenariam reſpuentia. Matronam ulcere inteſtini recti et cervicis uteri laborantem, et virum, cui calculus ſuperveniente inflammatione inteſtinum perforaverat, Opiatis perdiu ſuſtentatum, recenſet LVDOVICI *Miſc. Nat. Cur. Dec. I. Ao. V et VI. obſ.* 207. quae inſcribitur *de innoxia Opiatorum continuatione.* Ipſe cognitum habui jure-

jureconſultum, per multos annos immani veſicæ ſpaſmo ad omnia multorum medicorum conſilia rebelli vexatum, cui doloribus vix amplius ferendis ſacra anchora erat Opium. Novi quoque bene, quantum ipſi dederit fœmina cardialgia per annos laborans, de qua verba feci *Part. I. c. II. p. 148.* Atque in caſibus omnibus ſimilibus cum Illuſtri van SWIETEN *Tom. I. p. 371.* laudanda eſt divina miſericordia, quod talia auxilia hominibus conceſſerit, ut dolores enormes, quorum cauſæ tolli nequeunt, vel non niſi longa temporis mora enervari poſſunt, ſopiri poſſent pro tempore. Id ſaltem incommodi habet hæc Opium repetitis vicibus exhibendi neceſſitas, quod doſes ſemper debeant augeri, ut levamen inſequatur, et quod Opium effectus quosdam edat, quos nec æger nec medicus deſiderat, quibus adeo hic, ſi ſatis ſagax eſt, ſemper proſpicere tenetur.

Atque hæc ſunt momenta præcipua, quæ ſemper ponderari debent in curatione doloris; niſi forte medicus parum vel non ſatis ut decebat attentus ad ea omnia, quod de methodicis antiquis refert GALENVS, [o]) forte gloriari velit, uſu narcoticorum, quanquam etiam mors ſequeretur, ſe tamen ſublato dolore morbum abegiſſe.

o) *lib. II. ad Glaucum c. 2.*

§. III.

Pleuritis.

Jam ad ſpecialem dolorum conſiderationem tranſire fas erit, ubi quidem primus locus pleuritidi dandus, quam ſupra in tractatione de febribus inflammatoriis omiſſam, ob ipſum ſummum dolorem, quo ſtipatur, huic capiti reſervavi. Opium et varia pharmaca, quæ id ingreditur, pleuritidi ſanandæ deſtinata fuiſſe a longo inde tempore ad noſtrum ævum uſque, ſat certum eſt. Neque poteſt aliter fieri, quin medico ejulatubus ægri auſcultanti et de nulla alia re niſi unice de acutiſſimo dolore levando cogitanti, ocyus exhibendum occurrat Opium. In pleuritide certe phi-

a) *de Comp. Med. lib. IX. c. 4.*
b) *Pr. Med. lib. I. c. XL. §. 26. 27. 28.*
c) *Pharmacevt. rat. Part. I. Sect. VII. c. 2. p. 192. et Part. II. Sect. I. c. 9. p. 110. ubi tamen rarius expedire dicit, ut ad laudana adſcendatur.*
d) *Opiol. p. 111. 112.*
e) *in Pharm. mod. Sec. appl. p. 148.*
f) *Med. Syſt. Tom. IV. ſect. II. c. 6. p. 437.*
g) *Operum T. II. p. 226.*
h) *Noſolog. method. T. II. Part I. p. 451. 461 462.*

philonium uſurpatum fuit GALENO,[a]) quem in ejus verba jurantes per ſecula ſecuti ſunt. Recentiori ævo SYLVIVS,[b]) ſudoriferis pleuritidem curandam ratus, theriaca et laudano opiato uſus eſt. Deinde WILLISIVS[c]) illorum affectuum catalogo, in quorum curatione pro panacæa divina habendum eſſe Opium inculcat, pleuritidem ſolerter inſeruit. WEDELIVS[d]) vero plane inter ſpecifica antipleuritica Opiata retulit, per eſſentiam ſuam anodynam cum tinctura bezoardica remixtam, pulveremque ex fixis abſorbentibus etiam ſpecificis habitis, dent. apri mandib. luc. piſc. et laudano opiato compoſitum, adeo absque ulla VSe (quam tamen non una ſaltem vice ſed pluribus repetitam princeps remedium hodie habent omnes,) reſtitutos pleuriticos declarans. Et hoc ipſum pene iisdem verbis aſſeveravit LVDOVICI.[e]) Miror valde, fidiſſimum præceptorem HOFFMANNVM[f]) in impenſiore pleuriticorum dolorum ferocia et ætate juvenili, poſt emulſiones papaveraceas, conceſſiſſe diaſcordium Fracaſtorii, cui tamen nitrum admiſceri ſuadet. Præter HOFFMANNVM maximi nominis medicus HUXHAMVS[g]) Opiatis in pleuritidis medela internis et externis non parum favet, quod et facit SAUVAGES.[h]) Atque hos et alios duces ſecuti ſunt, et ſequuntur ad hunc diem, medicinam facientes haud pauci.

§. IV.

An huic morbo Opium conferat, diſquiritur.

Ut autem dijudicemus accuratiſſime, an vere commendari mereatur Opium in curatione pleuritidis, an minus: primo conſiderandum eſt, morbum hunc ſumme doloroſum non reſidere in inſenſibili pleura, ut vulgo creditur. Id certe vel ex eo clarum redditur, quod pleura durante exſpiratione extendatur, in pleuritide autem ſub inſpiratione dolor exacerbetur, adeoque pleuritici multum doleant, quando pleura minus patitur, et remiſſius doleant, quando pleura extenditur. Rectius BOERHAAVIUS *) morbo huic præci-

*) *in Comment. ſuo ad aph. 877.*

ci-

cipuum locum eſſe docuit in muſculis intercoſtalibus, per quos utique notabiles rami nervorum intercoſtalium decurrunt acutiſſimæ ſenſationi progignendæ pares. Forte vero etiam ad ipſos pulmones extenditur pleuritidis territorium.[a]) Præterea ſciendum eſt, in pleuritide dolori ſemper jungi febrem acutam, ſine qua ſimplex adeſt dolor laterum, nulla adhuc pleuritis vera, id eſt nullus morbus inflammatorius. Porro adhuc animadverti debet, quod præ aliis autoribus cum cura notavit BOERHAAVIUS[b]) et van SWIETEN,[c]) febrem ſæpe notabili tempore præcedere dolorem pleuriticum, raroque vel nunquam pleuritidem emergere, niſi prægreſſa febris antea lentum illud inflammatorium, in maſſa ſanguinis jam præſens, detruſerit in loca intercoſtalia, quod ad alia quæcunque delatum omnes alios potuiſſet ingenerare morbos inflammatorios. Non eſt ergo dolor in pleuritide cauſa febris, ſed febris eſt cauſa doloris, dum hæc lentum obſtruens deponit in arteriarum apices, quod dein eas diſtendit et expandit, tantoque majori violentia, quo magis a tergo impetus ſanguinis urget, qui increſcens dolorem ſummum excludit. An jam ideæ tali doloris febrilis pleuritici reſpondet Opium? Sane veræ intentiones pro eo tollendo debent occupari in auferendo lentore phlogiſtico. Ergo eo erit allaborandum: 1) ut lentor hic impactus, tendens et diſtrahens vaſa, attenuetur et ſolvatur; 2) ut vaſcula obſtructa relaxentur, quo lenta moles facilius loco moveri et tranſire poſſit; 3) ut impetus vitalis, nimius excurrens in locum affectum, atque ſic dolorem valde exacerbans, minuatur; 4) ut, ſi plena reſolutio lentoris impoſſibilis, cocti excretio a natura indicata per idonea organa ſuccedens juvetur. Ad nullam harum indicationum facit Opium, ſi rite conſideretur. Attenuat equidem illud ſanguinem, verum eſt, non inſpiſſat, ſed ita tamen, ut ſimul inducat orgaſmum et calorem, ut ſimul augeat febrem; præferenda igitur poſt VSem et impetum minuentem et ſimul-

a) *Vide Hoffm. Med. Syſt. Tom. IV. p. 426. Haller opuſc. pathol. obſ. 13. Triller de Pleurit. aph. 1. 2. 3. 4. et cap. I.*

b) *Aph.* 884.

c) *Tom. II. aph* 593. *p.* 80. *et Tom. III. aph.* 834. *p.* 18. *et* 20.

mul, ſi repetatur, ut decet, magnam copiam lentoris auferentem, attenuantia refrigerantia, nitrum, acetum, mel, calido attenuanti Opio. Sane per ipſa dogmata HECQVETI, [d]) tantopere licet Opio alioquin faventis, tantæ viſciditati, quæ extractum ſanguinem ex vena pleuritici ægri cruſta denſa, tenaci, inſtar corii porcini tegit, Opium haud convenit. *Craſis ſanguinis ſolidior*, inquit, *et coriacea, qua præſente non fluidum ſolido continetur, ſed ſolidum ſolido, quæque virtuti cordis et arteriarum reſiſtit, non patitur exhibitionem Opii. Tum enim totam ſanguinis maſſam turgere faceret, curſumque ejus augeret, cruorem urgeret in capillaria, ibi figeret, et eodem modo, ut ſudorifera calida, ſomnos phlegmonoideos et ſimiles ſiniſtros effectus ederet.* Ut vero attenuans humores Opii virtus ad pleuritidem ſanandam non quadrat, ita et nec illa, qua cœteroquin villos ſtrictos relaxat. Deſideratur hic laxatio extremitatum arterioſarum, in quibus liquidum coriaceum hæret; ſed ad illas virtus relaxans Opii non extenditur, utpote quod, dum circulum auget in toto ſyſtemate arterioſo, contractioni potius fibrarum ejus fortiori, quam relaxationi anſam ſuppeditat. Magis hic juvant fomenta emollientia, parti affectæ ſolerter applicata, a quibus obſtructi canales molleſcunt et ita trajiciendis viſcidis moleculis aptiores redduntur. Quid vero de retundendo impetu vitali dicam, qui, ſi ſervandus æger pleuriticus eſt, ſumma cura reſpici debet, ut vaſis obſtructis haud diſruptis et detritis, ſed ſalvis et integris manentibus, obtineatur aut blanda reſolutio, aut cocti et moti per congrua loca evacuatio critica; aliter enim emergens vel ſuppuratio, vel gangræna, vel lentam vel ſubitam mortem poſt ſe trahit? Scitur vero, Opium, tantum abeſt ut vim circuli excedentem minuat, potius exceſſum inſita ſua poteſtate juvare, quem VS. præ aliis remediis potenter coercet. Sed dicet forte amator hujus remedii, id, ſi cauſam etiam morbi non expugnet, ſi indicationibus ad ejus remotio-

d) *p. 111. 112. 113. 114.*

tionem facientibus haud reſpondeat, obtundere tamen ægri triſtiſſimum ſenſum, atque nil noxæ adferre, ſi cum VSe, nitro, oxymelle et aliis veris antipleuriticis, cauſam directe oppugnantibus et indicationibus adductis ſatisfacientibus, ſimul trahatur in uſum, magnumque tunc ſolamen pro ſummis doloribus impetrari. Ita ſtatuere videtur SAUVAGES, qui vero apparatui optimorum remediorum antipleuriticorum Opium adjicit. At vero vel phlebotome ſola, cujus reiterandæ neceſſitatem recentiori ævo toties inculcarunt viri ſummi, ut eleganter monet Illuſtr. van SWIETEN,[e]) dolorem pleuriticum intolerabilem, impetum et velocitatem circuitus minuendo, etiam ad animi deliquium inſtituta, illico ſæpe tollit, vel ſaltem plurimum levat, ut adeo in talibus caſibus anodyno Opio non opus ſit. Deinde Opium junctum indicatiſſimis remediis eorum operationi non favet, ſed potius e diametro contrariatur, ut in antecedentibus C. II. §. 13. liquido evici; juvandoque cauſas veras doloris, rarefactionem, calorem, impetum febrilem, plus forte addit ipſi dolori, quam ſubtrahit, minuendo ad tempus ſenſum, dum fomenta emollientia, amice conſpirantia cum actione aliorum remediorum, ſummum doloris lenimen experientia teſte elargiuntur. Ex his omnibus ſimul clarum reddi debet, ſi remedia vera antipleuritica non ſufficiant in graviore malo arcendæ ſuppurationi et gangrænæ, et hanc et illam tanto certius excludi, ſi iis addatur calefaciens et impetum augens Opium; hocque, ſi vera remedia ſuffeciſſent, ſuo acceſſu efficere, ut non ſufficiant; cum retuſus impetus febris ad definitum gradum, reſolutioni proficiens, ſuppurationem et gangrænam unice præcaveat, auctior utramque promoveat et juvet. Sed magnum momentum adhuc ſupereſt, Opii uſum pleuriticis noxium eſſe, luculenter monſtrans. Pereunt illi, malo ad ſummum vehementiæ gradum evecto, non tam inflammatione et ejus ſequelis, ſed potius ſuffocatione, reſpiratione ob ſummum

e) *Tom. I. aph. 228. p. 366.*

dolorem præpedita, et pulmone eapropter per moras in eo nectentem ſanguinem penitus oppleto. Conſtitit vero Sect. I. Cap. II. per Experient. IV, et ſuppeditatam Cap. V. hujus experientiæ ætiologiam, Opium ſua indole et in ſanis reſpirationem citatiorem et difficiliorem reddere, ſanguinemque in pulmonibus accumulare eousque poſſe, ut cum reſpiratione tandem ipſa vita terminetur: quis ergo non animadvertit, non periculoſum ſaltem eſſe Opii uſum in pleuritide, ſed adeo mortiferum evadere poſſe? Hæc omnia, ſi fautoribus Opii nondum ſufficiant, cogitanda ipſis relinquo, quæ tradit Illuſtr. van SWIETEN. [f]) *Dum in dolentiſſima pleuritide*, inquit, *narcoticis compeſcitur dolor, ſæviſſima inflammatio pergens vaſa affecta deſtruere gangrænam facit, et evigilans a ſomno ſuo homo ſæpe moritur ſubito. Funeſtus talis eventus tunc adſcribitur his auxiliis, cum tantum inde factus fuerit, quod ægri querelis non admonitus medicus male crediderit, lenitum morbum eſſe, cum tamen æquali imo majori forte aliquando violentia poſt hæc remedia exhibita pergat. Dum enim ſuppreſſo omni motu animali ſic profundus ſomnus inducitur, vitales motus augentur; ſed in morbis inflammatoriis jam peccabat nimia velocitas vitalis motus: unde nunquam tutus videtur eſſe in his narcoticorum uſus, niſi validis evacuationibus præmiſſis per VSem jam fractus fuerit nimius morbi impetus.* Vigili itaque medico et ægro haud ſopito opus eſſe conſpicitur, ut morbus ſuperetur feliciter; dum vero VSibus repetitis et aliis congruis remediis is, ſi ſuperabilis eſt, una cum dolore prorſus ſuperatur, ne quidem poſt ea jugiter uſurpata, opus fore Opio intelligitur.

f) *Tom. I.* §. 229. *p.* 372, 373.

An modo, quo judicatur. Non debeo oblviſci morbi ſolutionum, atque quomodo ad has ſeſe habeat Opium ſolerter inquirere. Ad has ſpectant hæmorrhoides, urina hypoſtatica, fluor alvi ante 4 diem, abſceſſus poſt aures, dolor alium locum occupans et ſputum. Ad nullam vero harum vel metaſtaſium vel

ex-

excretionum criticarum promovendam Opium aliquid facit; aliquas earum potius manifeſte turbat et impedit, fluorem alvi et ſputum præcipue, quod niſi vehementer fallor maxime attendi debet, cum reliqui ſolutionum modi rariores ſint, expectoratio vero plerumque morbum ſolvat. Ill. STOERCK *) plurimos pleuriticos ſputo judicatos obſervavit, paucos alvo. Cel. COLLIN interea nullum curatum ſolis ſputis, omnes enim circa 7 et 9 diem criticam alvum depoſuiſſe, notat. g) Non neſcio, dum hoc ſcribo, auctorum multos ad peripnevmoniam equidem, minus autem ad pleuritidem, ſputum referre; in hac potius poſſibilitatem ſolutionis per ſputum aut negare, aut ſi admittant, cum LANCISIO, qui ex venæ azygos aſperæ arteriæ annexæ cœcis meatubus, ſub hoc morbo recluſis et ejus cavo exſpuendam materiem morbificam coctam inferentibus, eam deducit, mire ſe torquere, ut anacatharſin vere ſuccedentem explicent. *) Certum eſt, veteres ſputum in pleuritide commemoraſſe; unumque HIPPOCRATEM h) et ARETAEUM i) citaviſſe ſuffecerit. Miror, SYDENHAMUM k) tantopere contrariari moliminibus pro expectoratione, cum tamen pleuritidem deſcribere aggrediens diſertis verbis de anacatharſi mentionem faciat, et ſi libere ſucceſſerit, febrem, tuſſim et dolorem ſenſim minui profiteatur. At ſi omnia bene expendantur, quæ habet, ſaltem taxat methodum illorum, qui ſine VSe ſolis forte expectorantibus perperam morbum curare aggrediuntur. Atque hos etiam tantum ferire poteſt ſcoptica FREINDII l) correctio, quando ſe non intelligere dicit, cur, qui in pleuritide hanc tantummodo medendi viam ſequitur, non etiam in pedum inflammatione ſputum moventia præſcribat. Sed impoſuit optimo huic et doctiſſimo viro hypotheſis, de pleura ſede pleuritidis, eaque effecit, ut non ſaltem operoſas dilucidationes de rejiciendo ſputo antea pulmonum tunicis ex pleura imbibito, deque ejus materie in ſanguinem reſorpta venæ azygos vertebraliumque

*) *Anno med. I. p. 35.*

g) *Anno med. III. p. 15.*

*) *Vid. Lancisii diſſ. epiſtolaris de vena ſine pari, et diſſ. Cl. Læſcheri de Mechaniſmo venæ azygos pleuritidis cauſa.*

h) *In Prognoſt. Charter. Tom. VIII. p. 640. 641. 644.*

i) *Morb. Acut. lib. I. c. 10.*

k) *Sect. VI. cap. III. toto.*

l) *Comment. V. de febribus.*

et bronchialium arteriarum beneficio, pro fabulis habuerit; ſed et ipſum ſputum, quomodocunque ſuccederet, in pleuritide ſimplici haud agnoverit. Ejus autem domicilium cum in pulmone potiſſimum ponant Cel. HOFFMANNVS[m]) et TRILLERVS,[n]) cum veritate ipſius expectorationis criticæ in pleuritide, etiam poſſibilitatem melius introſpexerunt. HOFFMANNVS certe nullius alius criſeos, quam quæ fit per ſputum cum ſubſequente ſudore, meminit;[o]) et in methodo medendi TRILLERVS[p]) de pectoris purificatione, quam natura occipit, ſolerter juvanda ita loquitur, ac ſi non niſi una hac et ordinaria via pleuritis judicaretur. Id ſi ita ſeſe habuerit, quemadmodum et ego raro aliter quam ſputo cito largoque hunc morbum perſanatum vidi, ſatis opinor certum eſt, vel hujus ſolius intuitu, Opium felici medelæ prorſus inimicum eſſe. Conſtitit ſcilicet hujus tractatus Sect. I. c. II. Eper. XIII. Opium omnes excretiones ſeroſas extra vaſa, ad quas mucoſum ſerum in cellulas bronchiales et ipſa bronchia ac tracheam depoſitum, expectoratione deinde excernendum, omnino pertinet, efficaciter compeſcere; id quod in propriis ſuis corporibus obſervarunt YOUNGIVS et HALLERVS; ſenſumque harum partium obtundendo ſimul pacare tuſſim, cujus concuſſu mucus collectus ejiceretur, adeoque anacatharſin in capitale ægrotantis damnum inhibere. Equidem Illuſtr. de STOERCK,*) ſi a tuſſi moleſta noctes turbatæ fuerint, tunc veſperi datum hauſtum ex olei lini ℥jjj laud. pur. gr. jß tuſſim ſedando, ſomnum conciliando, effeciſſe dicit, ut ſputa matutino tempore facilius et largius prodirent. Puto tamen, hoc intelligendum eſſe, quando agenda jam acta ſunt et quando tuſſis inanis eſt. Sine VSe iterata, ſine attenuantibus viſcidum ſat diu et largiter in uſum vocatis, atque anacatharſi cum levamine doloris et febris facile ſuccedente, Opium, quod admiſto oleo equidem remiſſius, ſed per ſe ſemper ea doſi expectorationem potenter inhibet, ipſe

m) *Diſſ. de Pleuritide et Peripnevmonia, ad quam in Med. Syſt. cap. de febribus pnevmonicis provocat.*

n) *de Pleuritide c. I.*

o) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. ſect. II. Cap. VI. p. 431.*

p) *c. IV. §. 6. 7.*

*) *Anni med. I. p. 35.*

ipſe vir eximius non facile porriget. Atque hanc ipſam ob cauſam ſuſpectum jam olim Opium fuit TRALLIANO,[q]) qui fugiendum diacodium et philonium in pleuritide voluit, maxima pericula illaturum, humores eductioni contumaciores redditurum et vires dejecturum. Non aliter ſenſit RIVERIVS[r]) practicos coarguens, qui urgentibus vigiliis exhibere audent narcotica, ut philonium romanum et laudanum opiatum. Verum talia in hoc affectu pernicioſa eſſe dicit, cum ſputum retineant et pectus coarctent, unde non raro præceps exitium conſequatur. Limitari equidem deinde hoc ſuum aſſertum ſatagit, et in dolore vehementiſſimo, tuſſi moleſta et inani, in perexigua doſi felici cum ſucceſſu narcotica exhiberi poſſe contendit; ſed in principio morbi eadem ſaltem convenire affirmat, tunc enim humorem influentem in partem cohiberi poſſe et morbi incrementum impediri putat. Verum quam falſum hoc ſit, ex antecedentibus omnibus a me demonſtratis abunde conſtat, cum Opium in principio morbi datum influentem humorem in partem potius majori vi adigat, et morbum mirum quantum increſcere faciat. Dignum notatu eſt, SYDENHAMVM tantum Opii fautorem nullam in therapia hujus morbi ejus mentionem injicere;[s]) imo vero tuſſim epidemicam deſcribentem, cui pleuritis, quod notandum, nondum juncta erat ſed demum ſuperveniebat, diſerte annotare, quod non periculo vacaverit, narcoticis atque anodynis tuſſim aggredi, cum tunc inviſcata ejus materia halitus iſti, ut loquitur, qui a ſanguine placide ac ſenſim diſcedentes tuſſiendo in auras abituri fuiſſent, jam exitu negato in cruoris maſſa præcluſi febrem ibidem cierent.[t]) Omni etiam tempore in ſananda pleuritide Opium diſplicuit BOERHAAVIO.[u]) Eapropter candide edixit diſcipulis, attendendum eſſe, quod Opium tres ſemper producat effectus: 1) quod calefaciat; 2) quod hoc calore nimio nato plus rarefaciat et moveat liquida; 3) quod hebetet illud, quod dolorem facit.

q) *lib. VI. c. 1.*

r) *Lib. VII. c. II. p. 251.*

s) *Sect. VI. c. III.*

t) *Sect. V. Cap. V. p. 308.*

u) *in Comment. ſuo in aph. 610.*

Hinc

Hinc nunquam dandum eſt, inquit, *Opium, niſi quando ſcimus nos dediſſe remedia, quibus ſublatus fuit nimius impetus morbi; aliter Opium nos ſemper fallet, ut accidit multis medicis in cura pleuritidis.* Habet omnino vir ſummus in apparatu remediorum antipleuriticorum dolorem lenientia et ſopientia,[x]) ſed in materia medica ultra papaver noſtras non adſcendit; cujus veſtigia ſequens Ill. commentator van SWIETEN, cujus dehortationes ab Opio alia occaſione promulgatas jam in antecedentibus retuli, flores papaveris et ſyr. ex capitibus commendans: *validioribus narcoticis acuti doloris ſenſum ſopire velle, minime tutum eſſe*, ſcribit.[y]) Sed plane in pleuritide, ut in omnibus inflammationibus internis, Opium abeſſe vult YOUNG; *) et rotunde Opiata ſine exceptione omnia in hoc morbi genere exitiabilia atque internecina declarat eruditiſſimus TRILLERVS,[z]) quod caput tentent, febrilem æſtum augeant et pectoris expurgationem impediant. Immo vero ac ſi in ſua *ſuccincta commentatione de pleuritide*, quam in tractatione de hoc morbo merito multis elogiis commemorat Ill. van SWIETEN, hoc argumentum non ſufficienter proſecutus eſſet, data opera peculiarem diſſertationem *de ſuſpecta Opii ope in pleuritide curanda* publici juris fecit vir litteratiſſimus. In hac exquiſito ſtudio, quid de uſu hujus remedii in pleuritidis medela, ab ultima antiquitate ad noſtrum ævum, ſtatuerint celebres in arte viri, eleganter exponit, atque, de mea tenuitate paſſim nimis honorifice ſentiens, Opiatorum noxas ita ob oculos ponit, ut cœcutiat plane, qui eas clariſſime introſpicere haud valet. Si circumſpecte dentur, locum ea habere poſſe, equidem ait recentior ſcriptor Cl. PRINGLE;[a]) at vero, dum cautiones addit, ea vere in totum diſſuadet. Scilicet ſuccedente expectoratione aliquando opus fore vomitorio dicit, ut pectus ab onere muci viſcidi liberetur. Quam valde igitur ſub ea rerum facie, quæ tantum ſtimulum vult, oberit exhibitum omnem naturalem ſenſum in bronchiis et trachea obtundens Opia-

x) *Aph.* 890.

y) *in Comment. Tom. III. §.* 890. *p.* 44.

*) *c.* 34.

z) *de Pleur. p.* 45. 46.

a) *de Morbis militum Part. II. Cap. II. p.* 166. *edit. germ.*

Opiatum! Quam ſæpe hoc poſſet efficere, ut liberum antea ſputum, jam præpeditum et omne pectus gravans, flagitaret emeticum, quo Opio haud exhibito non opus fuiſſet! Porro PRINGLIVS, quamdiu pulſus durus eſt, reſpiratio difficilis obſervatur ac pervigilium a febre pendet, Opiata manifeſtum damnum inferre notat; ſi vero febris tranſiit et ſomnus ſaltem a catarrho tenui arceatur, Opiata et quietem allatura et expectorationem promotura aſſeverat. Verum dico ego, in caſu hoc poſteriori non amplius adeſſe pleuritidem; ſufficit in priori, ubi vere adeſt, celeberrimum virum noxium declarare Opium, atque pagina antecedente omnia calida diaphoretica abſolute damnoſa denominare, inter quæ Opium certe primas tenet. Quod miſcelam oxymellis ſquillitici et Opii ab eodem, ubi mucus nimia viſciditate laborat, laudatam attinet, fateor illam mihi haud arridere: aut enim ſtimulans expetitur, aut ſopiens; oxymel ſquilliticum minuit vim Opii, Opium minuit vim hujus oxymellis, atque connubium hoc facit, aut ut binæ vires quaſi ſtent in æquilibrio, aut ut alterutrius earum actio pro doſeos differentia maximam partem caſtretur. Præſtat, unum remedium indicatum exhibere et alterum non indicatum omittere; aliter enim expectorationem eodem temporis momento volo et nolo. Puto ex omnibus, quæ hactenus diſputavi, liquido conſtare, me in pleuritide ſananda neutiquam Opium admittere. Contrarium autem neſcio an ſibi perſuaſerit Excell. QVARIN,*) TRILLERVM citans ab eo dehortantem et addens, *licet* TRALLES *notet, quod verſus occidentem conſiti Belgæ Opium facilius aliis ferant.* Sive autem hoc verum ſit, ſive falſum, me ideo in pleuritide non probaſſe Opium, facile largietur vir egregius. Ego potius, ex quo a 44 annis artem exercui, ſat ſæpe per DEI gratiam ſanavi ſanabiles pleuritides, etiam ſat graves, methodo Sydenhamiana et Boerhaaviana, neque ulli ægrorum ob rationes explicitas exhibui tantillum Opii, in doloribus mitigandis tamen

*) *Methodo medendarum inflammationum p. 82.*

men non infelix. Lætatus deinde ſum impenſe, cum in doctiſſimi TRILLERI libello ſimilem apparatum remediorum, ſat ſimplicem, ſed et ſatis et unice efficacem offenderem. Neque ſine ſucceſſu mihi uſurpata fuit laudata toties ab amantiſſimo præceptore HOFFMANNO camphora cum nitro, poſtquam præcipue Illuſtr. WERLHOFII et BERGERI [b]) obſervationes in meos uſus converteram. Nunquam vero, niſi præmiſſa ſemel vel bis VSe, exhibitisque attenuantibus, iter humorum liberius et ſtaſeos diſcuſſionem impetratu ſic faciliorem præſtitiſſem, pulſu exiſtente parvo et debili, illam in uſum vocavi. Evaſit hac methodo ſanatus nuper demum inter noſtros ſpectabilis mercator, quod adhuc miror, ſine ſputo, ſineque ulla alia criſi; quinta VSe miſſus ſanguis eandem adhuc exhibebat cruſtam inflammatoriam, ac prima; ſexta die delirare incipiebat, ſervabatur tamen fomento antiphlogiſtico, oxymelle, nitro et camphora. Effectum veſicatorii, Opio ſopienti in ſua actione e diametro oppoſiti, quod parti affectæ applicandum vult MEAD [c]) et PRINGLE, [d]) aliquoties talem non fuiſſe expertus ſum, qui a viris his celeberrimis prædicatur. Bene interim recordor profuiſſe ſuaſu meo BAGLIVUM [e]) ſequentis viro, ſtrictiore habitu corporis prædito, applicita ſuris duo veſicatoria, cum non obſtante omni apparatu medicamentoſo antipleuritico, hactenus in ſubſidium vocato, ſuffocationi proximus videretur, viresque expectorationi inſufficientes eſſent. Non audeo vocare in dubium experientias MEADII et PRINGLII atque, ad quem MEADIVS provocat, MAYERNII, circa utilitatem veſicantis, mox ſub morbi initium ipſi parti affectæ admovendi. Noto ſaltem, non minus per experientias et experimenta conſtare, cantharides augere impetum humorum circulantium, corpus magis calefacere, partem cui adjacent inflammare, irritare ſtimulo ſuo ſenſiles fibras, humores noſtros equidem diſſolvere, ſed in liquorem alcaleſcentem et ichoroſi

quip-

b) *Commerc. litt. Norimb. Ao. 1734. hebd. 33. 34. 47. et 1735. hebd. 4.*

c) *Monit. med. p. 22.*

d) *loc. cit.*

e) *Prax. med. lib. I. c. 9.*

quippiam habentem. Non igitur niſi trepida manu admoverem pleuritici lateri veſicans, in quo ob violentam febrem, doloremque ſummum, urinam parcam et valde ſaturatam, abitum inflammationis in gangrænam, vel et in ſuppurationem ſaltem metuerem. Plenius de hoc argumento egi in commentatione mea *de uſu veſicantium in febribus acutis.* Magis videtur uſus ejusmodi emplaſtri valde irritantis indicatus, quando vis vitæ languet, impetusque humorum in locum affectum nimis torpidus ſolutioni et diſcuſſioni molis ſtagnantis inſufficiens futurus judicatur. Sane ſaltem poſt impetum excedentem VSibus minutum, nullisque putredinis ſignis in urina et fæcibus alvi præſentibus, dolore adhuc perſeverante et pulmone oppleri incipiente, lateri applicatum veſicatorium profeciſſe vidit van SWIETEN,[f]) et in ſimili caſu ipſe cum ſucceſſu admoveri fecit. Dolore non remittente, ægrisque ita debilibus, ut VSem amplius non ferrent, opportune demum latum veſicans parti dolenti applicatum fuit cum fructu a Cel. COLLIN;[g]) ab uno tamen eorum, lethalem gangrænam avertere non potuit. Ill. de STOERCK, ſi dolor punctorius, factis neceſſariis venæſectionibus et pulſu moderate febrili exiſtente, atque alvo libera, non remiſit, tunc nulla diei habita ratione veſicans, æque latum ac plaga dolens, appoſitum dolores mox ſedaviſſe, recenſet.[h]) Taceo plures, quos in commentatione mea *de veſicantibus* ea dextre applicare gnaris adduxi. Meretur omnino attentionem methodus Ill. de HAEN, qui in deſperatis pleuriticis, quod notandum, poſt copioſas evacuationes, epotum cum Opio oleum et amplum ad dolentem plagam veſicans laudat.[i]) Recordor fœminæ laxæ, pallidæ, cacochymicæ, leucorrhœa adfectæ, tandem pleuriticæ, cum febre mediocri. Tribus VSibus ſanguis detractus cum corio multo et denſo. Data omnia reſolventia congrua, applicata fomenta; ſed perdurabat nihilominus pertinax dolor, nulla criſi ſeſe mani-

f) *Comment. Tom. III. §. 890. p. 48.*

g) *Anno med. III. p. 11.*

h) *Anno med. I. p. 34.*

i) *Rat. med. I. p. 40.*

nifeſtante, ſed et ſine ulla febre, quæ lentum ſtagnans coquere potuiſſet, urina etiam naturali ſimili exiſtente. Hic ſane locum idoneum eſſe credebam, ut veſicatorii mentionem injicerem; ſed quia id valde horrebat ægra, oleum amygd. cum camphora loco dolenti applicabatur, pulveresque camphorati deglutiendi exhibebantur, ſelteranis pro potu inſervientibus: ſicque tandem malum ſuperabatur.

§. V.

Cephalalgia.

Alias nunc paſſiones dolorificas, quæ cum vel ſine febre vitæ noſtræ dulcedinem interturbant, conſiderationi ſubjecturus, cephalalgiam ſpecialius contemplari debeo. Hæc in cute, pericranio, membranisque tenuiſſimis ſinus frontales intus obducentibus, reſidere quammaxime, per communem fere auctorum conſenſum dicitur; ſed et ex mente eorum in ipſa dura matre exquiſitiſſimus quandoque dolor hoſpitatur. Poſtquam vero Illuſtr. HALLERVS [a]) cum Celeb. diſcipulis membranas omnes, perioſteum, pericranium, duramque et piam matrem omni ſenſu carere, per numeroſiſſima experimenta demonſtrarunt: ſaltem in cute et muſculis inque nervis ſub cute excurrentibus, pericranioque et cranio arctiſſime incumbentibus, atque ubi majoris momenti fuerit cephalalgia, in ipſo cerebro ejusque pulpa nervoſa, ſedem illius ſtabilire fas erit. Mihi pro meo ſcopo, ſine ingreſſu in controverſias quæ circa hoc argumentum exortæ ſunt, jam aſſerere ſufficiet, omnes partes capitis vere ſenſibiles, id eſt nervis nervoſisque filamentis inſtructas, ex quo cauſa eas diſtendens, premens, rodens, acceſſerit, doloribus plus minus gravibus et exquiſitis ſubjici. Vix vero cauſa talis aderit unquam, rite motis per vaſa omnium generum omnis generis liquidis: ideoque omnis cephalalgia ſemper involvet præſens in circulationis naturali ſucceſſu vitium; vaſa nimis impleta; liquida moras nectentia; actionem vaſorum aut nimis fortem, aut nimis languidam; affluxusque et refluxus mutuam proportionem

a) *Vide ejus diſſ. de Partibus animalium ſenſibilibus et irritabilibus; nec non diſſ. Cl. Zinn, experimenta circa corpus calloſum, cerebellum et duram matrem habentem; tum et diſſ. Cl. Caſtell, experimenta ſiſtentem, quibus conſtitit, varias corporis humani partes ſentiendi facultate carere.*

ab-

abolitam. Diſtenſionem primo quod attinet, illa non raro exoritur, quando vaſa partes ſenſiles perreptantia ſanguinis copia et immeabilitate ultra diametrum naturalem diducuntur; quando hic in eorum apicibus hæret immobilis, atque vi cordis fortius frequentiusve inſurgente, motus humorum projectilis verſus hoc obſtaculum et omne caput nimius obſervatur. Alio tempore iners pituita, vel intra canalium alveos ægre propulſa, vel extra illos ſinubus incumbens, ſuo onere et pondere dolorem ciet, agente forte ſimul a tergo virtute vitali nimia pigritia. Sed et in ſero aliquando latet doloris fomes, acrimonia nempe villos nerveos rodens et vellicans, ſpecifico charactere imbuta et ad caput præcipue decumbens. Multum autem favet cauſis in genere omnibus, tendendo, premendo, rodendo, cephalalgiam inducere aptis, diſpoſitio quædam in ſolidis capitis præexiſtens, in imbecillitate ſenſibilitateque nervoſi generis, ac vaſorum individuali textura potiſſimum quærenda; quæ diſpoſitio vel propria eſt et homini connata, vel induci poteſt aut per illa omnia, quæ ſyſtemati nervorum per communem experientiam robur ſuum ſuffurantur, lucubratione, venere, mœrore, crapula, frigore etc. aut per cauſas repetitos cephalalgiæ paroxyſmos excludentes et in villis vaſisque omnibus laxam debilitatem relinquentes. Tanto vero gravius malum cephalalgia in genere haberi debet, quo magis diu durans, ac legitima medendi methodo vitæque regimine decente non oppugnata, vel optimis remediis non auſcultans, triſtiſſimam catervam ægritudinum ſe multo pejorum poſt ſe trahit, acceſſumque certiſſimum ipſis parat. Namque obſervationibus repetitis conſtat, illam tandem vim inferre integro nervoſo ſyſtemati, quod ab encephalo ſuas origines ducit, diſſitarumque adeo partium nervoſarum functiones lædere omnes, interque eas ventriculi potiſſimum; ſed præcipue graviſſimos morbos capitis ipſius, apoplexiam, epilepſiam, convulſiones, paralyſes, ſtuporem,

 ſo-

ſoporem, aurium affectus, viſum imminutum, ſuffuſionem, guttam ſerenam, vertiginem, vigilias, deliria acuta et chronica excludere. Hæc omnia, quæ explicui hactenus, ſi nunc comparentur cum Opii effectubus indubiis, eidemque ſemper propriis, in corpore humano, conſtabit accuratiſſime, licet ſenſui minuendo et ſuſpendendo id omnino par ſit, non tamen ita convenire levandis cephalalgiis, etiam vehementiſſimis, ac magni viri contendunt, atque recepta fere ubique praxis medica ſolet inculcare. Sane ad copiam, æſtum, congeſtiones ſanguinis ad caput, obſtructionesque vaſorum capillarium cum accelerato circulo, a quibus omnibus toties immanis cephalalgia producitur, nullo modo per leges therapiæ ſobriæ facere poteſt remedium, plethoram magis rarefaciens, ſanguinem exæſtuans, eundemque præciſe ad caput et cum aucto impetu determinans. Mirum quantum cum omnibus, qui eum erronea hypotheſi de frigiditate Opii ducti ſequuntur, fallitur TRALLIANVS,[b]) quando, ſi in cephalalgia a calida intemperie vigiliæ ægro obvenerint, ſuccum papaveris commendat, pro recta vigiliarum et intemperiei medela; cum tamen paulo ante, licet ex falſo principio, in dolore ex inſolatu concitato, quæ ex capitibus papaveris parantur, vitari voluiſſet. Narrat de ſe ipſo GALENVS,[c]) quod ab odore croci, qui Opio valde analogus eſt, capitis dolorem paſſus ſit. Nonne ergo, ſi æſtuans et turgens ſanguis hoc malum produxerit, ab Opio intus ſumto magis id exacerbabitur, etiamſi, quod HOLLERII[d]) conſilium eſt, pro eodem levando Opium non croco, quem capiti moleſtiam et gravitatem inducere dicit, ſed nuce moſchata corrigeretur; Opium, inquam, pharmacum omni croco et nuce moſchata potentius cruorem rarefaciens? At dum hæc conſilia ex antiquis erroribus de ingenio Opii per ſecula propagatis unice fluunt, indulgendum paulisper eſſe videtur eorum auctoribus; quomodo autem recentioris ævi ſcriptores eadem chorda oberrantes excuſan-

b) *lib. 1. c. 10*

c) *libro de antidotis.*

d) *de morbis internis lib. I. c. 6.*

ſandi ſint, non facile video. Qui noſtro tempore elegantem *de morbis internis capitis* tractatum edidit, Jac. LAZERME, Amſtel. 1748. in cephalalgia a ſanguinis craſſitie et æſtu nimio, vaſorumque capitis repletione et infarctu, poſt VSem in brachio, pede, collo, laudanum commendat et neceſſario narcotica adhibenda dicit *Cap. I. p.* 27. 29. miſſis veſicatoriis et quibuscunque ſtimulantibus, cum hæc humorum motum intendant et ſanguinem fervidiorem efficiant; quaſi vero non idem prorſus etiam Opium patraret, vaſaque capitis fervido ſanguine obrueret. Rectiſſime potius monet Cl. BVCHNERVS,[e]) ſubjectis, ad congeſtiones ſanguinis jam pronis, Opium ſemper fore nocentiſſimum, quia ſanguinem per ſe ad caput congerit. Tantum igitur abeſt, ut cephalalgia a congeſtione ſanguinis excluſa et ſuſtentata inde mitigabitur, ut potius deterior et contumacior reddetur; cum non niſi a remediis Opio in ſua actione prorſus contrariis, cum quibus hoc e diametro pugnat, nempe copiam et volumen ſanguinis minuentibus, æſtum ejus refrigerantibus flumenque a capite revellentibus, ſeſe expugnari patiatur. Neque etiam, ſi vaſis ſecundi generis idem acciderit, quod in caſibus memoratis primi generis vaſa patiuntur, morbusque rhevmatiſmus appellari voluerit, Opium, quod rhevmatiſmis in genere omnibus curandis, ut infra videbimus, minime convenit, in auxilium vocare juvabit; unde ſæpe et hemicraniæ tantum boni non elargitur, ut vulgo creditur. In recenti et leviori rhevmatiſmo et catarrho a perſpiratione ſuppreſſa ſubito enato, ſineque febre, ſi lentor in apicibus vaſorum hærens eosque obſtruens ſtatim ſeſe diſcuti patiatur, attenuantibus et ſolventibus aliis adjectum Opium quandoque pulchre prodeſt, cum perſpirationem ſimul moveat, obſtaculumque in cutis vaſis perſpirantibus natum illico e medio tollat. Refert SCHELHAMMERVS,[f]) hemicraniam per menſem periodicam, quotidie quinta vel ſexta hora recurrentem, curatam fuiſſe pilulis anodynis

e) *Diſſ. de Opio* §. 51.

f) *Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Ao. V. obſ.* 16.

nis ex MP. de cynogl. Opio et ſyr. papav. verſus noctem bis datis; ſecutus eſt ſudor intenſus maxime in capite. Hic Opium ſine dubio magis juvit ſua vi ſudorifera, quam ſedativa, ſtagnantes circa caput humores diſcutiendo; ergo et alia ſudorifera potuiſſent juvare. Sine dubio etiam juviſſet cortex peruvianus, quo, ut alios morbos periodicos, ita etiam tales hemicranias aliquoties me ſanaſſe memini. Quando autem iners lentor copia multa et viſciditate peccat, non adeo feliciter ferre Opium ſolet. Equidem ſi talis hæreat in capite et vitæ vis minus valida deprehendatur, videtur certo reſpectu indicari hoc remedium, humores attenuans et circulum accelerans. Verum dum ſua naturali dote liquida verſus ſupremum ventrem congerit, facile eidem novum et largiorem inferret lentoris nondum ſoluti commeatum, maxime ſi corpus eo turgeret, vaſaque ſic magis diduceret et gravaret; neque ageret in viſcidam colluviem extra leges circuitus in ſinubus ſtabulantem, quare præſtant lentorem ſolventia, attenuantia, loco moventia et ſimul deorſum determinantia atque e corpore proſcribentia, ſicque caput ab onere feliciter levantia. Laborabat hemicrania a coryza ſuppreſſa et viſcidis lentisque humoribus in capite coacervatis vir quidam, dabanturque eidem, cum dolor nimis ingraveſceret, pulveres opiati bis et ter de die, ſed ſine effectu, malo ſemper contumaciori reddito. Conſultus HOFFMANNUS [g]) non dubitavit aſſerere, morbo et a medicis et ab ægrotante neglecto, atque nervorum et membranarum tono copioſis exhibitis Opiatis mirifice debilitato, non mirum videri debere, auctam eſſe procedente tempore acerbitatem mali. Neque ſane injurius hic in Opium fuit vir optimus; qui enim illud talem dolorem non augeret, cum notante RIDLINO [h]) ferme omnes, qui Opium quacunque de cauſa ſumſerunt, de obtuſo capitis dolore deinde conquerantur; quare etiam de GORTER [i]) inter cauſas carebariæ ſive morboſæ capitis gravitatis Opium retulit.

g) *Med. Conſult. Tom. II. Dec. V. caſ. VIII.*

h) *Lin. med. ann. 1695. Febr. Obſ. 26.*

i) *Pr. Med. Syſt. Tom. II.* §. 287.

Quod-

Quodſi vero acre ſerum rhevmaticum, arthriticum, eryſipelaceum, venereum etc. cephalalgiam induxerit, longe convenientius erit id demulcere, corrigere ſuis ſpecificis, ad alia loca invitare, perque alvum et renes ejicere, quam doloris ſopitionem temporariam Opio præſtare. Vidi homines ab inquinamento venereo dira tormenta in capite perpeſſos, atque ad Opium tandem tanquam ad ſacram anchoram confugientes, et larga præbia quoties cubitum irent ſemper auctiora devorantes; quemadmodum de duce legionario recenſet BERGER,[k]) qui id tandem ad ℈j aſſumſit. At miſerum hoc eſſe ſolatium expertus fui, vidique deinde mecum facere Cl. YOUNG,[l]) quando inſultus dolorum venereorum poſt ſomnum ingraveſcere ſcripſit. Ergo et a ſomno artificiali, humores ut naturalis expandente, exaſperatio eorum expectanda, niſi ſomnifera virtute Opii ſuperiorem anodynam habere velimus. Saltem ſi res ita ſeſe haberet, brevia erunt halcyonia. Scio vero, aliquos poſt inſidas tales palliationes, ſub quibus hoſtis pertinaciorem ſibi ſedem figit, tandemque totum corpus in ſuis functionibus læditur, vel ptyaliſmo vel decocto Guajaci cauſa ſubacta et excluſa, infinities magis fuiſſe adjutos, atque ab oneroſa neceſſitate Opium aſſumendi ita liberatos.

k) *Diſſ. de Opii vi rarefaciente §. 3. in fine.*

l) *p. 20.*

§. VI.

Objectio Opio faventium confutata.

Audio mihi interim objici, tamen pro induciis parandis, ſi immani cephalalgia quis vexetur, Opium eſſe laudatiſſimum admittendumque omnino, modo cauſa haud negligatur prorſus, ſed ſimul ut decet oppugnetur, congruis remediis ſimul adhibitis. Neque ego in totum renuo; urgeo ſaltem dari cauſas cephalalgiarum, quarum actionem Opium vere juvat; ut dixi, veluti plethora et febris et raptus humorum ad caput, tumque hoc pharmacum plane nullum locum habere firmiter mihi perſuadeo, quod aliis cauſis morbum foventibus caute datum, forte tolerari poteſt. Verum enim vero, ſi accuratius penſitemus, quæcunque etiam

 cauſa

cauſa ſubſit, cephalalgiam omnem inæqualem circuitum humorum per mæandros externi internique capitis, oppletionem eorum, moram liquidi, diſtenſionem vaſorum, ac inductam tandem vaſis debilitatem et atoniam ſemper ſimul involvere: dare ſimul debemus, omnes has conditiones per ſuam nativam indolem in capite uniuscujusvis etiam excludere Opium, dum humores congerendo vaſa nimis replet et atonica reddit. Nonne ergo ejus uſus fundamentum omne, cui quævis cephalalgia innititur, juvat, confirmat et ſtabilius reddit, licet æger ad tempus forſan malum ſuum non ſentiat? Quodſi deinde et diſpoſitio ad hunc morbum ponenda eſt in ſenſibilitate et laxitate vaſorum, villorumque nervoſorum capitis: nonne hanc diſpoſitionem auget Opium, quod, ut Sect. I. evici, ſubjectis debilibus, teneritudine compagis nervoſæ et capitis imbecillitate præditis, nequaquam conducit? Porro dum cauſarum in capitis vaſis reſidentium actionem ſæpe adeo juvat et ablationem vere moratur ac impedit, diuturnioremque ſic earum actionem efficit, et cum illis cauſis effectus prorſus ſimiles edit: nonne id cum ipſa cauſa cooperante habitum tandem locis affectis inducit, ut pertinax perſiſtat cephalalgia, aut leviſſima occaſione data recrudeſcat, quando nimirum et a morbo et a remedio omni tandem elatere, quo in fluida reagant, vaſa nimis dilatata exuuntur. Hic ſane audiri omnino meretur Cl. IVNCKERVS:[a]) *Opiata frequentius adhibita*, inquiens, *loco mitigationis dolorum, in contumaciam vix credibilem paroxyſmorum ægros conjiciunt, unde non raro queruntur, conſuetum remedium nullum amplius juvamen adferre.* Nondum vero omnia elocutus ſum, quæ ſuſpectum reddere poſſunt Opium in ſananda cephalalgia. Dixi in antecedentibus, hanc, ſi duraverit pertinax, poſt ſe trahere alios morbos capitis graviores; ſed plane eosdem omnes morbos a leviſſimo ad graviſſimum ſolum valet excludere Opium. Notat van SWIETEN,[b]) a vertigine, omnium fere cerebri mor-

a) *Tab. XXI. caut. 10.*

b) *Comment. Tom. II. §. 665. p. 278.*

morborum leviſſimo, omnes fere capitis morbos incipere. Recte vero aſſeruit inter alios auctores MERCVRIALIS, [c]) Opium maxime vertiginem facere. Homini illi, cujus meminit SCHELHAMMERVS, [d]) qui per errorem Opium ad grana tria cum dimidio adſumſerat, poſt ſomnum turbulentum expergefacto, ſupervenit vertigo et circumgyratio capitis. Retulit poſtea, ſe cum lecto in aere ſuſpenſum fuiſſe ad ſenſum, et quaſi volitaſſe, omniaque cum ipſo in gyrum acta fuiſſe. Omnia quoque animalia, quibus datum ab experientibus medicis fuit Opium, vertigine affecta fuerunt, ut Sect. I. c. II. §. 13. jam annotavi, ubi ſimul eundem effectum a me ipſo et YOUNGIO ab Opio obſervatum fuiſſe indicavi. Ut vero vertiginem, ita cum cephalalgia, ſopores, ſtupores, lethargum, paralyſin, apoplexiam, convulſiones, epilepſiam, memoriæ defectum, ſuſurrum aurium, auditum abolitum, pupillæ dilatationem et cœcitatem, quam præcipue memorant FREIND, [e]) SPROEGEL, [f]) LORRY [g]) et BVCHNER, [h]) deliria acuta et chronica, creare aptum eſt Opium. Non opus eſt, ut hic loci multa auctorum teſtimonia conquiram. Nullos quam nimios nominaſſe præſtat, ſufficiuntque ea abunde, quæ Sect. I. Cap. II. Exper. V. VI. VII. X. XI. jam adduxi. Igitur facile clarum evadit, ſi forte cephalalgia permanens nondum ſuapte ingeneraſſet ſe graviores capitis ægritudines, Opium ipſi egregias ferre ſuppetias, ut hæ eo citius ingruant. Scilicet dum, notante Cl. MEAD, [i]) plerique capitis morbi cum præcipuo eorum, apoplexia, ſunt congeneres et a repletione utplurimum ortum trahunt: et prægreſſa perduransque cephalalgia, et exhibitum Opium, eadem ratione illos pariunt; nempe onerando vaſa capitis nimia liquidorum mole et debilitando eorum robur. Atque quo magis onus hoc increſcit, quoque magis vaſorum debilitas augetur, quoque magis morbus, cephalalgia, et Opium junctis et conſpirantibus in eosdem effectus viribus egerint et agere perrexerint; eo magis

c) *Med. Pr. lib. I. c. XI. p. 50.*

d) *Eph. Nat. Cur. Dec. II. Ao. V. obſ. 12.*

e) *Emmenol. cap. XIV. p. 140.*

f) *Diſſ. cit. iridis irritabilitatem Opio ſublatam habet Experim. 32. 33.*

g) *Journal Encycloped. Tom. I. Part. II. p. 74.*

h) *Diſſ. cit. §. 58.*

i) *Monit. med. p. 35.*

gis ſonticis morbis exponitur caput; eoque certius ex morbo leviori et magis curabili excluditur per gradus gravior et minus curabilis. Atque id ipſum ita ſe habere, re ipſa probant obſervationes practicæ. Habet BARTHOLINVS [k]) ægram, quæ ſedato a narcoticis dolore capitis ab eo tempore correpta fuit vertigine, ſtupore et imbecillitate. Magis vero adhuc notabilis eſt caſus, quem RIDLINVS [l]) conſignavit. Laborabat vir 55 annorum ſanguineo-phlegmaticus ob pravam diætam, cereviſiæ potum nimium, vigilias, inſolationem, gravi cephalalgia. Adminiſtratur VS. admoventur cum ſcarificatione cucurbitulæ, ægro interim cereviſiam ſuam bibente, datur purgans acre alvum ſemel ſaltem ſollicitans. Perſeverante dolore medicus omnibus ſuis remediis Opium addit. Sed malum indies augetur, accedit continua ſomnolentia, cum intercurrentibus deliriis. Advocatur RIDLINVS; ad ſanguinem in capite non rite motum, et hinc inde ſtagnantem diſcutiendum, exhibet ſal volatile oleoſum, (ſat male, ſed neſciebat vir bonus, actionem ejus eſſe actioni Opii analogam;) unde levari viſus æger, ſed tamen ſtupor non multum remiſit. Injiciebatur ergo clyſter acris, veſicatoria applicabantur, dabatur caſtoreum, (antidotum Opii ex hypotheſi recepta,) ſic melius habuit. Sed maxime revulſione crebra repetitis ex jalappa et mercurio pilulis curatio abſoluta cephalalgiæ hujus, graviorum malorum metum incutientis, atque ab Opio pejoris redditæ. Præter auctores allegatos vidit aliquoties HOFFMANNVS, qui omnes morbos capitis ab Opio ingraveſcere ſcripſerat, [m]) ab incauto talium uſu capitis dolorem in affectum ſoporoſum, hemicraniam in fatuitatem, paralyſin in apoplexiam, vertiginem in epilepſiam, auditus difficultatem in ſurditatem abiiſſe. Atque quanquam de Opio tantum non ſemper ſiniſtre ſentiat Cel. IVNCKERVS, [n]) fidem tamen prorſus meretur, quando Opiata in febribus acutis pro ſedandis capitis doloribus adhibita deliros furores, comata, paralyſes, in-

k) *Act. Haffn. Vol. IV. p. 80.*

l) *Cur. Med. obſ. 615.*

m) *Med. Syſt. Tom. II. p. 278. et diſſ. de Operatione §. 7.*

n) *Tab. LVII. de febre ſynocha caut. XI.*

inducere contendit. Aut ergo plane veritati repugnat; aut ad lentam et frigidam pituitam ſaltem reſtringi debet dogma AETII: [o]) theriacam capitis dolores diuturnos et vertigines, auditumque gravem et viſum obtuſum ſedare. Sane morbos omnes capitis, quos locutus ſum, non ſaltem in muſeo concinnata pathologia compreſſioni pulpæ cerebrinæ et nervorum, a vaſis vicinis humoribus nimis turgidis pendenti, tribuit, ſed et hanc eorum faciem detexit anatome, in cadaveribus cephalalgia immani et aliis affectubus capitis demortuorum, vel ſolo Sepulchreto Bonetiano idoneo teſte. Verum et cum ſinubus duræ meningis omnia vaſa encephali, congeſto ſanguine diſtenſiſſima, exhibuerunt Opio jugulatorum animalium cadavera; unde tandem et ipſam mortem a morbis capitis, et ab Opio, prorſus eadem ratione excludi conſtat; eapropter etiam non fallere poteſt concluſio, Opium uſurpatum in morbis capitis efficere, ut tanto certius ii necare queant ſine exceptione omnes. Nonne igitur et eorum ſummi, quo tandem omnes necant, nempe apoplexiæ ingenium, et Opii agentis in corpus indolem is ignorat prorſus, qui cum Cl. BERNERO [p]) adeo ſideratione percuſſis ægris Opium exhibendum eſſe ſtatuit.

o) *Tetrabibl. IV. Serm. I. c. 96.*

p) *Diſſ. de apoplexia cum catarrho ſuffocativo §. 53.*

Atque quæ hactenus diſputavi, ita vera ſunt omnia, ut cum illis hominum morbis capitis laborantium, ſanitati iterum reſtitutorum et mortis periculo ereptorum, ſanatio, attentius conſiderata, elegantiſſime conſpiret. Namque nil ſanat ſanabilem cephalalgiam, omnemque morbum capitis, qui ſanari ſe patitur, præterquam quod onus vaſis incumbens levat, plenitudinemque eorum evacuat, quod humores ſtagnantes et moras nectentes libere circulari facit, ulterioremque liquidorum appulſum revellit et ad loca ignobiliora invitat. Dolendum eſt, arteriotomen in temporibus et juxta aurem, a qua maxime in doloribus capitis antiquis et pertinacibus eximios effectus vidit CHESNEAU, [q]) atque VSem in jugulo non minus experientia multiplici compro-

q) *Obſerv. med. p. 5. vide Severinum de chirurgia efficaci.*

 ba-

batam, quam ipſe olim ſcripta de eadem commentatione commendare allaboravi, per ægrorum et agnatorum puſillanimitatem, non niſi rarius vocari in uſum poſſe. Cæterum vero VSes in brachio vel pede, hirudines circa tempora, poſt aures vel parti ipſi dolenti applicatæ, ſcarificationes occipitis Cl. WALTHERO [r]) magni factæ, raſio capitis et abluitio cum oxycrato, epiſpaſtica, veſicatoria, vapores naribus hauſti, errhina, purgationes antiphlogiſticæ et mercuriales ſæpe repetitæ, clyſmata, pediluvia, diluentia et attenuantia pharmaca, ac omnis generis acri ſtimulo dicata, ſola forte ſunt ea, quæ juvant et juvare poſſunt. Sed ab omnium horum effectubus abhorrent effectus Opii. Illis uſurpatis et ad obtentionem medelæ uſque jugiter uſurpandis, ſi addere Opiata e re eſſe duxerit medicus, æquus eorum amator: obſervaſſe ſaltem intererit cautionem *Pitcarnianam*, [s]) ante univerſalia vix ea uſurpanda eſſe. Neque monitum Cl. CHESNEAU, [t]) ſententiæ Pitcarnianæ conforme, ſatis inculcari poteſt: Cum dolor pertinaciter urget, poſt multa demum auxilia adhibita, cum univerſalia, tum particularia, non erit abs re doſin laudani propinare; etenim ut antea ſcripſerat vir clariſſimus, ex tribus, quibus dolores capitis ſedantur, cauſæ ſubtractio eſt ſecurior, quam ejus mitigatio, et deterior his ſenſus partis ſtupefactio. Atque hac via incedit Cl. WEPFERVS, qui, ut ex ejus *Obſervationibus de morbis capitis* patet, anodyna cephalalgiis et hemicraniis laborantibus ægris aut plane non, aut parca ſaltem manu præſcripſit, et nunquam aliter quam evacuantibus et revellentibus præmiſſis. Certe ſi ſolerter auſcultandum eſt HIPPOCRATI [u]) patri, ita ſcribenti: *Ubi in caput dolores inciderint, potus ſit aqua, vinum autem non exhibeatur, donec dolor ſedetur; quum enim calidum exiſtens caput vinum attraxerit, dolor fortior evadit*; imo vero, ſi ad hunc diem ſagaces medici ad unum omnes ægris talibus circumcidendum eſſe hujus generoſi liquidi potum cre-

r) *Diſſ. peculiari de hoc argumento.*

s) *Elem. med. lib. II. c. VII. §. 13.*

t) *Obſ. med. p. 12 et p. 2.*

u) *de affectionibus §. 2.*

credunt: quid ſtatuendum erit de Opio, vino analogo? Nonne maxime tum, ſi calidum exiſtens caput calidum Opium attraxerit, dolor potius fortior reddetur, quam mitigabitur?

Atque hæc de cephalalgia idiopathica. Sympathetica, dum pendet a morbis aliis, eousque ſaltem permittit Opium, quousque permittitur ab his morbis. Ita quando ſolemnes excretiones ſuppreſſas reſtituere cogitur medicus, ſi ab his ſuſtentatam ſanare vult cephalalgiam, raro confugere poterit ad hoc remedium. Hyſterico clavo dum mederi cupit, ſcire debebit, ſub quibus circumſtantiis Opium conveniat malo hyſterico. Ventriculus ſi culpam doloris capitis gerat, perpendere tenebitur, Opium ejus functioni eſſe valde inimicum, malumque eapropter potius exaſperare. Sed et in genere conſideraviſſe expediet, quæcunque demum cauſa foveat cephalalgiam, ſemper hanc mitius affligere, ſi ventriculo bene ſit, cum, ſi is male habeat, ea intendatur omnino; porro et alvi naturalem excretionem omnibus hoc morbo affectis eſſe utilem, quam Opium ſua natura ſemper retardat et inhibet. Quod cephalalgiam periodicam attinet, eam MORTONVM ſecutus ſanavi aliquoties non Opio, ſed cortice peruviano. Idem fecit RIDLINVS,[x]) qui cephalalgiam absque omni febre eo abegit, meritoque illum omnium morborum periodicorum remedium ſalutat.

x) *Cur. med. obſ. 27 et 796.*

§. VII.

Cardialgia.

Cephalalgiam excipiat *cardialgia*, in cujus medela ab omni ævo opiata remedia uſurpata ſunt. Theriacæ maximam efficaciam eſſe in iis, qui ex oris ſtomachi morſu animo linquuntur, quosque græci cardiacos appellant, ſcripſit AETIVS.[a]) Verum per longam temporum ſeriem ſat male minusque opportune eam cum aliis Opiatis compoſitis, ob commune præjudicium, ægris applicatam fuiſſe, conſtare poteſt vel ex unico loco, qui habetur apud MERCVRIALEM.[b]) Hic nempe reſponſurus ad quæſitum: Utrum in extremis cardialgiis, ubi dolor acerbiſſimus et moleſtiſſimus

a) *Tetrab. IIII. Serm. I. c. 96.*

b) *Med. pract. lib. III. c. II. p. 273.*

mus eſſe ſolet, ea conveniant, quæ ſtupefaciendo dolorem adimunt? ita decernit: *Si cauſa cardialgiæ ſit frigida, abſtinendum eſt ab uſu ſtupefacientium, quia refrigerant; ventriculus autem refrigeratus eſt irremediabilis pernicies. Si fiat a cauſa calida et dolor magnus ſit viresque validæ, licebit uti blandiſſimis ſtupefacientibus, requie Nicolai et theriaca.* Interim deinde et ſine reſpectu ad indolem Opii vel frigidam, vel calidam, cardialgiis ſanandis dicatum fuit hoc pharmacum. SENNERTUS[c]) certe, qui poſteriorem bene cognitam habebat, absque reſtrictione, ſi dolor vehementer urgeat, ita ut non permittat primo adverſus cauſam pugnare, exhibenda eſſe dicit ſenſum orificii ventriculi obtundentia anodyna, aut etiam narcotica. Quamvis vero ego nil habeam, quod SENNERTO opponam, ſatis tamen convictus ſum, ni cauſæ præcipue obviam eatur, ſolo Opio dato aut malum deterius reddi, aut fortuito caſui ſanationem deberi. Neque enim ſemper pilulis ex laudano æque cito et feliciter profligatur cardialgia, ac eam Baſileæ aliquando talibus expugnabat PARACELSUS, ſoſtrum centum florenorum ſibi promiſſum ab ægro ſuo, Cornelio a Lichtenfels, id dein ſolvere detrectante, ob judicis adverſam ſententiam magno ſuo tædio haud impetrans.[d]) Ut felix et docta ſimul, nunquamque vaga et anceps ſit medicatio, quædam de cardialgiæ ingenio et cauſis ſupponenda ſunt. Sedem ejus ſi ſpectemus, eandem ſemper circa pylorum et cardiam inque toto nervoſo ac eapropter ſumme ſenſibili ventriculo hic dolor obtinet; ſi vero cauſas rimemur, multifariam exhibet faciem. Hærent hæ interdum in ſolo motus vitio ſine materia, quando ſyſtema nervoſum omne nimis ſenſibile eſt et mobile, ut in hypochondriacis et hyſtericis; tumque terror, ira, refrigeratio, malum graviſſimis nonnunquam ſymptomatibus ſtipatum inducere ſolent, quod facile in habitum abire poteſt. Alio tempore in ventriculi cavo materia ſtabulatur ex alimentis et potulentis aſ-

ſumtis

c) *lib. III. Part. I. Sect. II. c. XV. p. 176.*

d) *Wurſteiſen in der Basler Hiſtorie im VII. Buche c. XIX. p. 1527.*

ſumtis enata, ſaburram conſtituens viſcidam, acidam, nidoroſam, flatus generantem, pondere et acrimonia villis nerveis moleſtias faceſſentem, quas et irritatione et morſu cient medicamenta draſtica, venena et vermes. Rurſum in aliis ægris intra tunicas ventriculi cauſa latet, vaſis arterioſis inflammatis, vel venoſis cruore turgidis et varicoſis; ut in hypochondriacis, potatoribus, hæmorrhoidariis, gravidis, nec non fœmellis, quibus menſes imminent, ſuppreſſi ſunt, aut ceſſarunt prorſus. Nonnunquam mala metaſtaſi materia acris arthritica, podagrica, eryſipelacea etc. ad ſenſiles ventriculi tunicas ab exterioribus corporis partibus defertur. Porro quoque ſolida ventriculi vitio ſuo cardialgiam accerſunt, quando ulcere, ſcirrho, eroſione afficiuntur. Tandem et in partibus ventriculo vicinis cauſa quærenda eſt, ut in obſtructione lienis, pancreatis, hepatis, ductuumque felleorum ſtricturis, quibus ille in conſenſum trahitur. Brevibus jam cum valde diverſis his ſpeciebus cardialgiæ comparemus Opium!

§. VIII.

Non negari poteſt, ſi ſolum ſubſit motus vitium, morbusque tanta vehementia adfligat, ut nullum aliud pharmacum ipſi ſuperando par ſit, gravioraque ſimul mala immineant, ſerpente in omnem nervoſam ſyntaxin malo, valde Opium prodeſſe. Interim tamen non minus verum eſt, ſæpe his in caſibus aquas aromaticas ex mentha, meliſſa, ruta, ſalvia, chamomilla, aliaque pharmaca amaricantia ſtomacho et nervis amica, deinde ſalia volatilia oleoſa, tum et liquores anodynos minerales HOFFMANNI et MANZINI, foriſque applicata aromatica et ſpirituoſa, ſæpe mire conducere et ſufficere, ac cum ſubjunctis corroborantibus curationem abſolvere. Profeſſorem iuris habet Cl. HEISTERVS,[a]) ob ſtudiorum intemperantiam hypochondriacum, ſæpeque gravibus cardialgicis paroxyſmis obnoxium. Dedit illi, alvo aperta, pulveres opiatos et potionem

Opium cum diverſa morbi facie comparatum.

a) *in Obſervat. vernacula lingua editis Obſ. 97.*

nem ex aquis menthæ, cardui ben. maſtich. vitæ matthiol. ac elæoſ. macis; applicarique extus theriacam et ſacculos ex herbis aromaticis fecit cum præſentaneo levamine. Notat vero vir optimus, ægrum poſtea ſæpius a ſola potione promptum auxilium perſenſiſſe, ita ut pulveribus et topicis carere potuerit. Atque talia exempla bene multa vidi in praxi mea, fœmellisque hyſtericis inter angores et dolores hærentibus clyſmatibus, ac laudatis pharmacis ſine Opio, quod abſolute neceſſarium præſcriptu forte habuiſſent alii medici, ſat ſæpe profui. Quodſi autem cum aliis vel præ aliis omnibus Opium indicari viſum ſit, cogitavi ſemper, et cogitandum eſſe ſedulo inculco, ab eo jam debilem ſua natura ventriculum valde lædi, appetitumque et digeſtionem valde languidam reddi, ſi præter neceſſitatem adhibeatur, aut uſus ejus nimis extendatur.

Prorſus autem abeſſe debet Opium, ſi ab ingeſtis et a debili ventriculo non digeſtis morbus excluſus ſit. Namque tunc uni eliminationi ſordium ante omnia ſtudendum eſt, cui fini clyſteres, blandaque cathartica nullo acri ſtimulo agentia, veluti emulſiones mannatæ et rheum, ſaliaque ſat diluta, ut in aquis mineralibus egranis, taliaque quæ cruditatibus præſentibus directe ſunt oppoſita, ſtimulo tamen omni carentia, præ omnibus aliis inſerviunt, non omiſſis interim gratis aromaticis. In hoc rerum ſtatu qui anodyna improvidus præſcribit, fixam ſedem parat collectæ jamque oneroſæ ventriculo ſaburræ, fibrarumque ejus motricum actionem in ipſam infringendo, ac alvum qua excerni debebat cohibendo, facile multis malis aditum parat. Sane ſi iis locus eſt, non niſi digerentibus et evacuantibus præmiſſis, urgente forte adhuc dolore, adhiberi bene poſſunt et debent. Laborabat matrona quinquagenaria dolore acuto circa ſtomachum, poſtquam cœnaſſet carnem cum aceto toſtam. Sumſerat ſpiritum vini cum oleo aniſi, eumque vomitu rejecerat. Cum nil levaminis ſentiret, accitus Cl. de

HEI-

HEIDE b) præſcripſit hauſtum aquæ ſtillatitiæ, cum laudano opiato; dolorque ſtatim remiſit, et ægra unico hoc remedio ut notat curabatur. Huic vero ægræ ſine dubio profuit vomitus, quo ut colligo corpus delicti fuit rejectum; aliter ſi reſtitaſſet adhuc, Opium aut plane non, aut caſu auxilium ſolidum attuliſſet, digeſtioni cruditatum juvandæ haud ſane ſerviens. Optime me judice ſcripſit WILLIS: c) *Quod ſpectat ad humores recrementitios intra ventriculum aut inteſtina accumulari ſolitos, hos per vomitum aut ſeceſſum ſubduci et expurgari oportet, priusquam Opiatum propinatur; ſecus enim illic defixi pertinacius hærebunt. Quippe fibræ ſplanchnicæ a pharmaco ſtupefactæ non uti prius irritantur, nec recrementis iſtis expellendis ſpaſmos excretorios facile ineunt, aut vegete perficiunt: quare ſi quid evacuandum fuerit, ante pharmaciam narcoticam evacuetur.* Contra hanc legem practicam commiſſum a medente peccatum raro adiaphorum ægrotantium ſaluti habebitur; namque ſic ex malo cito ſuperabili chronicum effici poteſt. Talem cardialgiam ab atonia et inflatione ventriculi, poſt ingluviem quotidianam, uſu pilularum de ſtyrace vere chronicam factam, recenſet HOFFMANNVS, d) qui proinde in ejusmodi malo a cumulatis in ventriculo atonico cruditatibus oriundo, minime Opiata, ſed potius evacuantia, quin emetica leniſſima, ſubjunctis deinde tonicis, locum habere aſſeverat. Cum grano ſalis ergo intelligendum eſt conſilium Gualteri HARRIS, e) quando in chronicis levioribusque ventriculi inflationibus, ſæpe recidivis, ſedandis tincturas rhabarbarinas, rheum maſticatum, elixir ſalutis, ut et mithridatium et theriacam ſæpe ſufficere dicit. Præmiſſis catharticis roborantibus magis equidem inſons eſt opiatum mithridatium et theriaca; forte vero in utroque remedio aromatica et adſtringens ſimplicium congeries irritando et corroborando fibras ventriculi melius ſeſe gereret, ſine Opii illas inſenſibiles et flaccidas reddentis ſodalitio. Saltem

b) *Obſ.* 32.

c) *Pharmaco rat. Part. I. ſect. VII. c. II. p.* 193.

d) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II ſect. II. c.* 2. *p.* 257. 258.

e) *Obſ.* 9.

f) *Med. Conſult. Tom. II. Dec. II. caſu IV. p. 79.*

Celeb. HOFFMANNVS [f]) occaſione inflationis ventriculi et duodeni, in ægro quodam Illuſtriſſimo, Opiata et theriacalia magis noxia quam proficua declarat, cum excretiones promovendas cohibeant et naturam debilitent. Quin ipſe HARRIS eadem obſervatione, qua mithridatium et theriacam commendat, re ipſa Illuſtrem dominam ventriculi dolore graviſſimo et vomitione alternis fere ſeptimanis laborantem per plures annos, cui inter alia et narcotica incaſſum exhibita erant, infuſo amaro cum rheo, et Baronem quendam cardialgia et viſcerum torſione afflictum tinct. rhei bateana, cum ſanitate in gratiam rediiſſe recenſet, de uſu Opii ne verbulum addens.

Poſtulant hic illæ cardialgiæ, quæ ab aſſumtis nimia copia fructubus horæis, ingurgitatisque liquidis ſub ipſo fermentationis actu, ac inde progenerata maxima flatuum vi, ſuam originem ducunt, ut ſeorſim conſiderentur. Expedit his in caſibus, ante omnia evacuare fermentantem colluviem rheo potiſſimum ſalibus acuato et clyſteribus carminantibus leni ſtimulo armatis. Deinde liquida calida affatim hauſta et abſorbentia, utraque egregia antizymotica, pulcherrime proſunt. Hæc ubi in uſum vocata fuere, atque ſpaſmis coercendis indicatiſſima chamomilla non ſufficit, utique ad Opium jure recurritur.

Sequatur cardialgia, a medicamentis draſticis emeticis et purgantibus, incongruo tempore uſurpatis, quandoque inter hyperemeſes et hypercatharſes prognata. Hæc vix melius levatur calido lacte et clyſmatibus oleoſis, ut ſæpe expertus ſum. Confugiunt in tali caſu medentum ſagaciſſimi cum Cl. SCHVLZIO [g]) ad theriacalia, et recte quidem, ut ſpaſmos quandoque enormes conſopiant; modo demulcentiſſima liquida, ut juſcula carnium, avenacea, hordeacea et, quæ his præferenda ſunt, lactea ſimul uſurpentur. Quodſi vero conſideretur, ventriculum ab ejusmodi draſticis facile jam arroſionem paſſum eſſe potuiſſe, theriacam vero

g) *in diſſ. de purgatione copioſa et nimia.*

multa calidorum et acrium farragine conflari; a ſolo verò Opio ejus virtutem ſopientem, quæ hic tantum expoſcitur, pendere: præſtabit omnino, hoc ſolum vel laudanum liquidum, miſſis omnibus irritantibus, in uſum vocaviſſe.

Atque ſimplex hæc methodus topicis forte convenientibus adhuc additis quadrat omnino et ſufficit curationi, ſi vera venena corroſivæ et cauſticæ indolis malum induxerint. Aliquando autem ſolum blandiſſimum aliquod expreſſum oleum ſuperiori et inferiori gutturi immiſſum prævertit ſæpe tragicum, qui aliter brevi imminet, eventum. Oleum vero, dum hic antidotum ſummum eſt, alio tempore vermibus fit venenum, cardialgiamque ab iis pendentem necatis iis ſanat, ſimulque roſiones et ſtricturas membranarum nervoſarum mitigat et lenit.

Sanguinem hæmorrhoidalem, exitum non invenientem, et reſtrictum ad vaſa ventriculi, ſi ab eo cardialgia excludatur, in majus volumen expandit propinatum Opium, doloremque ſic rarefaciente ſua et calefaciente virtute plus intendit, quam ſopiente minuit; niſi forte fortuna dotibus ſibi propriis ipſam excretionem ſolemnem ſanguineam per vaſa recti inteſtini iterum reſtituat. VSes in pede, clyſmata emollientia, hirudines, fotus blandiſſimi atque diluentia nitrata in hoc morbi genere magis indicantur et juvant.

Gravidarum cardialgia plethoræ, ſanguini menſtruo retento, tunicas ventriculi gravanti, nervisque ejus affectis tribuenda, omnibus calidis fruſtra impugnatur, ſed exacerbatur potius; hinc et Opio levatur minime, niſi brevi poſt conceptionem, nondum coacervato ſanguine, ſaltem aliquid hyſterici, ſolaque ſpirituum in motu anomalia ſubſit. VSi, diluentibus, gratis ſubacidis, vegetabilibus, mineralibusque acidis dulcificatis, nervis amicis, melius auſcultat.

Sed a menſium anomaliis, quæ proficiſcitur cardialgia, videtur admittere Opium, cum vere emmenagogam virtutem poſſideat, ut hujus Sectionis C. I. §. 10. commonſtravi.

Sed diſtinguenda ſunt tempora morbi et omnes ejus circumſtantiæ expendendæ. Extra periodum menſium præſentem, vel imminentem, nullum dare convenit emmenagogum, quare tum nec Opium hoc fine. Sique intercalari tempore adſit cardialgiæ paroxyſmus, atque plethora urgeat, tunicasque ventriculi in vaſis ejus aggeſta tendat, VSe et clyſmatibus vaſa inferiora relaxantibus potius utendum, datis ſimul diluentibus, emulſivis, nitratisque; tandem vero ſpaſmis non remittentibus Opium concedi poteſt, quod antea datum nocuiſſet omnino. Imminente vero periodo, ſi ſanguis plethora minuta, pediluviis, clyſmatibus, fotubus, inſeſſubusque emollientiſſimis ad uterum fuerit invitatus, vaſaque ejus relaxata et ad excretionem habilia reddita, Opium, et emmenagogum et antiſpaſmodicum pharmacum, aliis pellentibus congruis maritatum eximio cum fructu ſæpe exhibebitur, ſaltem nunquam erit prohibitum, quando aliis paulo calidioribus emmenagogis locus eſt. Poſt finem menſium excretione ſolemni nunc ceſſante, in ſucci plenis et otioſis fæmellis potiſſimum VS. et alia evacuantia cum diluentibus et nitratis magis indicantur, quam Opium, aut ſaltem nunquam niſi illis præmiſſis.

Dolorem a ſcirrho ventriculi miſere palliat Opium; melius eum ſolatur diæta leniſſima et emollientiſſima, et abstinentia ſevera a cibis omnibus ſolidis et acribus maxime, vt vidi aliquoties. Quam evanidum quamque multis aliis moleſtiis ſtipatum lenimen in ejusmodi malo ab Opio obtinuerit fœmina quædam ex meis ægris, meum de diæta conſilium negligens, recenſui *Sect. I. Cap. II. §. 24. p. 148.* Sed notandum hoc cum cura eſt, annoſum malum et ad oblata auxilia rebelle, ſuſpicionemque eapropter ſcirrhi aliusve generis tumoris circa pylorum, vel partes vicinas faciens, tamen ſæpe eſſe curabile, methodo tradita a Cel. de HAEN.*)

*) *Rat. med. Tom. VI. c. I.*

Neque eroſioni ventriculi anxietates cardialgicas parienti multum prodeſt Opium; quando periſtroma in interiori

riori ejus ſuperficie ab humorum bilioſorum vel aliorum acrimonia abraſum eſt, unde munimento ſuo deſtitutus ſtomachus ob nervos ejus denudatos, nil quod ulla ratione irritare aptum eſt, perferre poteſt. Ab hac cauſa non raro cardialgias oriri memorans LENTILIVS,[h]) mollia, mucilaginoſa, gelatinoſa commendat, quibus tamen Opium admiſcet, tolerandum, ſi hæc, ſine quibus id nil poſſet, jugiter in uſum vocentur.

Ab obſtructione vicinorum ventriculo viſcerum, lienis, pancreatis, hepatis, natales ducens dolor cardialgicus non niſi aperientibus abigitur. Intenſiſſimus a ſtrictura ductuum biliariorum curatur ut colica, ab hac cauſa proficiſcens, de qua §o ſeq. acturus ſum.

Supereſt cardialgia ab humoribus acribus, in humorum oceano dominantibus vel non expulſis, vel retropulſis, arthriticis, podagricis, ſcorbuticis, ſordibusque et exanthematibus cutaneis variis. Horum omnium determinationi ad cutim et ſua loca præcipue ſtudendum, cui Opium diaphoreticum dextre adhibitum inter alia interdum etiam inſervire poteſt, cauſam a parte affecta abigens, et ſenſum ejus obtundens, quod utrumque ſi ſimul impetrari poteſt, omnino intendere licitum eſt.

Cardialgiæ inflammatoriæ, febribus acutis et exanthematicis ſociatæ, omnium minime convenit Opium, per ea, quæ de febribus in antecedentibus expoſui; quamvis id valde laudet, ex Ludovico SEPTALIO, WEDELIVS.[i])

His omnibus ſolerter obſervatis, demum medicus cum fructu vel adhibiturus vel omiſſurus eſt Opium in therapia cardialgiæ, neque morari ipſe debet practicorum vel elogia, vel vituperia, cum ſuis conditionibus limitatus ſit ejus uſus, quicquid hic vel ille magis ex ſua hypotheſi, quam accurata obſervatione ſtatuat. Quamvis vero cauſam aggredi præcipue et primo loco debeat medicus, cum ea oppugnata dolor dein non raro illico ceſſet, interdum tamen, quando hic

h) *Eteodr. p. 597. et alibi, atque iatromn. p. 178. ſeq.*

i) *Opiol. p. 115.*

hic valde urget, et totam compagem nervoſam adficiendo agrypniam, ſubſultus tendinum, convulſiones, ſummam pectoris conſtrictionem, ſyncopen, tremorem vel rigorem artuum, extremorum frigus, ſudores frigidos poſt ſe trahit, inflammationemque ventriculo minatur, atque ægri facies lurida palleſcens et in ſe quaſi retracta ſummam mali ferociam loquitur, motuum anomaliæ, etiam ſepoſitis interdum ad tempus cauſæ dicandis remediis, unice conſulendum eſt. Atque hoc ipſum adeo dare debent Stahlianorum dogmatum fidi propagatores. Nocere in cardialgia ſcribit Opiata Cel. GOELICKIVS,[k]) eo magis, quo incautius ſtatim in principio, nullisque ſive præparantibus ſive evacuantibus præmiſſis, in uſum vocantur, motusque ad excretionem ſpectantes conſopire et naturam in agendo confundere; addit vero: *Neutiquam tamen mens noſtra eſt, quaſi anodynis nullum locum relinquere vellemus. Experientia practica potius plus ſimplici vice nos edocuit, majores antiquorum compoſitiones, et inter illas præcipue diacordium Fracaſtorii, non contemnendas eſſe.* Non minus Cl. STAHLIVS,[l]) Profeſſor Erfurtenſis: *Ad anodyna,* inquit, *imo narcotica confugere interdum nos cogit neceſſitas, dum dolor ita urget, ut parum abſit, quin violentas manus ſibi inferant ægri.* Theriacam dein laudat ob diſcutientia addita, vel ſolum laudanum opiatum, quod ſine acribus, non omni cardialgiæ convenientibus, mihi melius arridet. Sunt, qui una fidelia duos parietes dealbare conantur, cauſamque evacuare, ſenſum delinire uno tempore, Opio purgantibus addito allaborant; atque ſic, ſi Opium ſtatim voluerit dolorum atrocia, cauſam, ut decet, nequaquam negligi opinantur, quam vero negligi omnino dicunt, Opio ſolo exhibito. Laudat hanc methodum PLATERVS et FORESTVS, qui ſimul medicamentum aliquod *Elidæi* philonium, quod ipſum jam euphorbium continet, et purgantia alia habens, adducit. Mihi vero hoc connubium, licet ad noſtrum ævum Celeberrimis medicis

k) *Diſſ. de Cardialgia ſyncoptica* §. 30.

l) *Diſſ. de Cardialgia* §. 53.

dicis probatum, ob rationes *Sect. I. c. VII. p. 314.* jam adductas et in ſequentibus fuſius adducendas, prorſus diſplicet, ſubjungendum ſibi utrumque pharmacum, quam conjungendum conſultius habenti. Ita me geſſi apud alios ægros, quos allegare poteram per Dei gratiam ſanatos; ita et egi, cum ipſe gravi cardialgia afficerer. Verba de hac jam feci in *Hiſtoria Choleræ meæ.* [m]) Hærebant in meo ſtomacho fraga largius comeſta et placentulæ butyro frixæ; dolor ſummus adſciverat ſpaſmum oris et convulſiones quorundam muſculorum faciei, cum rigore et frigore artuum ſuperiorum. Bibebam largius potum Thée ad ſtricturas ſolidorum levandas, et ad vomitum, in quem ferri videbar, promovendum. Cum voto exciderem et ad caput propagati ſpaſmi graviora mala mihi minari viderentur, ſumebam laudanum ad guttas 12, atque cum dolore ſpaſmis multum remittentibus, loco purgantis, promtius acturum infundi faciebam clyſma leniter ſtimulans, alvoque exonerata, a morbo graviori viſo poſt aliquot horas felix liberabar.

m) §. 3. p. 12.

§. IX.

Dolores inteſtinorum varii.

Viſo dolore ventriculi, videamus jam dolorem inteſtinorum, qui colici nomine communiter venire ſolet, cui quidem ab antiquiſſimo tempore Opium fuit oppoſitum. Philonium in ejus medela uſurpavit GALENVS, [a]) quem multi ſecuti ſunt, atque inter pharmaca colicum dolorem levantia Opium fortiſſimum eſſe, aſſeruit AETIVS. [b]). Ita vero de eo judicat: *Scopus nobis eſt*, inquit, *primo quidem, ut ſenſum ſtupidum reddamus, deinde ut nil in poſterum ex ſtupefactivo pharmaco relinquamus, quod membro nocumentum inferre poſſit, amplius autem, ut, quod maximum eſt, affectioni opitulemur. Ad hæc itaque reſpectu habito, videtur mihi debito modo componi pharmacum ex hyoſcyami et Opii permiſtione. Quo vero citius digeratur, omnemque profunditatem affectorum corporum penetret, calefacientia admiſcere oportet, piper, euphorbium et pyrethrum, quæ nocivos humores diſ-*

a) *de Comp. Med. lib. IX. c. 4.*

b) *Tetrab. III. Serm. I. c. 32.*

diſcutere poſſunt et repurgare viſcoſos, ſecareque craſſos, et flatus vitioſos attenuare, concoquere et evacuare. Neque parum concoctoriæ facultatis frigidorum præſertim humorum eſt in nardo, amomo, coſto, croco, myrrha, caſtoreo. Inter antiquos Græcos Opium quoque in curatione hujus morbi habet TRALLIANVS; [c]) minus vero convenienter, per temporum ſuorum de ejus frigore hypotheſin, ipſum uſum determinat. Sat male nimirum, calidiore temperatura præditis et ob tenuem acremque humorem colica affectis Opiata non nocere, ſed potius prodeſſe reputat, acrem, tenuem, bilioſum humorem coquendo et incraſſando; ſi autem frigida intemperie præſente humores craſſi ſint et viſcoſi, ea non danda eſſe, niſi dolor valde urgeat, et in tali caſu partes læſas fuiſſe reſolutas et mortem inductam, ſcribit. Atque ejusmodi in adhibendo Opio errores per manus traditi fideliter ad recentiora usque tempora dimanarunt. Namque qui circa initium ſuperioris ſeculi demum obiit MERCVRIALIS, [d]) quia cauſa doloris colici eſt humorum frigidorum et ſimul craſſorum copia, raro ſtupefacientia in uſum vocari debere dicit; ſi vero in his caſibus adminiſtrentur, conſulit, ut medicamentum calefaciens, quod frangere poſſit nimiam eorum frigiditatem, addatur, quare cum Opio caſtoreum miſceri cupit. Et in hac quidem re recentiori adhuc ævo conſentientem habuit BAGLIVVM, [e]) qui quando Opiatis utimur in colica, ſemper caſtoreum addi vult, cum et Opii narcoſin corrigat et doloribus medeatur. Deleto tandem de frigiditate Opii præjudicio, agnitus ejus etiam calor non impedivit, quo minus a præſtantiſſimis in arte viris ſæpius pro ſananda colica in uſum traheretur. Neque tamen defuerunt, qui eum cautionibus egere perſpexerunt, ut in ſequentibus indicabo, hasque inter ſane non ultimo loco poni debet regula laudati BAGLIVI [f]) magni certe momenti, ſive is Opium calidum, ſive frigidum habuerit: *Nihil,* inquientis, *facilius colicæ ſupervenit, quam paralyſis; cave*

c) *Lib. X. c. I.*

d) *Med. pract. lib. III. c. 26. p. 386. 387.*

e) *Praxeos med. lib. I. p. 100.*

f) *Pr. med. l. c.*

igi-

igitur, ne Opiata copioſe in ea exhibeas; ſolet enim poſt Opiata magnus ſudor ſupervenire et exinde paralyſis. Dum eorum adhibitionem jam accuratius exponere aggredior, ante omnia noto, a pyloro ad ſphincterem ani usque, totum inteſtinorum canalem, ob membranas nervoſas ipſi proprias, quæ valde ſunt ſenſibiles, ſummis doloribus obnoxium eſſe, ſi cauſæ idoneæ præſto ſint. Harum differentiam magis noſſe intereſt, quam locorum, ubi præciſe dolores reſident, ſcrupuloſæ determinationi nimis ſtudere, aut nominibus in praxi receptis firmiter inhærere, quæ ſæpe non ſatis apta ſunt, quando verbi cauſa colico dolore quis laborare dicitur, qui dolore tenuium inteſtinorum potius laborat, aut dolor iliacus dictus non niſi in ileo reſidere reputatur, qui forte ſimul et colicus merebatur appellari. Subſtantiam coli craſſam et obtuſam, tantorum cruciatuum et ſpaſmorum, quanti colica laborantes ſæpiſſime torquent, cauſam effectricem aut adæquatam, non videri, exiſtimat HARRIS.[g]) Quicquid ſit, examinemus ſaltem omnes dolorum inteſtinalium ſpecies ſeorſim, et cognita vera eorum indole, judicemus de Opii ſalubribus et noxiis in eorum therapia effectubus.

g) *Obſerv. IX. p. 183.*

Dantur homines, quibus vel per nativam fabricam, vel morbos toni debilitate inducta, inteſtinorum fibræ adeo ſunt delicatulæ, adeo facile irritabiles, ut fere ſine ulla, aut ex leviſſima cauſa materiali, absque ullo graviore delicto diætetico, a ſolo pathemate animi, terrore, iracundia, vel leviſſima frigoris admiſſione ſtatim tormina experiantur, ſæpe mirum quantum invaleſcentia. Atque his quidem ægris, quorum catalogum ipſe eheu poſt choleram atrociſſimam ſuperatam ingredior, cuique fœminas omnes hyſtericas inſerendas habeo, ſedulo ſuaſerim, ut ab Opio, præſertim largius et repetitis vicibus accepto, ſibi caveant, niſi, quod ſollicite addo, vis ſumma dolorum, nullo alii pharmaco auſcultans, id flagitet. Namque id adhuc magis debilitabit,

 quod

quod forte ſupereſt roboris pauxillum, atque ſegniorem reddet omnem periſtalſin, ſicque diſpoſitionem ad hunc morbum, alvo ſimul conſtipata reddita, ſemper firmiores radices agere faciet. Illuſtri certe, at triſti exemplo monitis meis fidem adſtruere valeo. Prænobilis Anglus (Lord Clive) ſæpius doloribus inteſtinorum vexabatur, quos multoties Opio pacare ſueverat, in India hanc artem in conſuetudinem a ſe tractam edoctus. Sed tandem ita ſenſim noxium hoc remedium ipſi evadebat, ut fatum ejus maturaret. Moriebatur magnus hic vir, inclytus hic heros, anno ætatis 49. *) Juvant potius in talibus doloribus inteſtinorum habitualibus aquæ aromaticæ, menthæ, meliſſæ, rutæ, chamomillæ, cinamomi, remediaque omnia nervis amica, ſpiritus ex vitriolo anodyni et, ſi nil obſtet, ſalia volatilia cum epithematibus ſpirituoſis, maxime ſi refrigerium et terror præceſſerit, quibus demum ſi opus perſpirationem juvans Opium idonea doſi poteſt addi. Iracundia autem juſcula demulcentiſſima, emulſiones nitratas, clyſmata oleoſa poſtulat, et in ſummo tantum motuum impetu adjectum pacans Opium. Providendum dein omni modo, ut ſub diæta exactiſſima, viſceralibus roborantibus tonus debilibus membranis quantum fieri poteſt reſtituatur, ne malum cito iterum recurrat.

*) *Hamburger Zeitungen* 1774. No. 196. *Art. London.*

Sæpe ſæpius autem ingeſta mole et acrimonia peccantia, aut hanc in ventriculo debili facile contrahentia, potusque aceſcentes et fermentantes, fructus horæi etc. ingensque inde cumulata cruditatum omnis generis cacochylia, pariunt dolores inteſtinorum, maxime ſi in inteſtinis adfuerit laxa debilitas et ſenſibilitas ingens. His moleſtis ſenſationibus qui Opium extemplo opponit, næ! ille valde peccat in artis leges et in ægrorum ſalutem. Clyſmatibus, lenibus catharticis, mannatis, rhabarbarinis, quandoque ſalibus lenibus dilutisque, ut aquis egranis, everrendæ ſunt ſordes, ſuisque antidotis ſtimulus ſpecificus in iis latens enervandus,

ac flatuum tumultus aromaticis carminativis blandis coercendus eſt. Tum vero ſæpe, ut recte animadvertit Cl. JVNCKER,[h]) etiam dextre adhibendum Opium non neceſ- h) *Tab. de Colica in Caſtelli No. 18.*
ſarium erit, cum alvo ſoluta, et cauſa continente educta, dolores utplurimum ſponte ceſſent. Si vero evacuatione inſtituta uſus illorum e re videatur, doſes parciores is exhiberi cupit. Miror valde, Cel. BAGLIVVM *Pr. med. lib I. p. 101.* colicam a vini acido oriundam ſolis ſudoriferis et anodyno veſpertino curandam velle, cum acre acidum abſorbentibus melius ſuperetur, quam ſudoriferis, ſtimuloque hoc obtuſo et dolore ita conſopito Opium abeſſe queat, niſi remanens motuum ſpaſmodicorum, etiam ablata cauſa, vitium id poſtulet. Sane ſub hac conditione, ſi nempe correctis et excluſis ſordibus ſolæ motuum exorbitantium ſubſint turbæ, doloresque perdurent nihilominus, flatuumque ſit ſumma vehementia, anodynum et carminans Opium aliis aromaticis carminativis poterit jungi. Verum adhuc reſtitantibus cruditatibus exhibitum alvum pertinacius occludendo lupum ſtabulo includit, morbi durationem eadem manente cauſa præter rem extendit, debilitandoque ventriculi vim et omnem motum periſtalticum facile malæ digeſtioni ſubſecuturæ anſam ſuppeditat, morbique adeo recidivas et habitus poſt ſe trahit, ut de tali cardialgia modo monui. Ipſe certe WEDELIVS,[i]) licet contra *Cœlium Aure-* i) *Opiol. lib. II. Sect. II. c. 5.*
lianum, Opiata errore relevationis, ob præſentis temporis perditum ſenſum, hebetudine partium ſuffecta, fallere aſſerentem, et alios ſecus ſentientes diſputet, Opiumque in colica collaudet, tamen notanter addit: *modo non ſit fæcum in inteſtinis infarctus, cui prius medendum eſt.* Eapropter etiam miſcelæ Opii cum purgantibus multum patrocinatur, cui et RIVERIVS, HOLLERIVS, FORESTVS, HOFFMANNVS aliique favent, de qua vero quid ſentiendum k) *Med. Pract. cap. de colica.*
ſit, alibi dicam. Eadem ratione ETTMVLLERVS[k]) Opiata poſt purgantia in colica humoroſa demum convenire di-

cit, cum antea aſſumta motum materiæ viſcidæ lenteſcentis et nondum ſolutæ figant. Equidem fere ſemper ab Opio dehortatur STAHLIVS l) cum ſuis; recte tamen et laudabiliter ſentit, quando in colica flatulenta ſtricta alvo id nocentiſſimum declarat. Sane quando hæc omnia perpendimus curatius, tanto magis intelligemus valorem regulæ BAGLIVIANAE m) in ſananda colica: *Ante uſum Opiati ſemper enema injicias!* licet ſimul non conſtet, quid ſibi velit Cl. autoris aſſertum: *diaphoretica cum Opiatis mixta eſſe feliciſſima in colica*, cum Opium in ſe jam ſit ſatis potens diaphoreticum. Non ſaltem autem ut jam dixi per Opium ſopito intempeſtive dolore, et porta per quam hoſtis mature ejiciendus erat occluſa, alia mala gravia ſuſcitantur, ſed et ipſe dolor, ſi cauſa mole et acrimonia eminentiore peccaverit, non ſemper anodynis auſcultat, quin quandoque eadem in ſua ſede confirmata et fixata, contumacior redditur. Ita RIDLINVS n) recenſet colicos dolores poſt aſſumtum Opiatum exacerbatos, blando vero laxante et clyſmate ſtatim delinitos, dicitque talia ſæpe curationi ſufficere. Vidi certe ex hac intempeſtiva Opii adhibitione angores ſummos et cardialgias colicæ accedentes, imo vero febriles motus et incommoda varia circa caput; quæ omnia ſolus clyſter mitigabat, quo applicato per alvum qua data porta cum ſordibus in fugam agebantur. Ex his patet, quam male ſæpe hypochondriacæ colicæ opponantur anodyna.

Dolores inteſtinorum ab anomaliis menſium et hæmorrhoidum tractari cupiunt, ut dolores ſtomachi ab his cauſis. Dum ſanguis in utroque ſexu coacervatus per uteri et recti inteſtini arterioſos apices exitum non invenit, aut ob illos nondum huic itineri aptos redditos, aut (cum antea illum admitterent et transmitterent) nunc quacunque de cauſa conſtrictos et obſtructos, oneri eſt omnibus viſceribus abdominalibus, difficulter movetur per eorum vaſa et ſæpe in venis inteſtinorum, quas varicoſas reddit, pene ſtagnat,

l) Diſſ. de impoſt. Opii §. 25.

m) Pr. med. §. 101.

n) Lin. med. An. V. p. 1222.

ſtagnat, unde a membranarum nervoſarum tenſione ſummus dolor excluditur. Accedunt ſtricturis ſpaſmodicis per omne volumen inteſtinorum dominantibus, quibus ad pectus et caput cruor urgetur, anxietas ſumma, ſpirandi difficultas, palpitatio cordis, dolor capitis et quandoque delirium cum febre. VS. potus diluens demulcens, enemata blanda oleoſa, emulſiones nitratæ, epithemata emollientia ſæpe ad miraculum levant hos morbos, qui ſi febris acceſſerit ſola methodo antiphlogiſtica ſunt curabiles. Opium vero, maxime ſine laudatis remediis præmiſſis et conjunctis, ut calida omnia plus noxæ quam emolumenti adfert; neque injurius in id eſt HOFFMANNUS, o) quando facile ex ejus uſu in ejusmodi colica aſthma ſuffocativum, apoplexiam et alia ſontica mala provenire poſſe affirmat.

o) Med. Conſ. Tom. I. dec. II. caſ. I.

§. X.

Colica bilioſa.

Tranſeo ad colicam bilioſam, cujus faciem diverſa ratione pictam videas apud celebres auctores. Data opera colicam bilioſam deſcripſit SYDENHAMUS; a) aſſerit tamen Ill. BOERHAAVIUS, b) quod optimus hic vir morbum per ſua ſigna equidem egregie tradiderit, ſedem vero, quæ in hepate eſt, non intellexerit. Illam ponit BOERHAAVIUS in ductu choledocho calculis obſtructo, a quibus horrendæ anxietates et enormes dolores convulſivi in abdomine exoriuntur. Poſt hæc mala ſubita ſequitur quies, ſuccedit icterus cum urina intenſe bilioſa, poſt aliquod tempus evaneſcens; denuo vero redeuntibus poſt infidas inducias anxietatibus et doloribus, cum ſubſequente ictero, atque ita per vices alternas, donec conſumti ægri moriantur. Hæc colica bilioſa idem morbus eſt, ac phthiſis icteritia ſeu hepatica MORTONI, c) atque ab HOFFMANNO d) graphice peculiari capite, de doloribus et ſpaſmis a calculo felleo ortis, deſcribitur, alibique a BOERHAAVIO, e) tum et ab Ill. van SWIETEN, f) atque SCHULZIO g) aliisque. Cum hoc hujus ægritudinis ſchemate, phænomenorumque omni-

a) p. 258. ſeq.

b) Prælect. in inſtit. Tom. III. p. 165.

c) Phthiſiol. lib. III. c. 13.

d) Med. Syſt. Tom. IV. Part. II.

e) Aph. 950. et in Conſult. No. XVIII.

f) in Comment. ad hunc aph.

g) Diſſ. de ictero §. 16.

um ætiologia, ab allegatis egregiis medicis tradita, ſi comparemus deſcriptionem colicæ bilioſæ SYDENHAMI, prorſus nihil ſimilitudinis inter utrumque affectum reperiemus. Igitur penitus alium morbum deſcribendum habuiſſe SYDENHAMVM apparet, quem affectus hyſterici ſpeciem ad unguem referre, diverſum tamen et ab hoc eſſe poſtea dicit, [h]) tantum abeſt, ut hic morbus ſit ille, quem non minus colicæ bilioſæ nomine inſigniendum duxit BOERHAAVIVS. Notat equidem de ſua colica bilioſa SYDENHAMVS, quod ea ſæpe in icterum deſinat; at vero deſcribit eam tanquam morbum, qui plures ſimul invaſit inſtar epidemiæ, qui cum febrilibus ſymptomatibus incepit et dyſenteriam ſæpe excepit, qui æſtate juvenes bilioſo temperamento præditos adortus eſt, qui poſt dolores atrociſſimos vomitione frequentiore accedente in totalem periſtalſeos inverſionem atque iliacam paſſionem abire fuit ſolitus. Nihil autem horum omnium advertimus in colica bilioſa a calculo felleo, quæ eſt morbus valde ſporadicus, omnique anni tempore obſervabilis, ſine prægreſſa febre invadens, nil cum dyſenteria commercii habens, in hydropem potius et tabem poſt larga et dira tormenta, quam in ileum deſinens; quare ea omnino prorſus ſejungenda eſt a colica bilioſa Sydenhamiana. Atque utrumque hunc affectum propterea ſeorſim exhibuit HOFFMANNVS, [i]) et colicæ bilioſæ, et colicæ a biliario calculo mentionem injiciens. Illius facies et ſymptomata, quamvis non in totum, in tantum tamen coincidunt cum illis, quæ habet SYDENHAMVS. Namque HOFFMANNVS æque meminit æſtatis fervidæ, conſtitutionis corporis calidæ et ſiccæ, ætatis juvenilis et virilis, cardialgiæ, vomitionum bilioſarum; at alvinam dejectionem bilioſam crebramque ſimul habet, cum SYDENHAMVS potius de obſtructione alvi in iliacam adeo extenſa mentionem injiciat. Quicquid ſit, nemo ambigit, bilem eam acrimoniam rancidam, putridam, cauſticam contrahere, ſi diutius in duo-

h) *p. 267.*

i) *Tom. IV. Part. II. p. 321. 326.*

duodeno ſtabuletur, per calores æſtivos aut ex qualibuscunque cauſis copioſius ſecreta, et dein effuſa per ſuos ductus, ut irritatione et arroſione membranarum inteſtinalium ſummis doloribus ciendis par ſit: quis ergo, hac cauſa poſita, dubitaret morbum appellare colicam bilioſam, eamque affinem habere choleræ morbo? Vix vero eodem jure ille dolor inteſtinorum colicæ bilioſæ nomen gerit, qui a calculis felleis excitatur. Quamvis enim, poſt prægreſſas ſpaſticas conſtrictiones, bilis ſeſe per totum ambitum corporis diffundat et eo depoſita, turbisque jam conquieſcentibus, antea cauſam morbi ſuppeditaviſſe videri queat: tamen potius calculus obſtruens, tendens et lancinans ductum nervoſum cyſticum vel et choledochum, ſicque bili liberum flumen ad inteſtina intercipiens, cauſa eſt dolorum, non ſecus ac calculus hærens in conſtricto per ſpaſmos uretere, urinæ ex renibus deſcenſum præpediente. Equidem et bilis ipſa, in itinere ſuo impedita ſenſimque eapropter coacervata, ſimul ſæpe fere ad crepaturam usque tendit ductus ſuos et veſiculam, quæ dein ſpaſmis et vomitubus retrorſum in hepar et venæ cavæ ſyſtema agitur, ſanguini omni miſcenda et icterum excluſura; tamen potior culpa calculo debetur.

Hac theoria et differentia colicarum bilioſarum ſtabilita, venio tandem ad praxin uſumque Opii congruum et incongruum. Colica a ſtabulante acrimonia bilioſa acerrima in inteſtinorum canali oriunda, ſive his ſive illis ſymptomatibus ſtipetur, deſiderabit ſine dubio ſtimuli vellicantis correctionem et eliminationem; quibus binis impetratis omnium certiſſime dolores conquieſcent. Atque ſub his conditionibus in hac colica bilioſa, in qua fere neceſſaria narcotica habet HOLLERIVS *de morb. intern. lib. I. c. 41.* qui in pituitoſa uſum eorum ſuſpectum, ſed ut patet, ex antiquo præjudicio edixerat, etiam prorſus abeſſe poterunt. Equidem tenuem, acrem et bilioſum humorem craſſum reddere, ad concoctionem perducere, et ad bonam temperiem

k) *Opiol. lib. II. Sect. II. Cap. V. p. 119.*

convertere Opium, vult WEDELIVS, [k]) qui id eapropter præcipue in colica bilioſa et calidiori temperamento præditis prodeſſe affirmat; vereor autem, ut hoc unquam aliquis ſerio probet. Valde ſcilicet ridicula eſt incraſſans Opii virtus, quicquid etiam de ea paſſim dicatur, dum id ipſum acerrimum eſt, neque acrimonia ſua bilioſæ acrimoniæ, tanquam acidum acrimoniæ alcalinæ, antitoxicumque toxico vere contrariatur; inſuper parva mole, qua aſſumitur, multis ſordibus acribus bilioſis invertendis aut incraſſandis haud ſufficeret. Nitrum putredini bilioſæ reſiſtens, emulſionibus dilutum, juſcula hordeacea, avenacea, ſerum lactis, lac ebutyratum, aliaque acidiuſcula et acida lenia, aqua ſimplex frigidiuſcula, clyſmata oleoſa, mannata, rhabarbarina, unice hic laudem merentur, quibus ſubjungere ſaltem vel, ſi dolor ſit vehementiſſimus, interponere licebit Opium, veris corrigentibus et evacuantibus ſimul ſemper denuo adhibitis. Laudat cathartica ex manna, rheo, tamarindis in colica ſua bilioſa et repetenda vult SYDENHAMVS, quamvis a VSe et anodyno incipiat et, ſi vomitus ſit urgentiſſimus, primo eum anodyno compeſcat, paucis horis elapſis catharticum exhibiturus; colophonem vero paregoricis deinde morbo imponit, in quorum adhibitione, quæ obſervanda ulterius ſint, videri apud eundem poterunt. Cautum tamen interea eſſe debere in eorum adhibitione medicum, ac nunquam obliviſci correctionis ſordium et evacuationis earum per alvum, ex eo dilucide apparet, quod facile cœco impetu illa porrigens vel turbare queat diarrhœam morbum ſoluturam, vel periſtalſi per dolorum tormenta ſeſe jam invertente, obſtructionem alvi pertinaciorem reddere et ilei acceſſum maturare. His tamen non obſtantibus remedium anodynum apte datum halcyoniis a furiis dolorum præſtandis, dum interim cauſa impugnatur et expugnatur, vel eliminata illa, ſpaſmis habitualibus conſopiendis, omnino par eſt; atque ad has regulas uſurpato non

ſemel

ſemel me in ſimilibus malis et placuiſſe, et profuiſſe, ægris meis, bene recordor.

Quod nunc colicam et cardialgiam bilioſam, ſi ita eam appellare libuerit, a calculo felleo oriundam, attinet, hic in cauſam ipſam fixam et permanentem valde parva aut nulla ſæpe poteſtas eſt medico. Multa tentavit Illuſtr. van SWIETEN,[l]) ut inveniret menſtruum, quod ſolveret hæc concreta vere calculoſa, et ſimul tuto et integris viribus pervenire poſſet ad illa loca, ubi hærent; ſed nondum fuit tam felix, ut tale quid detegere potuerit. Igitur maxime medicus, non prorſus equidem poſthabita hac indicatione, (ſi nempe bilioſa amurca adhuc ſui diſſolutionem patiatur, antequam induerit calculoſam duritiem,) proſpicere debebit motubus enormibus, qui ob dolorum cruciatus, quos cient, conſopitionem ſui omnino poſtulant. Quanquam vero hic laude ſua minime defraudandas velim emulſiones papaveraceas, oleoſas, amygdalinas, decocta et infuſa emollientiſſima, liquorem anodynum Hoffmanni etc. hæc omnia tamen una cum clyſteribus, unguentis et fomentationibus externis, ut et omnem illum inermem, terreum et helmontianam ſuperſtitionem olentem apparatum, quem cum præcedentibus Celeb. HOFFMANNVS[m]) collaudat, in ſumma dolorum acerbitate nimis ſegnia habeo et expertus ſum, niſi addatur Opium. Memini bene conjugis celebris alicujus mercatoris e noſtris, cui ſedentariæ vitæ addictæ, poſt menſium finem cum horrendis præcordiorum anguſtiis, vomitubus et doloribus hypochondria et totum abdomen occupantibus, colluctanti olim cum alio medico noſtrate medicinam feci. Sopitis his afflictionibus ſuccedebat icterus, poſt 14 dies redibant prædicta ſymptomata, accedebat iterum icterus, hæcque ſcena ſat triſtis ludebatur 7 vel 8 vicibus. Doloribus infandis cardialgicis, vomitubus et anxietatibus ad lipothymias aſſurgentibus ne hilum detrahebant alia remedia omnia. Unica ſacra anchora erat laudanum liquidum, vel

l) *vid. Comment. Tom. III. aph. 950. p. 134.*

m) *Tom. IV. Part. II. Sect. II. c. III. p. 270.*

vel diaſcordium Fracaſtorii, quibus ſingulis tribus vel quatuor horis adhibitis impetrabatur quies ſymptomatum. Cauſam eorum ob ipſum icterum periodicum in concrementis calculoſis, in ductubus biliferis hærentibus, quærebamus, gnari eorum, quæ præter ſupra laudatos auctores MORTONVM, BOERHAAVIVM, HOFFMANNVM, SWIETENIVM, SCHVLZIVM, BONNETVS,[n] BLEGNY,[o] BORELLVS,[p] PETERMANNVS,[q] BIANCHI[r] et alii de ictero a calculis expoſuerunt. Exhibebamus extra paroxyſmum dolorum ſerum lactis, aquas medicatas, terram fol. tartari, pilulas ex ſapone ad multas uncias, oxymel ad multas libras, maxime autem ſuccum graminis et taraxaci, pharmaca LANCISIO, BIANCHI, BOERHAAVIO laudatiſſima, quibus ante paucos annos acceſſit van SWIETEN,[s] qui tenuioris ſortis hominem, eodem affectu laborantem, ſolo decocto graminis cum melle pro potu, et gramine juſculo carnium incocto fere pro ſolo cibo, diu ſatis uſurpatis, a ſe ſanatum recenſet, aliosque ſero lactis cum herbis ſaponaceis cocto, ſapone veneto, ſale polychreſto, ſyr. 5. rad. aperient. et aquis medicatis non minus ab ictero liberatos, exeuntibus ſemper per alvum calculis, ſimul memorat. Neque unquam vir præſtantiſſimus de ſanatione deſperandum eſſe inculcat, cum ii etiam non ſoluti per dilatatum tamen ductum cyſticum et choledochum ingredi duodenum queant, et tum cum fæcibus alvinis eliminari. Noſtros conatus forte eadem felicitas manſiſſet, namque longiores fuerant hactenus obſervatis induciæ; quinque hebdomades præterierant, ex quo ab ictero et doloribus ſalva manſerat optima fœmina, magnamque nobiscum ſpem conceperat ſanitatis in integrum reſtituendæ. Carcere vero conſtricta hactenus in ſuo conclavi liberiorem aerem capere anhelabat, curruque extra urbem vecta ſubitanea apoplexia, eademque graviſſima, prehendebatur, altera die ex hac vita abitum maturante. Video quidem in *Nat. Curioſ. Ephem.*[t] cal-

n) *Sepulchr. II. Sect. VIII. obſ. 36. Sect. XVIII. obſ. 4. §. 25.*

o) *Zodiac. I. p. 95.*

p) *Cent. I. obſ. 4.*

q) *Diſſ. de ſcrutinio icteri ex calculo veſiculæ fellis.*

r) *in hiſt. hepat.*

s) *Comment. Tom. III. aph. 950. p. 136.*

t) *Cent. III. p. 380.*

calculum veſicæ felleæ apoplexiæ accuſari autorem; in noſtra illum, ſi ſupererat, dum ſat diu quieverat, funeris fabrum declarare dubitarem, quanquam ſub paroxyſmo ſpaſmi immanes in fœmina ordinarie anheloſa, et breviore collo inſtructa, viſcidisque humoribus toto corpore repleta, his reſtrictis verſus ſuperiora fatalem capitis morbum progignere potuiſſent. Sed ut ad Opium redeam, objici mihi id ſub ſpaſmorum turbis laudanti poterat, cum ipſis ſpaſmis forte vomitum potius tolerandum eſſe, cum ea concuſſione corporis durante ſpes ſit, ut loco moveatur et verſus duodenum per ductus propellatur e cyſtide calculus, per alvum deinde eliminandus. Verum adeo ſævit ſæpe dolor, adeo horrendæ adſunt conſtrictiones, ut niſi hæ relaxentur, ductubus nervoſis ſeſe nimis contrahentibus, firmius includatur calculus, tantum abeſt, ut excutiatur. Favet huic meo aſſerto Illuſtr. van SWIETEN,[u]) qui, vomitum ſalubre molimen naturæ pro promovendo calculo agnoſcens, tamen ubi intolerabilis anxietas et nimis violentus vomitus, aut dolor acerrimus urget, Opiata cum ſucceſſu dari dicit, utpote quæ, eadem ratione ac in ureteres delapſo calculo, ſpaſmo nimis conſtrictas partes relaxent, et calculo ex anguſtiis ductuum biliferorum feliciorem exitum parent.

u) *Comment. Tom. III. aph. 950. p. 136.*

§. XI.

Colica ſaturnina.

Sequeretur jam colica nephritica, ſed de hac agam in ſequentibus ſub tractatione de nephritide. Saturninæ vero hic oblivisci nequeo,[a]) quam fumi, ex plumbi mineris a metallicolis ore excepti et cum ſaliva deglutiti, remedia ſaturnina intus incautius data, et lythargyrio infecta vina producere ſolent. Inter aliquot hujus colicæ exempla, quæ vidi ipſe, unum adducere liceat. Laboraverat fœmina nobilis delicatulæ et tenuioris ſtructuræ, poſt puerperia et abortus, ab aliquot annis fluore albo, cui ſanando omnem fere medicinalem apparatum incaſſum impenderat Cl. noſter de HAEN. Feſſus me ſecum adducebat ad ægram ſuam, quæ

a) *Vid. diſſ. Hoffm. de Metallurgia morbifera et Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 323. 324.*

quæ diuturno uſu rhei et ſuffitu ex olibano, maſtiche et ſuccino a me propoſito non levabatur, licet alioquin bina hæc remedia conſtanter per menſes uſurpata prodeſſe multum obſervaverim, ſi legitima diæta accedat, in malo non per annos inveterato, quod forte clyſmatibus uterinis expugnandum foret, niſi intempeſtiva verecundia toties obſtaret. Acceſſerat autem ex vicino principatu medicus quidam, praxi et officio publico quod gerebat in Sileſia celebratiſſimus, nobisque inſciis promittebat certam ſalutem. Ego forte fortuna brevi poſt viſebam ægram ultro mihi confitentem, ſe ex ejus conſilio bis vel ter de die uti pulvere, quo ille multoties ſe ſanaviſſe pertinaciſſimum morbum gloriatus fuerat. Ardebam ſtatim deſiderio videndi pulverem; illa vero mihi lubens formulam præſcriptam monſtrabat, duas partes oſſis ſepiæ et unam ſachari ſaturni habentem. Valde miratus clari viri conſilium interrogabam ægram, an, dum per aliquot dies jam uſa fuerat hoc remedio, nondum perſenſiſſet incommoda notabilia in abdomine. Illa neſciens, unde hoc conjicerem, confeſtim affirmabat, ſe nudius tertius et heri, et hodie, ſenſim ingraveſcentes paſſam fuiſſe ſtricturas circa ſtomachum et umbilicum, non ſine doloroſis ſenſationibus, quas vero neutiquam tribueret aſſumto pulveri. Ego tum memor omnium, quæ de ſachari ſaturni intus ſumendi uſu valde periculoſo annotarunt LENTILIVS, BOERHAAVIVS, STAHLIVS, HOFFMANNVS, RAMAZZINI,*) van SWIETEN **) et alii, nondumque per ea, quæ tradidit Cl. HVNDERTMARCK,[b]) de ſecuritate ejus convictus, ſuadebam ingenuus junceo corpuſculo fœminæ, ut ſtatim abſtineret ab ancipiti valde remedio, aut miſeros effectus expectaret; quo monito audito, illa cum advocato marito totam ſcatulam pulveris per feneſtram abjiciebat, atque emulſionem amygdalinam ſaturatiſſimam, quam præſcribebam, capere per vices incipiebat. Sed hoc lenientiſſimum pharmacum inhibere

*) *de morbis figulorum.*

**) *Tom. III. p. 360.*

b) *Exercit. de ſacb. ſaturni uſu, quæ habetur in App Vol. VII. Act. Phyſ. Med. N. C.*

bere amplius haud poterat, quin indicibilis in inteſtinis dolor totum abdomen introrſum trahens, inquies ſumma, vomituritio perpetua, cardialgia immanis et pertinaciſſima alvi conſtipatio altera die ingruerent. Confugiebamus medici ad olea blandiſſima, ſuperiori et inferiori gutture ingerenda; exhibebamus juſcula et decocta emollientiſſima; ſuadebamus emollientiſſima balnea, cum litubus talibus abdomini applicandis; congerebamus gelatinoſa et mucilaginoſa omnia a LENTILIO laudata; [c]) propinabamus demum pro potu ordinario lac naturale, vel artificiale. Sed omnia hæc haud ſufficiebant immanibus ſtricturis et cruciatubus levandis, avertendisque quæ ſæpe imminebant convulſionibus, niſi adjiceremus et interponeremus ſtrictiſſimas fibras relaxans Opium, cujus et laudatorum pharmacorum per aliquot ſeptimanas perpetua adhibitione miſeræ fœminæ tandem ſanitas reſtituebatur, leucorrhœa ut antea perſeverante. De uſu Opii in ejusmodi morbi genere equidem nil habet HOFFMANNVS, [d]) ſola pinguia interna et externa collaudans; fructus tamen inde expectandos jam ſubolfecit LENTILIVS, quippe qui, remedio cuidam ex bolo, ſpec. diatrag. ſyr. de alth. et de ſymphito ſi aliquis addere vellet diaſcordium, non forte eum male facturum aſſerit. Ego expertus Opium, cauſam impugnare aptis remediis admiſtum, bona fide commendo, recordorque ſimul gaudii illius, quod mecum naſcebatur optimo HAENIO, quod fœmellam, in Saturni mediis faucibus hærentem et ab eo propediem devorandam, feliciter conjunctis manibus noſtris auxiliatricibus retraxiſſemus.

c) *Iatromn. p. 72.*

d) *Vide Med. Syſt. Tom. V. Part. II. p. 334. et diſſ. de Metallurgia morbifera.*

Progredior vero jam ad illam colicam, quæ a materia tenui et acri ad corticem corporis ableganda, vel ab eo retropulſa, exanthematica, ſcabioſa, purpuracea, eryſipelatoſa, arthritica, podagrica, exoritur, dum ſenſibiles inteſtinorum villi vellicationem et irritationem materiæ rodentis ſine crispatura doloroſa haud patiuntur. Talem cauſam

quo-

quoties ex juſta omnium phænomenorum conſideratione atque ante actorum examine ſubeſſe conjicit medicus, nil magis ipſi incumbit, quam diſpicere ſedulo, ut nondum expulſa materies, vi vitæ forte nimis debili exiſtente, hac incitata ad exteriora determinetur, aut retropulſa ſi fuerit, per motum humorum a centro ad peripheriam reſtitutum et intenſiorem redditum denuo expellatur. Præter regimen juſtum perſpirationi et diaphoreſi favens, infuſa calida herbarum aromaticarum, rob ſambuci, ſalia volatilia parvis doſibus, ſulphur, camphora nitro nupta, una cum frictionibus artuum, phœnigmis rubefacientibus, veſicatoriis, pulchre aliquando proſunt; quibus et diaphoreticum Opium addi omnino meretur, ſenſui moleſto ſimul deliniendo aptum, id quod aliis pharmacis negatum eſt; at tum ſaltem, quando calida conducunt et languor vis vitæ ſubeſt, febre quippe præſente, omnia ſanguinem expandentia et commoventia exulare debent. Sane in colica arthritica ob ſenium, debilitatem et alias cauſas, paroxyſmis arthriticis diutius emanentibus, nullis, raris, parvis, brevibusque, enata, Cl. MVSGRAVE [e]) aliis remediis calidis expellentibus mithridatium adjicere non dubitavit, pro juſta excretione materiæ juvanda. Atque ego probe memini, me in ſimili cauſa extemplo profuiſſe binis ægris ſola theriaca cum hauſtu vini aſſumta, dum ſimul corpus ſtragulis bene cooperiebant.

e) *de Arthritid. Anom. c. III.*

§. XII.

Inflammatio inteſtinorum.

In conſideratione dolorum inteſtinalium ſummopere expendi meretur inflammatio, in hac vel illa plaga totius canalis alimentorum membranacei enata. Sæpiſſime quidem dolent inteſtina a variis cauſis ſine inflammatione, peccantque eapropter valde, qui ad leviores etiam moleſtias, quas æger ex aliquo forte diætetico vitio perſentit, ſtatim inflammationem adeſſe clamitant, omnibusque armis medicinalibus contra illam dimicant. Certum tamen etiam eſt, quam-

quamcunque cauſam dolorem in inteſtinis producere aptam, producere poſſe inflammationem, ſi cauſa ejus non ſtatim tolli queat et dolor increſcat. Namque dolor omnis vehementior ſemper ciet affluxum humorum majorem ad locum inteſtini affectum, conſtringitque vaſa ſanguifera per eum excurrentia; hinc ſtagnatione et affluxu majori poſitis, atque per irritationem generis nervoſi genita febre, inflammatio brevi excluditur, qua tandem in gangrænam abeunte, ſi dolor inteſtinorum necaverit, mors excluditur. Jam vero in antecedentibus clariſſime evici, inflammationibus febribusque inflammatoriis ſanandis contrariari potius Opium, tantum abeſt ut medelam juvet; quare prona conſequentia et imminentibus actuque præſentibus inteſtinorum inflammationibus abeſſe debebit; cumque omnibus inteſtinorum doloribus accedere queat inflammatio, rariſſime in iis vel hoc ſolo reſpectu locum inventurum videtur hoc remedium. Verum enim vero accuratiſſime hic animadvertendum eſt, non ſaltem ſpaſmum et dolorem inflammationem inteſtinorum natam comitari et ſequi, ſed et ſpaſmum et dolorem inflammationem eorum fere ſemper præcedere, id quod omnibus poſſibilibus inflammationis inteſtinorum cauſis ſolertiſſime examinatis liquido conſtat. Omne nimirum acre ex potu, cibo, condimento, medicamento, veneno quovis; omne acre ex humoribus inquilinis genitum, iisque inhærens et ad inteſtina delatum; omnis ſpaſmus et convulſio a flatubus, antea irritando criſpat et dolere facit villos nerveos inteſtinorum, antequam motum circulatorium liberum ſufflaminet, cujus adeo ſuffocatio prægreſſæ criſpationis et ſtricturæ fibrarum et inde enatæ coarctationis vaſorum demum eſt effectus. Ubi igitur dolor in corpore præcedit inflammationem et ejus cauſam conſtituit, ibi Opium, aliis antiſpaſticis et fibras relaxantibus remediis irritis vel inſufficientibus, egregium eſt remedium; ſecus ubi res aliter ſe habet, tum enim vere nocet. Ut hoc arduum omnino in

praxi et ſcitu ſumme neceſſarium momentum clariſſime pateat, comparationem brevem inſtituam inter inflammationem muſculorum intercoſtalium pleuritidem et inflammationem inteſtinorum, dum in hac admitto et urgeo uſum Opii, quem in illa merito damnavi penitus. In pleuritide æque ſenſibilis et intolerabilis eſt dolor, ac in membranis inteſtinorum, quare primo intuitu æque videtur indicari et proficere Opium. Verum in pleuritide lentor in maſſa humorum præexiſtens et febrem accendens, ac febris eum in loca intercoſtalia determinans, præcedit dolorem, et lentor ibi in arteriolis ultimis hærens, ac impetus febrilis, uno verbo inflammatio eſt cauſa doloris. In dolore inteſtinorum ipſe dolor præcedens fit cauſa ſtagnationis et febris. Nunquam pleuriticus dolor exiſtit ſine ſtagnatione et febre; dolor vero inteſtinorum ſæpe ſine his exiſtit, aut ſaltem ad tempus ſine his conſectariis poteſt exiſtere. In pleuritide Opium febrem inflammatoriam auget, neque eam poteſt avertere; nam debuiſſet eximere potuiſſe ex omni maſſa ſanguinis omne lentum coriaceum ei inhærens, et inhibere motum circulatorium auctum, quod non poteſt, dum potius circulationem ex ſua virtute auget. At in dolore inteſtinorum ſæpe inflammationem cum febre poteſt prævertere et minuere, quia a ſpaſmo et dolore excluſa eſt, et ab iisdem fovetur graviorque redditur, dum coarctata vaſcula relaxat iterque ſanguinis ſic liberius præſtat. Hæc omnia ſi bene intellexerimus, vix nos ad aſſenſum perducet STAHLIVS, [a]) quando, ut quam animo tenuit Opii impoſturam comprobet, confidenter aſſerit: *Colica ferociſſima exagitatos, tantisque cruciatibus affectos, ut lapidibus miſericordiæ affectus per Germanorum proverbium moveri deberet, volutantes ſeſe in terra et incurvantes inſtar vermium, ad mentis emotionem pene adactos, abdominisque dilacerationem et crepaturam inſtare inter ejulatus et gemitus conqueſtos, nullum tamen vitæ periculum incurrere, ſed experientia teſte*

a) *Diſſ. de impoſtura Opii* §. 43. 44.

poſt

poſt aliquot dies ordinarie iterum ad ſanitatem reverti; atque hanc rem docere poſſe medicos, quod hujusmodi affectus non ita urgeant, efflagitent et veluti imperent præſentiſſimum ſolorum dolorum cohibitionem, ut aliæ periclitationes inſuper haberi mereantur. Sane ſi quid video, non ſaltem immiſericordis ſed et parum in futurum ſapientis eſſet medici, apud tales ægros, licet forte interdum neglecti aliquot emergant per naturæ bonitatem, non cogitare de criſpatione ſumma fibrarum, doloris ineffabilis cauſa, deque metuendis ab eadem effectubus; nempe ut malis aliis, a nervis ſumme irritatis in partibus ſumme ſenſibilibus facile naſcentibus, ita et de præſentaneo inflammationis et gangrænæ periculo, quod impugnata et ſublata criſpatura, dum ſimul ejus cauſa cognita impugnatur, præverti omnino poteſt et debet. Verum dolore et ſpaſmo ſummis, non bene intelligeret medicus vires remediorum antiſpaſmodicorum et eorum limites, qui ab alio, quam ab Opio antiſpaſmodicorum ſummo, levamen expectaret. Fallitur quoque Cl. IVNCKERVS[b]) per ſuam hypotheſin, quæ eum odiſſe Opium jubet, ubi in doloribus colicis tum præcipue ab eo abſtinere præcipit, ſi veſtigia febrilia præſto ſint cum doloribus, et ita impendentis ſtaſeos inflammatoriæ ſuſpicio adeſt. Namque eo in caſu bene adhuc locum habet Opium; quo citius autem cum iis, quæ doloris cauſam impugnant, ipſum ſpaſmum Opio domare, naſcituramque ex eo et imminentem adhuc inflammationem prævenire poteſt medicus, eo melius. Igitur et cum grano ſalis intelligenda ſunt verba Illuſtr. HOFFMANNI,[c]) rem periculi pleniſſimam eſſe dicentis, ubi ventriculus et inteſtina ad inflammationem et ſphacelum inclinant, Opiata et anodyna propinare. Quando præſente dolore inclinatio ad inflammationem adeſt, ſine dubio ſimul actis aliis agendis, perquam bene exhibetur Opium; inclinatio vero ad ſphacelum ponit jam actu præſentem et ſatis adultam inflammationem, in quo rerum ſtatu ſero nimis datum nil

b) *Tab. de colica caut. 19.*

c) *Med. Syſt. Tom. II. Part. II. c. VII. §. XI.*

prodeſt Opium, quod forte mature exhibitum profuiſſet. Ipſe certe optimus vir in ileo, ut in ſequentibus conſtabit, ubi tantus ſemper inflammationis metus eſt, Opiata valde laudat et in doloribus aliis inteſtinorum paſſim permittit; atque paulo poſt valde limitat ſuum aſſertum mentemque, quæ ipſi eſt, clarius explicat. [d]) *Quando atroces dolores inteſtina infeſtant*, ait, *haud parvum adeſt periculum inflammationis; prudentis itaque eſt medici, in paſſione iliaca et colica, vires ægri, tempora morbi et humorum conditionem intueri, ne ſedativa adhibita noceant.* Atque quam idoneum, ſi rite adhibeantur, locum in inteſtinorum inflammatione, et quod bene notari velim, non imminente, ſed adeo jam actu præſente, Opiata habeant, ſuffragio ſuo ponderoſo hercle monſtrat Illuſtr. BOERHAAVIVS, dum aliis indicatiſſimis remediis a ſe traditis Opiata diſertis verbis addi cupit, quæ tamen omnino prudenter uſurpari vult, iisque præcipue jungi, quæ cauſæ ſingulari cognitæ adverſa ſunt. Poſſet his omnibus, pro uſu Opii in inteſtinorum inflammatione militantibus, rigoroſior medicus veritatis tamen ſimul amans opponere, ſpaſmo dolorifico per Opium oppugnato, præpediri equidem poſſe ſtaſin inflammatoriam, ſed inflammatione jam nata, dum ſpaſmum oppugnat hoc remedium, eodem tamen tempore ſua inſita vi etiam ſimul inducere orgaſmum, augere circulum et ita juvare ipſam inflammationem. Ego autem reſpondeo, feliciorem utique eſſe Opii operationem, ſi id præveniat inflammationem nondum natam, quam ſi exhibeatur ea jam præſente; interim tamen, ſi ea excluditur et gravior redditur a perdurante ſpaſmo, non negari poterit, Opium ut antiſpaſmodicum impedire cauſam atque ita efficere, ut effectus ejus inflammatio ſit mitior, quam ſi cauſa eadem vi agere pergat. Dein ſi ſaltem nunquam obliviſcatur medicus, ſpaſmum ſopiens Opium vere et rarefacere ſanguinem circulumque accelerare, quamvis et celeritas circuli quatenus a dolore pendet, imminuto dolore,

d) *in ſchol.*

lore, imminui debeat, tanto minus intermittet Opio præmittere et jungere remedia rarefactionem et circulum auctum infringentia, ſicque cavere malos effectus Opii, dum interim per ea exoptatus effectus antiſpaſticus non inhibetur, ſed iis adhibitis nihilominus obtinetur. Id elegantiſſime docuit Ill. van SWIETEN, e) quando, antequam ſpaſmos præ omnibus aliis remediis certius ſoluturum Opium exhibeatur, prius VSem adminiſtrandam et clyſmata infundenda ſuadet, ut inflammationis augmentum inhibeatur, cum alioquin contingere poſſet, ut per Opiata, ſopito doloris ſenſu, inflammatio deſtrueret gangræna nata partem affectam. Hoc certe non facile fiet, ſi medicus ſaltem uni Opio non fidat unquam, ſed ſemper inter ejus et poſt ejus uſum inflammationem ipſam omnibus antiphlogiſticis impugnare non intermittat. Ubi autem conclamatum jam de ægro eſt, aut propter vim ſummam morbi, aut propter omiſſam in principio principii juſtam medendi methodum, viribusque omnibus exhauſtis, pulſuque jam debili et intermittente, ac ſubitanea doloris acerbiſſimi abolitione ſine bona cauſa gangræna imminet et mors inſtat: tunc non amplius indicatur Opium, ſed abſtinere ab eo præſtat, cum in eo rerum ſtatu, HOFFMANNO et SWIETENIO monitoribus, non ſine magna medici infamia adhiberetur. Tanto judicio opus eſt, pro recto ejus uſu in inflammatoriis inteſtinorum affectubus adornando.

e) *Comm. Tom. III. §. 964. p. 275.*

§. XIII.

Ileus.

Nunc autem graviſſimos illos cruciatus inteſtinorum ſæviſſimis ſymptomatibus ſtipatos aggredior conſiderare, quos ilei nomine ab Hippocratis jam ævo medici inſignivérunt. Inter veteres ARETAEO et TRALLIANO in hoc morbi genere jam commendata fuerunt Opiata. Inter recentiores LENTILIO, WEDELIO, BOHNIO, SYDENHAMO, BAGLIVO, PITCARNIO, HARRISIO, HOFFMANNO, WERLHOFIO, MEADIO, SWIETENIO lau-

dan-

dantur. Atque hi quidem omnes Opium adhibendum ducunt, ut ægrum ſervent, non ut ipſi exitum ex hac vita faciliorem reddant; id quod intendere videtur MERCVRIALIS,[a]) quando, ſi alia remedia non levent dolorem, ad narcotica et audacter deveniendum ſuadet, quia multi ſint, quibus in hoc miſero morbo optatior eſt mors, quam vita. Sane eadem mens laudatis viris omnibus non eſt; aliquis vero quoad uſum in ſanitatis reſtitutionem tendentem conſentientium obſervatur diſſenſus, ſi eorum conſilia expendamus, tempus, morbi circumſtantias, et modum et finem ratione exhibitionis anodynorum ſpectantia.

a) *Med. Pr. lib. III. c. 27. p. 392.*

ARETAEVS[b]) de curatione volvuli agens, bonum eſſe dicit ex viperis medicamentum plus conſueta portione potui datum. Verum illud eſſe theriacam Andromachi, qui mithridatio Damocratis viperinas carnes addidit et Opii quantitatem auxit, elegantiſſime notat Illuſtr. van SWIETEN;[c]) majorem autem ſolito hujus remedii quantitatem dari præcepiſſe ARETAEVM, hic animadvertit, ut eo efficacius dolor et ſpaſmus conſopiretur. TRALLIANVS vero, ut ſedulo recenſuit FREIND,[d]) valere Opiata eapropter quammaxime reputavit, quia purgantium neceſſario in medela adhibendorum vim hebetent et imminuant, uſumque ſic ſecuriorem reddant, utpote quæ ſola nimis inteſtina compungerent et noxas adferrent. Recentiori tempore LENTILIVS,[e]) paſſionem iliacam vomitubus jam ſtercoraceis, Opiatorum, clyſterum et topicorum emollientium beneficio curatam recenſens, Opiata tuliſſe omnem paginam affirmat. Deinde etiam WEDELIVS,[f]) ubi in ileo implacabilis dolorum ſævitia torquet, ſacram anchoram et extremum ſolatium Opiata eſſe edixit; hinc laudani granum unum vel alterum per ſe dari poſſe conſuluit, vel et una cum purgantibus, ut una fidelia tollatur dolor et materia morbifica. Aut ut ipſe facere conſuevit, primo Opiato nepenthe doloribus ſuccurrendum, dein purgante alvinam

b) *Curat. acut. lib. II. c. 5.*

c) *Comment. Tom. III. p. 175.*

d) *Hiſt. Med. pag. mihi 163.*

e) *Ephem. Nat. Cur. Dec. III. Ao. I. pag. 231. in append.*

f) *Opiol. p. 320.*

ex-

excretionem ſollicitandam injunxit, in Opiatis et purgantibus unam verſari iliacorum ſalutem affirmans, et ad exemplum in *Ephem. Nat. Cur.* [g]) a ſe exhibitum provocans. Poſt WEDELIVM BOHNIVS [*]) in colica cum alvi conſtipatione, ſeu paſſione iliaca, alvum laxantibus anodyna præmitti vult, quo ſpaſmos inteſtinorum convulſivos prius leniant, ſicque hæc vel ſponte vel a purgantibus ſollicitata liberius transmittant et dimittant contenta hactenus congeſta et oneroſa. Deinde SYDENHAMVS, licet antea (*Operum p. 91.*) ſale abſynth. cum ſucco limonum, aqua menthæ, catulo vivente pro fomento applicato, et pilulis coch. maj. ileum curabilem aſſeruiſſet, aliis locis medendi methodo etiam Opium addit. [h]) Scilicet miſſo ſanguine, ſtatim ad purgantia, ſcammoneum, jalappam, pilulas ex duobus accedit; at ſi æger ea vomitu rejiciat, laudanum liquidum propinat, ſedataque vomituritione et dolore mitigato, iterum cathartica exhibet; horumque effectu non ſubſequente, ſi redierit cum dolore vomituritio, iterum dat laudanum, repetitque, donec quiete inteſtinis inducta catharticum in corpore reſtitans ſuam operationem per ſedes exeruerit, cui donec æger curatus ſit adhuc aliquoties laudanum ſubjungit. Venio ad BAGLIVVM; [i]) hic de fortioribus purgantibus et clyſmatibus ſtatuit, quod magis alvum obſtruant ob auctam fibrarum inteſtinalium criſpaturam, meliusque conferant anodyna, emollientia et diſſolventia. PITCARNIVS [k]) in una ſaltem morbi ſpecie admittit Opiata, nempe quando ileus eſt effectus vomitionis vomendique conatus; tunc enim antemeticum remedium Riverianum cum laudano opiato exhibet; in cæteris ſpeciebus de Opio tacet, obſtructioni alvi autem reſerandæ leniora cathartica, ut oleum amygdalinum cum manna, fortioribus miſſis, aptiſſima eſſe affirmat. Poſt PITCARNIVM HARRIS, [l]) ſi dolor colicus vehementius excruciet, immanesque oboriantur vomitiones, fæcibus obduratis, viaque dejectionum prorſus

g) *Dec. I. Ao. II. obſ. 238.*

*) *de Officio medici dupl. p. 360.*

h) *Operum p. 760. ſeq. et 671. ſeq.*

i) *Operum p. 139. 140.*

k) *Elem. Med. lib. II. c. XIX. p. 175.*

l) *Obſ. IX. p. 186.*

ſus occluſa, poſt VSem enemaque valde ſalinum, ubi indicantur, cathartica laudano conjuncta paroxyſmum tollere plerumque ſolere contendit. Sed et hic blanda cathartica tutiſſima eſſe dicit, cum fortiora bili ferocienti ſtimulos addant. HOFFMANNVM [m]) quod attinet, is principem indicationem ponens in ſtricturarum doloroſarum mitigatione, a qua lege conſortii nervorum omnia ſymptomata pendeant, quæ ſedato dolore leventur, cum liquore anodyno remixtum ſuadet laudanum helmontianum; atque alibi in dolorum ſævitia minime metuendum eſſe Opiatorum uſum inculcat, modo viribus conſtantibus plethora fuerit ſoluta. In iliaca vero ab hernia incarcerata Cel. WERLHOFIVS, [n]) alvo clyſmatibus ex colocynthide et nicotianæ fumo pulvereque pleuritico Mynſichti aperta, ſubjungendum demum ſuadet anodynum. MEAD [o]) anodyna neceſſaria eſſe aſſerit, ſed cum purgantibus miſta, granum unum extracti thebaici, cum ſcrupulo uno extracti cathartici, una cum infuſo ſennæ dandum præcipiens, donec dejectionum ſatis fuerit. Tandem Illuſtr. van SWIETEN [p]) Opium in doloribus inteſtinorum, ipſaque adeo iliaca paſſione, quo nullum ad ſpaſmos ſolvendos potentius remedium habeatur, commendat, ſed non niſi præmiſſa VSe et clyſmatibus, ut inflammationis augmentum præpediatur.

m) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 297. et 301.*

n) *Commerc. litt. Norimb. ao. 1735. hebd. 1.*

o) *Monit. med. p. 72.*

p) *Comm. Tom. III. p. 175.*

§. XIV.

Uſus Opii in eo legitimus.

Ita ſane ſat graves viri militant pro uſu Opii in ileo ſanando. Demus nunc ſaltem operam, ut quod in conſiliis invicem a ſe differt diſpeſcatur, vel concilietur, juſtusque optimo remedio in hoc morbo ſtabiliatur locus. Monſtrant adeſſe ileum dolor ſummus inteſtinorum et maxime ilei, deinde alvi obſtructio pertinax omnibus ſæpe purgantibus et clyſmatibus rebellis, tandem accedens vomitus perpetuus omnium ventriculo et inteſtinis contentorum et ingeſtorum. Cauſa horum omnium eſt motus periſtalticus, qui ſecundum naturam deorſum tendit, jam præter naturam inverſus.

verſus. Huic inverſioni, ut optime notat SYDENHAM,[a] anſam dant vel obſtructio, vel irritatio inteſtinorum, utraque vel obturat, vel coarctat enato ſpaſmo iter deorſum ad guttur inferius devolvendis iis, quæ in inteſtinis continentur. Talis autem vel obſtructio vel irritatio producitur 1) ab omni valido dolore inteſtinorum, unde gravis colica aliquando tranſit in ileum, partiumque vicinarum nervoſarum inteſtina in conſenſum rapientium ſpaſmi et convulſiones, ſuppreſſio urinæ, vomitusque eum inducere poſſunt; 2) ab excrementis compactis, ſubſiſtentibus, alienis deglutitis, ab adſtringentibus validis, a vermibus, venenis vel acribus quibusvis; 3) ab hernia inteſtinorum, eorum cruciali ſuperequitatione, ut loquitur PITCARNIVS, intus ſuſceptione, vel mutuo ingreſſu. Ad omnes has cauſas differentes examinandas et earum præſentiam vel abſentiam dijudicandam, tandemque ad penſitationem perpetuam, inflammatione et ſphacelo cito necare poſſe ileum, dirigenda eſt mens medentis, Opium et alia remedia rite adhibituri. In illo ileo, qui a conſenſu nervorum oritur, aliunde ad inteſtina propagato ſpaſmo, ſine dubio Opium erit remedium elegantiſſimum, ſummeque proficuum, maxime mature adhibitum et principi morbo rite accommodatum. Sed et ubi a vomitu imminet, vel exortum eſt et fovetur malum, conducet vomitum ſuaſu Pitcarniano Opio compeſcere. Simile conſilium ſuppeditat HARRIS:[b] *Vomitui graviori ſubito occurrendum*, inquiens, *neque ſegnius agendum, ne enormes paroxyſmi motum fibrarum inteſtinalium periſtalticum tandem pervertant, iliacamque illam miſerandam paſſionem inopinanter accerſant. Vomitus vero conſopitio ſæpe a nullo alio remedio quam ab Opio impetratur, tumque præcipue ubi ſolum motus vitium peccat, materia aut nulla prævia, aut jam eliſa, quamvis et clyſmata magis minusve inferne canalem inteſtinorum irritantia tum ſimul opportune adhibeantur.* Verum quod ſi etiam vomitus in alia ilei ſpe-

a) *Operum p. 90.*

b) *Obſerv. IX. p. 186.*

cie ſit effectus, non cauſa, motus periſtaltici inverſi, inverſioque ipſa non in ventriculo, ſed in inteſtinis inceperit a quacunque cauſa et ad ventriculum demum fuerit propagata: certum eſt, niſi ſuperetur talis vomitus, nil ægro medicamina profutura, dum non admittuntur, aut ingeſta ſtatim rejiciuntur. Igitur cadent ad unum omnia remedia interna, quamdiu vomitus durat et urget, purgantiaque pro alvi ſolutione neceſſaria, jam motu periſtaltico inverſo, evadent potius emetica, tantoque magis, quo magis fortia exſtiterint. Ex hac cauſa ingreſſus ſine dubio primo parandus indicatis emollientibus et lubricantibus alvum, vomitusque ad tempus componendus, qui ordinarie omnia alia remedia eludit, ſolo forte Opio excepto. Quam pulchre ergo tum felici curationi inchoandæ et perficiendæ id inſerviat, ultro perſpicitur. Interim tamen etiam ſine omni reſpectu ad vomitum, ſolorum dolorum intuitu Opium indicatiſſimum eſt pharmacum, ſi ſaltem cauſæ eorum non inſuper habeantur. Ponatur enim tantiſper, quamvis ſemper volvulo jungatur, vomitum qui poſtulet Opium nondum adeſſe, ſoli dolores inteſtinorum, ſi increverint fortius, conſtringent omnem canalem eorum et coarctabunt ejus cavum, unde nil contentorum inferiora verſus perget, quamdiu tales permanſuri ſunt; mitigatis vero iis, tubus inteſtinalis iterum fiet pervius: igitur et hac intentione Opio erit opus, cui ſi ſcopus hic obtentus fuerit ſubjungi poterunt purgantia blandiora, ex conſilio WEDELII et BOHNII, miſſis fortioribus conſtrictiones aucturis, a quibus recte BAGLIVUS aliique dehortantur. Præterea rebelles ad omnia alia remedia conſtrictiones doloroſæ ſi perrexerint, tanto certius intercipiendo motum ſanguinis liberum, per vaſa ſanguifera inteſtinis propria, excludent inflammationem, vel jam natam graviorem reddent, quæ ſpaſmis ſedatis præcaveri et ob eos augeſcens inhiberi poterit ſapienter exhibito Opio, alioquin ad inflammationes ſedandas neutiquam

qua-

quadrante; ut de aliis conſtrictionum per totam ſyntaxin nervoſam ſerpentium conſectariis moleſtiſſimis et periculoſiſſimis hic nil dicam, ad quæ avertenda parcus alioquin Opii laudator HOFFMANNVS id tamen commendare non dubitavit. Bene equidem recordor, Opium per ſe ſemper excretioni alvinæ injicere remoram, cui tamen reſtituendæ apud iliacos omnis ars impendi debet, cum ſæpe deſideratam totius morbi ſolutionem afferat. Anne ergo hic ſcopus vetat Opium? licet alii fines, nempe vomitus et doloris medela, id indicare videantur quammaxime, cum his duobus malis mitigatis, durante interim alvi conſtipatione, Opioque dato pertinaciore reddita, morbus præfracte tamen perſtet, vomitu et dolore ni ſolvatur alvus cito redituris. Verum noviſſe hic expedit, ut atonia et inſenſibilitas temporaria inteſtinis per Opium inducta, et motus periſtalticus eapropter languidus, alvum cohibet, ita etiam eam cohibere alterum extremum ſenſum nimium et conſtrictionem et inde pendentem periſtalſin inverſam. Stricturis præſentibus per exhibitum Opium relaxatis, id fibras non ſtatim abducit ad atoniam, non ſtatim abolet ſenſum omnem, ſed ſaltem inducit ſtatum periſtalſeos inter atoniam et ſpaſmum ac convulſionem medium, redditque ſenſum et periſtalſin naturalem; hinc in ægro iliaco potius promovet alvo contentorum excluſionem, quam impedit. Opportunum judico, in hujus veritatis practicæ fidem adſcribere notabilem hiſtoriam. Laborabat vir nobilis a refrigeratione et vitiis in menſa, dolore ineffabili fixo ſupra umbilicum, vomitionibus horrendis et ſpaſmis artuum, alvo jam per binos dies ſtricta, nulla interim aderat hernia. Incaſſum applicabantur omnis generis clyſmata emollientiſſima, quorum excluſionem nullæ fæces comitabantur. Potiones mannatas et emulſiones oleoſas inſuperabili nauſea vexatus æger ſtatim vomitu reddebat. Secabatur bis vena ſine levamine, anodyna etiam requiſitis pharmacis ſtabilem ſedem et moram

paratura, juſtis doſibus porrecta, nil præſtabant. Horrebam ego, in hoc ſtatu de inflammationis præſentia prudenter cogitans, omnia purgantia acria. Noveram, in ileo ab HARRISIO [c]) haud exigui uſus declarari ſal mirabile Glauberi et catharticum amarum, in aquis mineralibus ſoluta, atque iterata donec vias inferiores aperire poſſunt; ſimulque tutiſſima haberi. At cum in noſtrum ægrum nimio ſtimulo mihi actura viderentur, is vero oleum omne et mannam deprecaretur, HELWIGII noſtri veſtigiis inſiſtens, licet eapropter alius medici cenſuram expertus, confugiebam ad acidulas egranas, et ut harum etiam ſal non niſi leniter vellicaret jam nimis irritatos et acute ſentientes inteſtinales villos, lacte calido admiſto tepefactas. Evomebantur potæ maximam partem, doloresque pertinaciter perdurabant, quos ut mulcerem, in balneum emollientiſſimum, in curatione iliacorum mihi nunquam negligi ſolitum, perduci ægrum jubebam, in quo non exiguum levamen perſentiebat. Sed poſt egreſſum ſtatim fortius recrudeſcebant dolorum tormenta, cum anxietatibus ſummis et vomitionibus. Proponebatur a nonnemine fumus tabaci, quem ipſe a longo tempore magni feci uſu energiam edoctus, ano immittendus, immittebaturque me fere inſcio ſine fructu. Cogitabam in hac rerum anguſtia de infuſo croci metallorum, in juſculo pingui, pro clyſmate, quale a PITCARNIO [d]) laudatum aliquoties profuiſſe ægris meis bene recordabar; ſed perpetuus irritus licet deſidendi conatus, qui cum veſicæ teneſmo ejulatus ſummos ob ineffabiles cruciatus excitabat, fortius ſtimulans hoc remedium diſſuadebat. Dum mercurium ob fixam doloris ſedem, nondum præſente ſigno certæ lethalitatis, quæ tamen ante fores eſſe judicabatur, in animum revocabam, deorſum magis tendere ſenſum doloris æger referebat. Urgentiſſimo conatui egerendi et veſicæ ſpaſmo clyſma ex ſolo oleo conveniens futurum credens, id infundi curabam, balneum ſimul et potum egranarum

c) *Obſ. IX. p. 186.*

d) *Elem. Med. lib. II. c. XIX. p. 175.*

cum

cum lacte jugiter continuandum ſuadens. Uſurpatis iis patienter, dolores tantillum remittere viſi denuo tamen increſcebant, vixque magis ferendi convulſiones et mentis emotionem minabantur. Ut triſtiſſimi hujus ſpectaculi teſtis eſſem oculatus et extremam medelam adferrem, vocabar noctu; cumque nil aliud haberem, quod actis omnibus agendis tremendo malo objicerem, laudanum liquidum largiore doſi exhibebam, horaque elapſa eandem iterum propinabam. Ecce autem hoc facto, brevi poſt dolores minuebantur mirum quantum, alvusque aperta multa excrementa ſat fœtida reddebat, ægerque, præſentaneo levamine obtento, continuatione uſus egranarum cum lacte integræ ſanitati reſtituebatur. Ab eo præcipue tempore, ut rerum uſus et obſervatio medici, vires pharmacorum experti, animum ad capeſſenda in caſibus dubiis conſilia magis idoneum reddit et firmat, ſæpius in medela iliacorum generoſioribus et, ſi conditiones morbi ita jubebant, etiam repetitis Opii doſibus me profuiſſe memini. Didiceram quippe, dum dolores in ileo et inverſio motus periſtaltici exonerationem alvi cohibent, Opium, ſuperadditum lenibus catharticis, dolores minuendo et periſtalſin ad naturalem ſtatum reducendo, eam aperire, horumque actionem juvare. Vidi poſtea cum voluptate, calculum his adjicere Illuſtr. van SWIETEN,[e]) qui de methodo SYDENHAMI,[f]) datis catharticis iisdemque nil operantibus, laudanum repetitis vicibus ſubjungentis, verba faciens, *dum paregoricis ſpaſmi ſoluti ſunt, catharticum remedium alvum aperturum*, dicit, *licet cæteroquin narcotica alvum ſtrictam reddere ſoleant.* Ad evincendam et corroborandam, quam propoſui veritatem, multum facit notabilis caſus, quem Rat. med. Tom. III, p. 104 et 105 habet Cel. de HAEN, (qui ipſe Opio in ileo curando multum paſſim tribuit, et conſtrictione ſoluta alvum id commode movere dicit;) pueri nempe iliaci, ſtercora et enemata rejicientis, quem mœſtus parens medicus

e) *Tom. III, p. 175. 176.*

f) *Operum p. 671. 672. 673.*

 nil

nil niſi euthanaſiam ſperans, largioribus doſibus laudani liquidi, præter ſpem ſuam, ſervavit.

§. XV.

An Opium purgantibus admiſcendum?

Hæc de alterna exhibitione purgantium et paregoricorum, aut utrorumque ſibi invicem ſubjunctione, in ileo. Jam quædam dicere debeo de combinatione vel ſimultanea exhibitione utrorumque, quam tot clari viri commendant, ut ex eorum mente una fidelia duo dealbentur parietes, nempe ut dolores motusve anomali conſopiantur et ſimul alvus aperiatur. Non repeto hic ea, quæ in ſuperioribus Sect. I. c. 7. §. 7. de putatitia Opii correctione per additionem purgantium fui elocutus; de connubio utrorumque, ad noſtrum morbum ſanandum pulchre facere multis viſo, jam ſaltem aliqua adferre in animo habens. Conſtitit §o antecedente, hanc miſcelam jam placuiſſe TRALLIANO.[a]) Inter neotericos WEDELIVS,[b]) Opium purganti additum non ſufflaminare operationem hujus medicamenti, dicit, ſed juvare et ſimul dolores ſedare, aſſerit. Cum enim natura hoc modo roboretur, fortius eam exſurgere ait, ut medicamentum κατωτερικὸν in actum deducat, hoſtilemque exturbet materiam, ſimulque ad Riverianas obſervationes, THONERVM, ERASTVMque provocat. Cl. PECHLINVS[c]) equidem inſulſiſſimam vocat purgantium cum Opiatis mixturam; interim ſimul fatetur, eſſe tamen, qui in doloribus colicis feliciter ſe illa uſos jactitent, imo ſe noviſſe olim empiricum, qui aloes, hellebori, Opiique connubio, magna cum nominis celebritate medicinam feciſſet. Porro quoque HOFFMANNVS[d]) palam eloquitur, modum hunc mixtionis videri plane abſonum et a ratione alienum, cum Opium purgantium effectum ſiſtat; addit tamen, vetuſtiſſimum jam fuiſſe morem hæc invicem combinandi, ſimulque, dum ad citatum PECHLINI locum provocat, multos claros medicos RONDELETIVM, DEODATVM, POTERIVM, RVDIVM CAPIVACCIVM citat, ita agere ſolitos, qui-

a) *Lib. X. c. I.*

b) *Opiol. p. 119. 120.*

c) *lib. II. Obſ. 62. p. 363.*

d) *Diſſ. de Correct. Opii. §. 14.*

quibus ipſe accedit. Atque in tota *medicina* ſua *ſyſtematica* multis capitibus, jungenda purgantibus Opiata conſuluit; ac ſpeciatim in inteſtinorum doloribus,[e]) præter citatos, RIVERIVM, CRAANIVM, HOLLERIVM et FORESTVM ſecutus, ſocietatem remediorum horum deprædicat, rationemque non deficere inquit, cum remittente ſpaſmo et dolore purgantis operatio reddatur promptior et felicior. Neque fugere poteſt diligentem operum *Gorterianorum* lectorem, quantum Cl. Auctor, in practicis ſuis præceptis, purgantibus cum Opio remixtis dederit. Taceo MEADIVM, Cel. de HAEN, qui combinationem purgantis remedii et Opii ſummi in ileo uſus eſſe dicit, *) et alios. Ego contraniti experientiis tot celebrium auctorum neutiquam volo; certum tamen eſſe judico, dum Opium vere alvum cohibet, quam purgantia aperiunt, utrorumque commiſtionem talem merito videri debere accuratius eam conſideranti, qualis foret emollientium et adſtringentium ſibi miſtorum uno eodemque tempore adhibitio. Sane Opium vere contrariari actioni purgantium, modus, quo veteres probare bonitatem theriacæ ſoliti erant, luculenter docet; eum autem ita recenſet AETIVS:[f]) *Multi*, inquit, *ipſius potentiæ probandæ et cognoſcendæ gratia, aliquod purgativum pharmacum prius exhibent. Deinde ab ejus acceptione antidotum bibendam præbent, atque hoc modo ejus judicationem per comparationem quandam faciunt. Si enim valide et vigore efficax fuerit, purgationem fieri minime permittit, ſua vi exuperans pharmaci purgativi facultatem. Si vero æque purgetur homo, ac ſi antidotum non accepiſſet, manifeſtum eſt, theriacam invalidam et exilem eſſe, ut quæ retinere non potuit purgativi medicamenti fluxum.* Nemo autem ignorat, omnes vires theriacæ in cohibenda alvo pendere ab Opio ſolo; æque enim abeſſet ab ea hæc virtus, ſi Opio deſtitueretur, ac diaphoretica ejus vis tollitur, eo abſente. Opium ſcilicet efficit, ut villi inteſtinales inſenſibiles redditi ſint magis patien-

e) *Tom. IV. Part. II. Sect. II. Cap. V. p. 335. 336.*

*) *Rat. med. Part. III. pag. 103.*

f) *Tetrab. IV. Serm. I. c. 95.*

tientes ſtimuli, irritationemque cujuscunque purgantis non æque ſentiant. Sive autem, per quodcunque irritamentum ſenſibilitate et irritabilitate villorum nervoſorum et muſculoſorum aucta, periſtalticus motus deorſum tendens fiat fortior, ſive inverſus ſurſum violenter agat, perinde Opium nimiam ſenſibilitatem et irritabilitatem moderatur, quod ut notum, ad hypercatharſes et hyperemeſes ſedandas, æque efficax eſt. In ileo optime quadrat ad vomitum ſiſtendum, optime quadrat ad dolorem inteſtinorum et ſpaſmum, qui alvum ſubinde retinet, levandum; an vero æque ad utrumque quadret purganti additum, alia quæſtio eſt. Dum purgantia paulo magis ſtimulantia, ventriculo jam ad vomitum diſpoſito, facile degenerant in emetica, etiamſi miſtione Opii et purgantis tantum cum dolorum mitigatione apertam alvum velit artifex: tamen, ſi vis purgantis ſtimulans major eſt, quam Opii pacans, vomitus denuo excitabitur. Quodſi vero hic non ſequatur, pro relatione differente doſeos viriumque utriusque remedii inter ſe, purgans ſi præpolleat vi Opii, ita ſaltem aget, ac ſi dimidia, vel tertia, vel quarta pars doſeos porrecta fuiſſet; ſi autem vis Opii fuerit major vi purgantis, poterit nullus ſequi hujus effectus, niſi vis purgantis in corpore diutius duret, atque poſtquam prorſus exſpiravit vis Opii, actionem ſuam exeruerit. Hæc qui trutinaverit ſerio, dare omnino tenebitur Cl. GOELICKE,[g]) miſcelam purgantium et Opiatorum improbanti, quod hæc illorum vim infringendo ſaltem operationem dubiam reddant. In vomitu vehemente addendas laudano commendans pilulas cochias, qui paſſim ut dictum huic commiſtioni favet RIVERIVS,[h]) fatetur tamen, etiam quantitatem purgantium infringi a laudano. Quis vero, dum nullæ inter practicos exſtant mutui habitus inter hæc remedia leges, accurate determinabit ſtatim, quousque certa doſis Opii certam doſin purgantis in agendo debilitatura ſit, et quæ doſes præſcribendæ ſint, ut actio unius alterius

g) *Diſſ. de Cardialgia* §. 30.

h) *Operum* p. 283.

terius actioni præpolleat? Nonne ergo perſpicitur, dubiam ſemper fore omnem operationem miſcelæ Opii et purgantium, maxime cum horum in diverſis ſubjectis, et in uno diverſo tempore, adeo ſibi ſoleat eſſe diſſimilis? Niſi ergo vehementer fallor, per ea omnia, quæ ediſſerui, certior et felicior determinatu erit effectus et Opii et purgantis, ſi unum alteri ſubjungatur, quam ſi ſibi invicem jungantur. Namque ut fortiora purgantia comitans Opium blandiora et ſecuriora reddat, hodie non opus eſt, cum rationalis modernorum medicorum methodus ab omnibus fortioribus abhorreat, et ſolis lenioribus agendum eſſe inculcet, quæ nulla aliorum additione indigent, ut magis tuta et ſecura reddantur, per proprias dotes talia jam exiſtentia. Mihi certe, quoties mecum diſputavi, num commixtio Opii et purgantis in praxi probanda ſit, vel minus, ſemper obverſatus animo fuit locus aliquis apud SYDENHAMVM,[i]) exſtans in tractatione de Colica bilioſa. *Primo*, inquit, *anodynum impero, et paucis horis elapſis catharticum, eo temporis ſpatio interjecto, ut catharticum a narcotico tanto diſtet intervallo, ut ab eo non vincatur et pereat, eas autem in ventriculo moras trahat, quæ ad virtutem purgativam eidem communicandam ſufficiant, ut ſuam demum exerat operationem ceſſante altero. Licet catharticum, modo id poſſit fieri, diu poſt anodynum rectiſſime propinatur, cum etiam ad horas duodecim ab hoc aſſumto alvus iſti ægrius reſpondeat atque non niſi operoſius ſolvatur.* Juvat quoque perpendere alium egregii viri locum, qui exſtat operum p. 655. in ſchedula monitoria de novæ febris ingreſſu: *Ubi purgatio celebrata non fuerit, hypnoticum hora ſomni nullatenus eſt concedendum, ne ſcilicet cathartici poſtridie deglutiendi operationem ac vim (quod fieri ſolet, quantumvis ſero aſſumatur illud) ſufflaminet, vel ſi non in ſolidum retundat, efficaciam tamen imminuat.* Taceo ſimilia monita, quæ leguntur pag. 672. et 673. Id omne ſi verum fuerit, quod cathartica

i) p. 261. 262.

tica et Opiata adeo ſæpe adhibens experiri et noſſe exactius, ut credo, poterat SYDENHAMVS, facile clarum fit, unius remedii talis operationem turbare operationem alterius, atque ſi hoc adhuc fiat interpoſito aliquot horarum ſpatio, haud conſultum eſſe, utraque ſibi invicem uno eodemque momento jungere et una propinare. Optima igitur erit methodus, ſi fibras ſtrictas relaxanti Opio, ubi id in ileo voluerit vomitus et dolor, relaxans vel ſaltem leniſſime ſtimulans ſubjungatur manna, aut aliud lenius catharticum, eidemque neceſſitate poſtulante iterum ſubjungatur Opium, ſicque alternis vicibus pergatur, unius et alterius operatione expectata, ſub attentione debita, an et quando hoc vel illud exhibere quaque doſi expediat. Valde gaviſus ſum, ubi cogitata hæc mea probari animadverti doctiſſimo et exercitatiſſimo viro IOSEPHO QVARIN. [k]) Neque minus mihi gratulatus ſum, quando Cel. de HAEN, qui novem annis antea commiſtionem Opii et purgantis utilem declaraverat, deinde, [l]) dum remedia breviter recenſet, quibus diro hoc morbo affectorum ſanationem obtinuerit, vel interitum procraſtinaverit, tempeſtivas VSes, multum oleum, clyſmata ex fumo tabaci, mercurium, his purgantia non cum Opio miſta, ſed *Opio interpolata* addidit. An forte mentem ſuam mutavit vir integerrimus? quod toties fecit de melioribus convictus.

k) *in Methodo med. inflammat. cap. X. p. 191.*

l) *Rat. med. Part. XI. c. II. p. 137.*

§. XVI.

Hernia. Meretur adhuc in hac tractatione hernia, toties ileo cauſam præbens, ut ſpecialius conſideretur; quemadmodum et ſemper opus eſt, ut de hac cogitet et ſciſcitetur medicus, quoties cum ileo ipſi res eſt; ægris ſaltem noſtratibus, neſcio qui fiat, id mali genus ordinarie ſilentio prætereuntibus et propalare renuentibus. In hac ſpecie paſſionis iliacæ unica ægri ſalus verſatur in repoſitione cita inteſtinorum; quæ ſi poſt clyſmata fomentaque emollientiſſima manuum peritarum miniſterio non ſuccedit, ſectionem etiam ſuadet Illuſtr.

WERL-

WERLHOFIUS,[a]) corruptionemque inteſtini jam gangræ-noſam cortice peruviano ſanatam, aliquot caſibus adductis, recenſet. Nil equidem ad repoſitionem facere videtur Opium; id tamen, modo incarcerationi tollendæ ſedulá navetur opera, vomitubus et doloribus interim levandis, inflammationisque ab iis excludendæ ingreſſui et augmento avertendo, pulchre conducere, ſpaſmorumque vi aliquatenus mitigata, repoſitionem ipſam faciliorem executu præſtare, ſæpius animadverti. Ut eximiam virtutem Opii in iliacis ſanandis probet WEDELIUS,[b]) ſtudioſum ſiſtit, hoc morbo ex hernia laborantem. Poſt injectum clyſma et epithema emolliens applicatum aperiebatur alvus. Sed redibant vomitus et ſingultus. Adhibebantur ſtomachica e cinamomo parata, cydoniata theriacalia, ſed incaſſum, perſeverante vomitu. Datum laudanum opiatum ad grana duo; emanebat vomitus et ſingultus. Mane ſequenti datæ pilulæ purgantes; et æger convaluit præter expectationem. Atque eadem methodo enterocele prægrandi laborantem ruſticum WEDELIUS ſe reſtituiſſe aſſerit. Velim vero in hujus generis caſibus ſemper cogitetur, ni repoſitio præſtetur, et alvus aperta de periſtaltico motu in ordinem naturalem redacto teſtetur, Opium ſaltem ad breve tempus prodeſſe. Theriacam cœleſtem alvo non aperta hernioſo non profuiſſe, doloresque ne tantillum mitigatos fuiſſe, recenſet RIDLINUS;[c]) atque alio loco in ſingultu ægri hernioſi fruſtraneos fuiſſe pulveres opiatos memorat. Nil tamen proinde Opii virtuti et præſtantiæ, ſi id rite adhibeatur, decedit. In primo caſu alvus non aperiri potuit, nec dolores prorſus mitigari, niſi reponeretur hernia, quæ non Opio, ſed manus miniſterio reponitur: in altero, dum ſingultus peſſimum inter omnia ſymptomata jam aderat, Opium amplius prodeſſe nequibat. Veriſſima tamen ſunt, quæ ſcripſit Ill. van SWIETEN:[d]) Dum ab herniis incarceratis irritatæ inteſtinorum fibræ ſpaſmodice conſtringuntur, et intercepta ſic

a) *Commerc. litter. Norimb. An. 1735. hebd. I.*

b) *Miſc. Nat. Cur. Dec. I. Ao. II. obſ. 238.*

c) *Cur. Med. obſ. 769 et 772.*

d) *Tom. II. p. 242.*

ma-

materia elaſtica, turgentia inteſtina reduci nequeunt, præmiſſa larga VSe, ut in tali caſu maxime metuenda inflammatio caveatur, Opium datum feliciſſime hos ſpaſmos ſolvit et ab imminente mortis periculo liberat.

Mirum autem eſt, quando Opium conſtrictiones morboſas relaxando iliacos juvat, quod et eos juvare queat applicata et hauſta frigidiſſima aqua, quæ adeo manifeſte fibris, nondum morboſis ſtricturis affectis, conſtrictiones infert, igitur jam præſentes neceſſario auget. Interim hæc praxis a multis claris viris, experimentis et obſervationibus adductis, collaudatur. Dum de ea agit de HAEN *Rat. med. Tom. IX. cap. V. p. 211.* provocat ad medicos Neapolitanos, deinde ad HEISTERVM, NABOTHVM, HOFFMANNVM et WESTERHOFF, caſus adducentes notabiles, et *Tom. XI. c. III. p. 195. ſeq.* præter hos ad AMATVM, LVSITANVM, FORESTVM, CRATONEN, BVRNETVM, SEPTALIVM etc. Ipſe HAENIVS, viris his celebribus ſubſcribens, *Tom. IX. c. V. p. 204.* habet hominem, qui ſæpius ileo laboraverat. Nix ventri toti impoſita, quæ antea juverat, jam nil juvabat; cortex peruvianus autem vomitum et ileum ſanavit. Alio tempore apud eum aqua gelidiſſima, quæ quondam vomitum compeſcuerat, erat fruſtranea, ut enemata, purgantia, fomenta, paregorica, fumus tabaci: perrectum in his, frigida iterum conceſſa, ſanatus eſt. Quis vero facile huic ſoli ſanationem tribueret? Fœminam deinde ſiſtit *Tom. IX. p. 207. 208.* ex hernia umbilicali iliacam; repoſitione fruſtra tentata, inter alia indicata remedia gelida aqua applicata, ſed ab hac omnia pejora; jam trigeſima morbi hora gangræna vitam finivit miſera. Hujusque occaſione pag. 212. quærit HAENIVS: *Eſtne aqua frigida remedium, quod ni juvat, occidit, inducendo gangrænam?* Tandem et *Tom. XI.* ægrum iliacum pag. 130 deſcribit, qui frigidam clam bibit, brevi autem poſt ventre immaniter doluit, vomuit, contremuit, friguit. Quærit hic

ite-

iterum pag. 138 HAENIVS: *an frigida, quam clam æger hauſit, nocuit?* addit quidem, ſero nimis eam bibitam fuiſſe, cum quarto die gangræna jam nata fuiſſet, ſexto tamen die circa veſperam æger demum mortuus eſt. Cel. GOULARD, [e]) emollientia omnia rejiciens, aquam frigidam, quin nivem et glaciem, quam a BELLOSTIO laudatam dicit, equidem admittit; his tamen præfert, vel aquam cum aceto, vel aquam ſuam vegeto-mineralem frigide applicatam, caſusque habet, in quibus vel hæc, vel illa, cataplaſmatibus calidis incaſſum applicatis, profuerint. BELLOSTIVM evolvens ſaltem in libro, qui titulum gerit: Chirurgien d'Hopital, de glacie et nive nil invenio; [f]) multum interea commendat fomentationem ex meris adſtringentibus, cum aqua ferrariorum, aut vino rubro, ſed ſatis calide applicandam. Satis certum eſt, quando vel actu vel potentia adſtringentia, aqua frigida cum aceto aut ſaturnina, juvamen adferunt, id non aliter fieri, quam quod tum, expanſum in inteſtinis aerem comprimendo, diſtentaque inteſtina conſtringendo, totum volumen herniæ imminuant, ut ita per annulum retropulſio fiat poſſibilis, quæ antea ob molem nimis magnam non ſuccedere poterat. Id bene explicat GOULARD. Quærit HAENIVS Tom. IX. pag. 212: *an frigus, conſtringendo inteſtinum, materiem obſtruentem ex hernia liberiorem in partem expellat?* Nemo dubitare poteſt, repoſitionem herniæ frigore et adſtringentibus remediis tentatam melius ſuccedere, ſi hernia nulla excrementa contineat; id adeo flatibus diſcuſſis fieri facilius, nullis præſentibus excrementis, notat BELLOST, ſi etiam cataplaſmata calida cum oleoſis adhibeantur. Aerem in minus volumen poteſt redigere aqua frigida, non vero molem obſtruentem induratorum ſcybalorum, quam fomenta calida certius diſſolvere et propulſioni aptiorem reddere poſſunt. Deinde pulchre animadvertit, in hernia recens incarcerata nondum adeſſe inflammationem, quæ vero repoſitione haud facta non diu

e) *Oeuvres de Chirurgie Tom. I. cap. V.*

f) *Part. III. c. 3.*

 abſit.

abſit. In principio principii igitur, tutius ſine dubio erit, facere periculum cum aqua frigida, cui antiphlogiſticum acetum, vel ſimplex, vel pauca quantitate ſaturninum ſtatim adderem. An vero malo jam confirmato, hernia fæces induratas continente, inflammatione jam præſente et in gangrænam vergente, aqua frigida conveniat, aliis dijudicandum et determinandum relinquo. Ego interea non poſſum dememiniſſe, inflammationem quamvis reſolvendam poſcere liquida meabilia et canales laxos ſatis et patulos: verum frigus ſanguinem inſpiſſat et canales coarctat. Neque oblivioni dare poſſum, ſummum BOERHAAVIUM [g]) retuliſſe inter ea, quæ ut cauſa inflammationem excludere poſſunt, frigus acre; et inter ea, quæ inflammationis in gangrænam mutationem cito promovent, frigida actu et potentia adſtringentia, coagulantia; *) et deinde denuo inter cauſas gangrænæ frigus ingens, et prohibitam perſpirationem per adſtringentia et frigida. [h]) Atque hæc omnia ita ſe habere, in commentario ſolide evicit VAN SWIETEN, quem ſi aliquis aquæ frigidæ amator ſine præjudicio legere voluerit, vel coactus profitebitur, nil boni ſperandum eſſe ab ea applicata, niſi recens ſit morbus inflammatorius et mitis; tunc enim, ſi per errorem loci humores craſſiores minora vaſa ingreſſa fuerint, per contractionem retropelli poſſunt in majores ramos, quod tamen in hernia incarcerata vix locum habet. Sane ubi deinde de curatione herniæ ſuffocatæ agit VAN SWIETEN, [i]) molliſſimorum fomentorum quidem et talium clyſmatum, nequaquam autem aquæ frigidæ, meminit.

g) *Aph. 375.*
*) *Aph. 390.*
h) *Aph. 422.*
i) *Aph. 423.*

§. XVII.

Colica Pictonum.

Dum de inteſtinorum doloribus ago, colicam ut vocant *Pictonum* ſicco pede præterire haud debeo. Primus niſi omnia me fallunt de hac Pictonum colica, quæ in regione pictavienſi ſtragem ediderat, tractatum latino idiomate an. 1639 conſcriptum evulgavit Cl. CITOIS, medicus pi-

ctavienſis, eamque colicam novam biliosam vocavit. Fatetur autem in præfatione, medicis prægreſſi ſeculi teſtibus, Pariſiis et in aliis locis Galliæ, in Moravia, Sileſia et tota Germania fuiſſe notam hanc colicam, quin et ab antiquioribus deſcriptam. Videtur tamen laudatus CITOIS primus eidem nomen colicæ *Pictonum* impoſuiſſe, cum antea ab autoribus, omnia ejus ſymptomata depingentibus, ſcorbutica et convulſiva ſalutaretur, ut ipſe vir clariſſimus aſſerit. Sequentibus temporibus, ſub hoc nomine colicæ *Pictonum*, inter alios ejus mentionem fecit RIVERIVS,[a]) ſuoque ſeculo eam notiſſimam eſſe dixit, ſimulque utplurimum in paralyſin degenerare notavit; brevibus quoque de ea et de tranſitu ejus in hunc morbum egit SYDENHAMVS;[b]) ſine reſpectu vero ad hanc denominationem, colicæ unicuivis maxime pertinaci facile paralyſin ſupervenire, edixit BAGLIVVS.[c]) Noſtra ætate Illuſtr. BOERHAAVIVS in prælectionibus publicis auditoribus ſuis colicæ Pictonum ingenium explicavit; atque hæ et propriæ obſervationes occaſionem dederunt Cl. de HAEN, ut diſſertationem de hac ægritudine conſcriptam evulgaret.[d]) Tandem Joh. GRASHUIS[e]) edidit *Tentamen de Colica Pictonum*, in quo dolorem inteſtinorum, ſi ad ſummum gradum perveniat, plerumque colicam Pictonum vocari ſcribit. Atque ſic iterum apparet, dum in ea omnia ſymptomata ſunt vehementiſſima omnesque partes nervoſas afficientia, dolor ſummus in regione umbilici introrſum totum abdomen trahens, ſuppreſſio urinæ, alvus pertinaciter conſtricta ita ut vix clyſma admittat, febris, vomitus, ſubſequentibus convulſionibus et paralyſi, ipſam etiam ſatis commode colicæ convulſivæ titulo inſigniri poſſe. Sane cum omnibus his ſymptomatibus colicam Pictonum etiam depingit TRONCHIN, in tractatu de eadem Genevæ 1757 edito. Doleo autem ego, hoc mali genus, diverſis nominibus veniens auctoribus, diverſa quoque facie, præcipue ſi

cau-

a) *lib. I. cap. V. p. 170.*

b) *in Proceſſubus in morbis fere omnibus curandis p. 760.*

c) *Prax. med. p. 100.*

d) *Hagæ Comit. 1745.*

e) *Amſtel. 1752.*

cauſas ſpectes, ab iis ſiſti. RIVERIVS, ſecutus forte Cl. CITOIS, eam ab humore bilioſo produci, apud omnes in confeſſo eſſe dicit. GRASHUIS, qui auctores finxiſſe ex hypotheſi nonnulla contendit, quæ in natura morbi non ſunt fundata; colicam hanc comparat cum dyſenteria, epidemice graſſari dicit, mucique naturalis abſentiam, eroſionemque et exulcerationem accuſat, atque ex hac omnia ſymptomata deducit. Illuſtris van SWIETEN,[f]) plumbi fuſi halitus, calcesque plumbi corpori ingeſtas colicam Pictonum et poſtea peſſimam paralyſin producere, aſſerit. Alio loco*) idem vir laudatiſſimus non ſe quidem negare dicit, morbum hunc ab aliis cauſis naſci poſſe, tamen frequenter ſe obſervaſſe illum apud eos, qui plumbo fundendo, ceruſſam præparando, terendo, operam dabant; et aliquibus interjectis aſſerit, ſe vidiſſe tamen alios ægros illo miſerrime excruciatos, in quibus acuratiſſimo examine non potuerit detegere, quod plumbum in culpa fuerit. At laudatus de HAEN inter cauſas non ſolum venena ſaturnina, ſed et alia, imo vero multas alias, ut febres male curatas, acrimoniam humorum in ſcorbuticis et hypochondriacis ſubjectis, menſium, lochiorum, tranſpirationis ſuppreſſionem, iram, aquas vitæ, vina acida et fermentantia, refrigerationem corporis, obſtructionemque alvi refert.*) Interim ægri fere omnes, quos Rat. med. Tom. I. p. 152. ſeq. Tom. III. cap. II. et Tom. X. cap. I. Cel. HAENIVS eadem hac ægritudine laborantes recenſet, a cauſa ſaturnina illam contraxerunt. Hæ vero et aliæ cauſæ omnes, ex quibus varias etiam tradit TRONCHIN, quoniam, cum inteſtinorum et totius ſyntaxeos nervoſæ exquiſitiori ſenſibilitate, variarum regionum hominibus poſſunt eſſe omnino communes, mirum videri poteſt, SYDENHAMVM colicam ſuam Pictonum ut morbum endemium deſcribere, qui apud Inſulas Caribum notiſſimus ſit. Idem vero et facit Celeb. MEAD,[g]) qui morbum atrocem in inſulis americanis

f) *Tom. III. Comment. p. 334.*

*) *p. 357.*

*) *Tractatu de Colica Pict. Hagæ Comit. 1745.*

g) *Monit. med. p. 73.*

nis in genere frequentiſſimum eſſe ſcribit, quem medici Galli *colicam Pictonum*, Angli vero *the dry belly ache* appellent, curarique dicit ut ileum, cum ſit dolor cum febre et inflammatione, moleſtiſſimaque alvi adſtrictione. En ſat diverſos conceptus de colica Pictonum! Ejus interim imaginem ſine dubio, ut fuit in deſcribendis morbis ſagaciſſimus, optime repræſentavit immortalis de HAEN. *Morbum*, inquit, *vidi, tractavi, recentem, provectum, diuturnum, annoſum, cum omnibus ſuis variantibus ſymptomatibus, eundem aut concomitantibus, aut ſubſequentibus. Hinc didici, ab inimica cauſa inteſtina vehementer conſtringi; fæces in iisdem contentas exſuccas, durasque reddi, tum etiam a cellulis vehementer contractis, colo potiſſimum, in inteſtino in parvos eosdemque oblongos globos formari; demum vero tum colon maxime, tum et pro parte ileum, cum ſuis exſuccis duriſſimisque contentis, in ſolidam veluti maſſam coire, omniaque vaſa et nervos comprimendo ferocia illa tormenta producere. Hæc morbi, ſi demum vera Pictonum colica dici debeat, vera imago eſt.* *) Liceat hic adhuc adjicere, quod Illuſtr. van SWIETEN **) cum cura annotat: *Nullum morbum chronicum frequentius ſequitur paralyſis, quam colicam Pictonum dicam, in qua poſt acerbiſſimos dolores abdominis, repetitis vicibus toleratos, paralyſis ſequitur nunc artuum ſuperiorum, nunc inferiorum, et ubi paralyſis adeſt, ceſſant abdominis cruciatus ſæpe, vel ſaltem inſigniter minuuntur.* Atque hanc eveniſſe fere omnibus ægris, quos locis citatis ſiſtit HAENIUS, ex perlectis eorum hiſtoriis conſpicitur. Colica nunc hæc, dum tormentis ſuis ægrum excruciat, in quo ſaltem momento auctores omnes conſentiunt, ſi conſideretur ut morbus membranarum nervoſarum inteſtinalium ſumme doloroſus, convulſivus, totamque ſyntaxin nervoſam in conſenſum trahens, omnino Opium et admittit et poſcit. Eapropter colicæ convulſivæ maxime Opium convenire, ſcripſit ETTMULLERUS; [h]) talemque Opio

*) *Rat. med. Tom. III. pag.* 88.

**) *Tom. III. pag.* 357.

h) *in Operibus practicis Cap. de Colica.*

i) *Emmenol. p. 139.*

k) *in Tractatu Hagæ Comit. edito.*

l) *p. 127.*

Opio ſæpe cedere, FREINDIUS [i]) teſtatus eſt. Atque recentiſſimi auctores colicam Pictonum ut convulſivam deſcribentes, de HAEN et GRASCHUIS, in hoc argumento prorſus conſentiunt. Prior poſt VSem, ſi vires eam ferant, poſt cataplaſmata emollientia, clyſmata oleoſa, cathartica lenia, Opium ad unum vel duo grana per 24 horas commendat; veſicantia pedibus admovenda, tandem nervina et roborantia, corticem peruvianum, ferrum, vinum rubrum et ſuffimigia ex gummi-reſinis laudans. [k]) Horum remediorum catalogus complectitur remedia, quæ non tantum paroxyſmo colicæ opponenda ſunt, ſed et deinde ſubſequæ paralyſi medentur. Ad ipſam autem medelam colicæ in ſe ſpectatæ, Rat. med. Tom. III. cap. II. rejectis emeticis et purgantibus, quæ nonnullis medicis placent, palmaria remedia declarat emollientiſſima epithemata et clyſmata, copioſum oleum et Opium, quibus omnibus ægrorum, quos deinde etiam Tom. X. cap. I. habet, ſalutem lucratus eſt, paralyſinque obortam requiſitis remediis, quæ candide exponit, deinde tractavit. Quin experientia edoctus affirmat Tom. III. p. 103, ad præcavendam paralyſin Opio, cum copioſo oleo, nil præſtantius dari potentiusque, propter dolorum ſopimentum. Porro ad cauſas quasvis morbi quadrare ſuam methodum affirmat; [l]) cum enim omnium effectus ſit rodere nervos, aut vellicare, aut convellere, aut exſiccare et adſtringere, modo una cauſa proxima inde ſequatur, morbum eundem ſemper fore ait, eodem nomine denotandum, ſimilique fere modo, paucis exceptis, curandum. GRASHUIS, dum omnes methodos hactenus traditas forte nimis durus taxat, Opium ſtatim in principio largiter uſurpari vult, utpote a quo ſolo interdum morbus profligatur; poſtea autem lenientia et demulcentia oleoſa, mucilaginoſa, clyſmata, cataplaſmata, balnea emollientia, in diæta lac, ova, gelatinas, juſcula carnium, valere dicit; blandorum quoque catharticorum, ad alvum apertam ſervandam,

dam, et in fine roborantium tonicorum adhibendi neceſſitatem inculcans. Ego in atroci colica, et ſecundum excellentiam aut malitiam convulſiva dicenda, ſive colica Pictonum ſalutanda videatur, ſive minus, de cauſa magis, quæ motus enormes cieat, quam de nomine curioſius cogitandum credo. Ea ſi, ut decet, reſpiciatur, ita ut vel enervetur et obtundatur, vel et e corpore eliminetur remediis indicatis ſelectiſſimis, conſultum omnino erit, enormes ſpaſmos ſimul compeſcere dato Opio. Quodſi cauſa latens cognoſci nequeat, ſufficit irritans ejus et ſtimulans ingenium tamen certo conſtare; quare ob deleterios effectus conſiderari poteſt ut venenum, atque tanquam venenum acerrimum oleo et Opio impugnari. Atque ſub his conditionibus minime timendum erit, ne id noceat, vel paralyſin invitet; ſed potius dextre porrectum et hanc et convulſiones feliciter poterit præcavere, licet variarum cauſarum medelam exponens Cl. TRONCHIN in ea ſpecie colicæ Pictonum, quæ a perſpiratione ſuppreſſa oritur, ſaltem præcipue uſum Opii commendet.

§. XVIII.

Dolores inteſtinorum chronici.

Supereſt dolor inteſtinorum chronicus, modo remittens, modo rediens iterum et exacerbatus, obſtructionibus viſcerum vicinorum, hepatis maxime, ſolidorumque in ipſis inteſtinis vitio, eorum anguſtiæ præternaturali, abſceſſui, ulceri, callo, ſcirrho, cancro debitus, cum quo ſæpe per multos menſes et annos conflictantur miſeri, hectica vel hydrope tandem ærumnoſam vitam finire juſſi. In hiſce caſibus non quidem nullum, ſed evanidum tamen et anceps ſæpe ſolatium evenit ab Opio, ventriculi et inteſtinorum periſtalticam virtutem debilitante, alvum retardante, ſordium exitum intercipiente, flatuum generationi et anxietatibus inde oriundis anſam dante, quanquam alioquin, parcius et rarius uſurpatum, pulchrum habeatur carminativum. Diæta tenuis, demulcens, emolliens lactea, diu continuata, prin-

ceps levamen largitur, una cum clyſmatibus talibus et balneis. Juvat ſimul cauſæ ſingulari accommodare pauca remedia. His ſi dolorum furiæ jungi velint Opium, non renitor; ſaltem præter urgentem neceſſitatem repetitum et largis doſibus uſurpatum nolim, quia periſtalſin omnem pedetentim abolet et atonica fere inteſtina reddit.

Autoris methodus in ſanandis doloribus inteſtinorum.

Atque ita tractationi huic de doloribus inteſtinorum finem facio, poſtquam clarius apparuiſſe confido, in hoc argumento mereri omnino Cl. STAHLIVM,[a]) qui audiatur, quando lenitiones in univerſum non damnat, ſerio vero diſſuadet, ne in illis totius medicationis prora et puppis conſtituatur; mereri vero ſimul illum etiam, qui notetur, quando motubus, quos propter materiales cauſas concitari autumat, ita indulgendum vult, ac ſi pene nil nocumenti inde evenire queat et ſoleat. Forſan non ingratum erit lectoribus meis, ſi colophonis loco ingenuus et ſincerus indicavero methodum, mihi in curatione dolorum inteſtinalium cum fructu adhiberi ſolitam, omnibusque fere eorum ſpeciebus æque competentem curandisque idoneam, (niſi ubi in ſolo motu eſt vitium, ut apud hyſtericas,) etiamſi cauſa lateat, aut cauſæ complicatæ adfuerint, ſimul autem nunquam et nullibi nocivam. Accedens ad tales ægros ſtatim interrogare ſoleo, an ſubſit hernia, quam noſtri neſcio ex qua maleſana verecundia ordinarie ſilentio præterire ſolent, aut ſi exiguæ molis fuerit, exigui momenti et commemoratione minus dignam perperam reputant. Plures interim, ut rectiſſime ſcripſit Ill. WERLHOFIVS,[b]) quam credi poſſet, eapropter intereunt. Herniæ præſenti proſpicio, ut decet; ſi neutiquam adfuerit, acceſſusque chirurgi, qui hic certe dextra non læva manus medici eſt, haud requiratur, clyſma emolliens melle et nitro addito injici facio; ſæpiusque animadverti, vera ſcripſiſſe JVNCKERVM,[c]) quod non raro clyſmatibus ſolis univerſum malum ſolvatur. Expertus vero etiam multoties ſum, cum Celeb. noſtro de HELWICH,[d]) quaſi ex tri-

a) *Diſſ. de Impoſtura Opii* §. 42. 43.

b) *Commerc. litt. Norimb.* 1735. *hebd.* I.

c) *Tab. de Colica Caut.* 3.

d) *Hiſt. Morb. Vrat.* 1700. *p.* 16.

tripode profectum illud ROLFINCKII effatum: *κατωτερικὸν unum, cum judicio exhibitum, in dolore inteſtinorum una reſolvere clava, quod vix decem attingunt clyſteres.* Igitur ſimul memor ægri illius apud RIVERIVM, [e]) qui, cum triginta clyſteres ſine fructu accepiſſet, ab alio medico mannæ uncia una et dimidia cum olei amygd. unciis duabus, in pingui gallinæ juſculo exhibitis, a dolore liberatus fuit, ſi enemata nil levaminis adferant, ſtatim propino ejusmodi remedium, omnem canalem alimentorum blanditer demulſurum et repurgaturum, vel emulſionem ex oleo amygdalarum cum vitello ovi ſubacto vel ex ipſis amygdalis ſaturatiſſimam, in qua manna fuit ſoluta, addita terra foliata tartari, diutiusque eam aſſumi facio, maxime ſi ſordium cumulatarum ſit ſuſpicio, eæque copioſius dejiciantur. Tanta quippe non raro earum quantitas in plicis inteſtinalibus latet, ut nemo de ea cogitaſſet. Pulchre quoque illis ſine doloris exacerbatione, quam facile patrant paulo validiora cathartica, eliminandis ſerviunt acidulæ egranæ tepefactæ, addito pro re nata pauxillo lactis. Alvus autem ſi talibus leniter exſtimulata reſpondere neget, clyſma ex juſculo pingui cum infuſi croci metallorum unciis duabus ſtatim voco in ſubſidium; namque incaſſum exhibitis omnibus, de quibus dixi, ilei periculum inſtare conjicio, quod hoc clyſma mature infuſum feliciter haud raro avertit. Omnia vero hæc dum ago, ſi dolor mitigari renuat, maximeque ſi mihi cum ægro plethorico vel hæmorrhoidario res eſt, de inflammatione acceſſura cogitans, ſine mora VSem ſuadeo et repeto ſi opus, quæ adminiſtrata nunquam, omiſſa vero facile et multum, nocere poteſt. Foris abdomini unguenta oleoſa cum fotubus emollientibus applico, et in dolorum atrocia oleum amygdalinum largius exhibeo, vel ſolum, vel cum vitello ovi in emulſionem redactum, et in balneum emollientiſſimum ægrum ablego. Sæpe ſæpius vidi veritatem aphoriſmi BAGLIVIANI: [f]) *Dolor colicus fere ſemper miteſcit in*

e) *lib. X. Cap. I. p. 293.*

f) *Prax. Med. lib. I. p. 101.*

in ſemicupio, ideo in doloris pertinacia utere ſemicupio. Pro potu conſulo infuſum Thée, hydrogala, emulſiones, aut ſi acidorum ingluvies prægreſſa, decoctum C. C. vel juſculum tenue carnium. Talem apparatum remediorum in uſum vocans, abſtineo primo ab omnibus anodynis; ſi vero indicentur a vomitionibus et doloribus immanibus, ea adhibere nunquam dubito; nullum interim ex laudatis pharmacis negligo, ſed exhibere omnia pergo. Ita ſæpe per Dei gratiam voti mei compos redditus, ſanationemque ægrorum lucratus ſum, etiamſi per dies haud paucos malum affligeret. Ita dum calida et acria, carminantium nomine frequenter uſurpari ſolita, omnia fere neglexi, nunquam funeſtiſſimis eventubus, de quibus inde evenientibus BOERHAAVIUS [g]) loquitur, anſam dedi, inflammationisque adventum maturavi, ſed potius eidem cito poſui obicem, ac non ſaltem contra morbum, quacunque demum de cauſa foveretur, ſed et contra modum quo necat, dimicavi.

g) *Aph. 961.*

§. XIX.

Nephritis. Progedior ad nephritidem, quam non abs re in *ſimplicem* et *calculoſam* diſpeſcunt medici. *Simplex* ab omni cauſa inflammationem generare valente, plethora, excretione ſanguinea ſuppreſſa, nixu corporis, concuſſu per equitationem, contuſionem, decubitu in dorſum, ſolo calculo excepto, exoritur; *calculoſa* peculiarem ſuam cauſam nomine ſuo exprimit. Prior dolorem jam nata infert ceu ſuum effectum; calculoſa fere a dolore incipit et eſt doloris effectus. In calculoſa nempe lapillus aſper, quietus latitans in ſubſtantia renis, commotus quacunque de cauſa premit, irritat, vulnerat, lacerat parenchyma, ſicque creare poteſt inflammationem et ejus conſectaria; quanquam et latitare ſane per longum tempus poſſit ſine dolore, ſineque inflammatione, ut non raro extiſpicia hominum, de nulla moleſtia, quæ inde deduci potuiſſet, dum viverent conqueſtorum, evincunt. Sæpius vero accidere ſolet, ut deturbatus ex

ſuo

ſuo in rene domicilio calculus, ingreſſusque appenſum ureterem membranaceum, nervoſum, ſua irritatione excludat dolorem exquiſitiſſimum, ſtrictura que et criſpatura vaſorum, ureteris et renum inflammationem excitet. Ex his conſtare mea ſententia poteſt, in nephritide ſimplici et calculoſa eadem valere debere, quæ antea de differentia inflammationis muſculorum intercoſtalium et inteſtinorum in medium protuli. Simplex nephritis quippe ut pleuritis ponit primo ſtagnationem in arteriolis renalibus tubulisque bellinianis, appulſumque ſanguinis citatiorem, quibus poſitis deinde dolor emergit; calculoſa vero præſupponit irritationem doloroſam, ab hac criſpationem et coarctationem vaſculorum, et ab his demum ſtaſin et appulſum ſanguinis febrilem. Quodſi nunc locus fuerit Opio in ſanatione nephritidis, per ea, quæ de inflammationum therapia in antecedentibus abunde commonſtravi, quæque in omnibus ſine exceptione inflammationum ſpeciebus valere debent, minus proderit nephritidi ſimplici, pulchre vero conveniet calculoſæ. Videamus jam, quid de uſu hujus remedii in una et altera, vel utraque ſentiant auctores, atque conſilia eorum æquiſſima lance, quam ratio et experientia nobis offert, trutinemus.

§. XX.

Opium in ea culpatum,

Non nova certe eſt Opii exhibitio in nephritide. In dolore ex calculo philonium jam uſurpavit GALENVS.[a]) Paulus AEGINETA[b]) papaver in clyſmate commendavit. AETIVS[c]) exhiberi papaver et Opium juſſit ad dolores levandos. ARETAEVS[d]) in renum inflammatione, ſi calculus inſtiterit, cum fomentis et cataplaſmatibus collaudavit antidotum, quæ *Biſtimus* appellatur, et eam, quæ ex viperis conſtat, theriacam puta Andromachi. Sed recentiori ævo multo largior Opii vel omittendi, vel adhibendi, in therapia nephritidis commemoratio. Magis vero omnino in calculoſa reſpondent et indoli Opii, qua agit, et experien-

a) *de Comp. Med. lib. IX. c. 4.*

b) *lib. III. c. 45.*

c) *Serm. XI. c. 16.*

d) *Curat. acut. lib. II. c. 8.*

rientiæ, argumenta id commendantium, quam rejicientium, vel præ timore neſcientium, an ad hanc vel illam partem accedere debeant. Tremula manu Opiata porrexiſſe videtur ægris ſuis nephriticis noſter SENNERTVS;[e]) etenim ſi dolor valde urgeat, eadem equidem exhibenda eſſe dicit, laudanumque opiatum adeo ad grana iij permittit. Addit vero: *non tamen, niſi neceſſitate valde urgente et cum reliqua nil proficiunt, et cum calculus e renibus nondum eſt emotus, danda ſunt; nam ubi calculus jam in ureteribus hæret, nullum aut momentaneum ſaltem auxilium præſtant Opiata. Si acerbiſſimis doloribus vires valde dejiciantur, fieri facile poteſt, ut temerario Opiatorum uſu ſpiritus antea valde diſſipati ſopiantur, et pro ſomno mors ægro concilietur.* Crediderim ego, plus ſimplici de cauſa mereri optimum virum, qui hic notetur. Si reliqua nil proficiant et dolor urgeat, nil ſupereſt quam Opium, niſi eum et omnia ejus conſectaria ſibi relinquere velis, id quod nec miſericordiæ medici, nec bonis ægri rebus reſpondet. Verſatus in medendo artifex mature poterit conjicere ex ſumma dolorum gravitate, omnia reliqua nil profutura; ideoque tempus haud perdet cunctando, et otioſa interim remedia præſcribendo virium ſummam proſtrationem et ſequelas triſtes doloris ſummi expectabit, quæ et vitam omnino tollere poſſunt, ſecus ac Opium prudenter exhibitum. Præterea cautela boni SENNERTI de Opio ſaltem porrigendo, quamdiu in rene latet calculus, non vero quando ureterem eſt ingreſſus, valde paradoxa haberi debet; aut nullum nempe, niſi inflammationem excitaverit, aut tolerabiliorem in rene ſenſu acuto haud pollente movet dolorem calculus, cum in uretere acutiſſime ſentiente graviſſimos dolores concitet, in omne nervorum ſyſtema ſeſe ſæpe propagantes, uſumque Opii ſi unquam alibi urgentiſſima indicatione expoſcentes. Verum enim vero, longe pejus de Opio in ambiguis vitiis nephriticis, ut loqui amat, ſentit Cel. STAHLIVS.[f]) In iis nempe Opium

e) *Med. Pr. lib. III. Part. VII. Sect. I. c. 6.*

f) *Diſſ. de impoſt. Opii* §. 27.

Opium peculiaris plane energiæ peſſimæ eſſe perhibet, et infauſtorum ſucceſſuum exempla adducere laborat. Illa autem ſi recte expendantur, liberis a præjudiciis lectoribus nondum ita comparata deprehendentur, ut obſervationum contrarium probantium centuriis aliquid derogare queant. §o. 29 loquitur ſaltem de medicamento quodam, an Opium an aliud fortius narcoticum fuerit, non conſtat, neque de doſi aliquid habet. §o. 30 aliquot capitibus papaveris in cereviſia decoctis, de qua æger duos hauſtus ob adverſum ſaporem ſaltem ebiberat, culpa mortis vix merito tribuitur. §. 31 a tribus vel quatuor granis MP. de cynogloſſa, quam alioquin tamen omnibus compoſitis opiatis præfert STAHLIVS, mortem perperam deducit; cum hæc doſis per multos menſes ſæpe ſine noxa ſumatur ab ægris, urgente quodam inſuperabili, tolerabili tamen non aliter quam per anodyna repetita reddendo malo, ut plus ſimplici vice ipſe expertus ſum. §. 33 a liquore flaveſcente leniter amaro, qui ſine dubio fuit eſſentia quædam anodyna, vel laudanum liquidum, ad gtt. 6 vel 7 exhibito, pro doloribus nephriticis ſedandis, mortem illico inſecutam dicit; cum interea SYDENHAMVS ordinaria repetitisque vicibus porrecta doſi guttularum 16, ſæpe ultra 24 extenſa, vitam ſervaverit numero haud paucis. Tam dira funera cum Opio tribuerit præceptor, mirum ſane haud foret, ſi ab eodem abſtinuiſſent penitus, in verba ejus jurantes diſcipuli. Vix ſane expectaſſem, Cl. JVNCKERVM in calculo renum ad dolorum exacerbationem anodyna conceſſurum; interim tamen refractas doſes theriacæ cœleſtis, MP. de cynogl. tinct. Opii Langelotti, pilularum Wildeg. commendat.[g]) Paulo poſt autem: *Mitigatio inſultuum*, inquit, *minus commode per Opiata tentatur; quodſi vero pro obnubilando dolore aliquid Opiati exhibere placeat, MP. de cynogl. erit tutiſſima, modo ſollicite conjungatur cum alexipharmacis, et regimen teneatur mediocriter diaphoreticum. Sin ſecus, per abuſum Opiatorum*

g) *Tab. de calculo renum p. 373. 378.*

torum mors acceleratur, et ad minimum chronici periculoſi affectus inducuntur. Prærogativam MP. de cynogloſſa præ aliis quibuscunque compoſitis opiatis ego quidem non capio; eam potius ob ſemen hyoſcyami, quod habet, magis narcoticam habeo, quam alia pharmaca opiata. Neque neceſſariam additionem alexipharmacorum bene intelligo, quæ Opium non corrigunt, et ſi fuerint calida acria, irritantia, ſopienti vi Opii, quæ hic deſideratur, potius contrariantur, motubusque febrilibus ſuſcitandis vel incitandis favent. Mediocrem diaphoreſin jam propria ſua vi efficit Opium, illaque ſi acceſſerit, regimen ad largum ſudoris fluxum adſcendere poteſt. Nil vero diaphoreſis demit dolori ex calculo, licet præſens cutis mador teſtetur externarum internarumque partium ſpaſmos remiſiſſe. Sane ſine omnibus additamentis juſto tempore et doſi datum, ſolum Opium multum prodeſſe poteſt; ſique cum Stahlianorum dehortationibus et tragicis exemplis, quæ adducunt, mille proſtarent obſervationes, qualis eſt illa FORESTI [h]) de quopiam, cui imperitus medicus in dolore calculi Opium dedit, a quo in ſoporem lapſus non amplius evigilavit: nil proinde prudenti uſui, commodisque ex eo, vel tantillum decedit. Neque tamen recentiori ævo STAHLIVS ſaltem, cum aſſeclis ſuis, nil boni ſibi ſpopondit ab Opio in affectubus nephriticis; verum et adeo ejus antagoniſta Cl. HOFFMANNVS, licet alioquin multis Stahlianis placitis haud ſubſcribat, ſi attentius ejus Opera conſiderentur, fluctuans et ceſpitans modo id vere laudavit, modo ſub multis cautelis permiſit, modo etiam anceps et damnoſum declaravit. Recenſet vir optimus in diſſ. *de Correctione Opii*, anno ſeculi quod labitur ſecundo jam habita, [i]) de matrona Halenſi graviſſimis doloribus ex calculo renum laborante, quibus urinæ ſuppreſſio et convulſiones acceſſerant, quod unicum ipſius ſolatium cum clyſmatibus oleoſis fuerit remedium, ex tinctura tartari, laudano liquido, eſſentia caſtorei et croci conſtans, poſt cujus repe-

h) *lib. IX, obſ. 14.*

i) §. 15.

repetitum uſum, mitigatis doloribus et ſymptomatibus, calculos ſucceſſive excreverit. Verum nihilominus in *Medicina* ſua *Syſtematica*, [k]) Cap. de nephritide ſimplici et calculoſa, nec laudat nec taxat Opium, imo vero ejus ne quidem meminit, nec in gravioris morbi medela. Prorſus igitur ejus oblitum eſſe videri poterat, niſi Obſerv. II. quæ calculoſam nephritidem ſiſtit, ad ſpaſticam criſpaturam ureterum, ab ingrediente calculo proritatam, præbuiſſet liquorem anodynum cum laudano liquido, quale quid apud alios ægros, quos recenſet, nullibi adhibuit. Equidem alio loco [l]) de dolore ex calculo renali agens, quando leniora quæ tradit ipſi levando non ſufficiunt, ad Opiata tranſeundum monet, ſed ex ſua hypotheſi per aliorum additionem valde correcta et ſecura reddita, MP. Wildeg. Starkey, laud. liquid. Syd. theriacam cœleſtem, trochiſcos alkekengi; atque in ſequentibus [m]) ſpaſmo ſedato calculi protruſionem demum tentandam eſſe inculcat, quæ tamen, niſi omnia me fallunt, ſedato per Opium ſpaſmo et dolore ſæpe ſponte procedit. Interea tamen et naturam ſolam, nullis remediis adjutam, a violentis motubus, ſpaſmis et doloribus remittere et conquieſcere ſcribit; [n]) ubi vero diutius torquet dolor, virium adeſt proſtratio, ætas ſenilis, pulſuum debilitas, Opiata inſtar veneni eſſe fugienda, et inter ea maxime peſſimam MP. de cynogloſſa monet, a qua in ſene nephritico mortem inſecutam fuiſſe aſſerit. [o]) Sane in calculo propellendo et expellendo, ut in omni motu machinæ noſtræ vires naturæ ſupponuntur, ſine quibus cooperantibus medicus nil poteſt, eæ omnes ſi depreſſæ fuerint atque paralytici quippiam jam ſubſit, ut aliquando in ſenibus decrepitis, omnino Opium amplius non quadrat, quin nocet potius. E contra vero ſi motus excedant doloresque fuerint ſummi, ſæpe antea graviora mala poterunt inſequi, antequam ab eorum impetu natura ſponte deſiſtat, nilque tum oberit eidem frænum injeciſſe. Funeſtum in ſene eventum quod attinet, ille jam ſeptuagenarius,

k) *Tom. IV. Part. I.*

l) *Tom. IV. Part. II. p. 369.*

m) *p. 371. §. 6.*

n) *p. 376.*

o) *p. 389. obſ. VI.*

narius, ut ipſe HOFFMANNVS recenſet, ſumſit primo MP. de cynogloſſa ad grana 10, id eſt et Opium, et valde narcoticum ſemen hyoſcyami ultra granum unum pro una doſi; dein duplex hoc ſibi junctum ſopiens repetiit eadem doſi aliquoties, ad ſoporem et inſenſibilitatem apoplecticam usque, minus ſapiens ſui ipſius medicus; tandem alia omnia præſidia, quæ uſurpanda erant, forte tum neglexit penitus. En cauſas ſonticas, cur non obſtantibus meticuloſis pauliſper cautionibus HOFFMANNI, circa Opium nephriticis exhibendum, id nihilominus juſto uſui reſervari mereatur! Quin veri amore ductus vir integerrimus ipſe in epicriſi obſervationi addita ultro profitetur, ſe ante inventionem liquoris anodyni non infeliciter uſum fuiſſe Opiatis, ubi motuum exceſſus aderat et vires in ætate conſiſtente non omnino erant proſtratæ. An vero his liquore anodyno invento carere commode queamus, atque an hic ipſe liquor gravioribus ſymptomatibus levandis ſemper ſufficiat, ac ſuffeciſſet illi matronæ, quæ nondum invento hoc pharmaco, ab eximio viro a calculi dolore ad convulſiones evecto opiato remedio ſanabatur, ego quidem valde dubito.

§. XXI.

et laudatum.

Perluſtratis ſententiis eorum, qui aut non aut ſaltem ſuſpenſa manu nephriticis exhibendum Opium duxerunt, audiamus et eos, qui cum ſpe et fiducia multa id ejusmodi ægris porrigendum eſſe inculcant, rationesque, quas ſuis experientiis adjiciunt, ſimul ponderemus exactius. Felices effectus inde redundare in miſerrimos tales homines, tortoribus doloribus ad incitas redactos, probant BARTHOLINVS[a]) atque HORSTIVS;[b]) ſat largas etiam doſes dolore nimium ſæviente exhiberi jubet RIVERIVS;[c]) conſuetumque remedium LENTILII[d]) in ejusmodi caſibus fuit oleum amygdalarum dulcium cum ſyrupo de alth. Fernel. addita eſſentia anodyna. Taxat deinde eos WEDELIVS,[e]) qui putant, vim expellentem calculum Opio ſopiri,

a) *Cent. III. Epiſt. 46.*

b) *lib. X. obſ. 3.*

c) *Operum p. 349.*

d) *vide ejus Eteodromum paſſim.*

e) *Opiol. p. 125.*

piri, contenditque ſtimulantia et expellentia potius aliquando vitam cum gemitu expellere; doloribus autem ſopitis facultatem expultricem eo valentius inſurgere aſſerit, atque laudat pulverem *Ludovici*, ex lap. ♋, cinnab. et Opio compoſitum, cui ipſe ſperma ceti adjicere ſolet. Rectiſſime certe WEDELIVS multoties præferenda eſſe anodyna ſtimulantibus monet, quamvis hæc primo intuitu propellere inertem molem calculi, illa vero figere videantur; contrarium autem in ſequentibus clarius reddetur. Sola vero practica experientia convictus, ratiocinia theoretica non amans SYDENHAMVS f) in paroxyſmo nephritico poſt VSem, et liquorem poſſeticum cum radice altheæ coctum, ac enema emolliens applicatum, dat ſatis largam doſin laudani liquidi ad guttas 25. Verum eſt, qui vel a priori, vel ex hypotheſi agere ſaltem in medendo conſuevit, tanto præbio naturæ motubus frænum ſat rude injici, cauſamque morbificam illis ſopitis in ſua ſede detineri et firmari, debet affirmare. Sed ejusmodi in ipſa praxi minus fundatis objectionibus diu jam eleganter obviam inceſſit Cl. BOHNIVS: g) *Spaſmi dolorifici*, inquiens, *cauſarum morbificarum aliorumque ſymptomatum remotionem aliquando ſufflaminant, ut hæc vix commode, niſi illis aliquantum ſedatis, educi queant, ut calculus renum; per conſequens etiam hujus intuitu ſui mitigationem poſtulant*; atque paulo poſt: *cauſæ remotioni*, ait, *ante omnia eſſe litandum ſana equidem ratio poſtulat; quod vero nihilominus tenſioni fibrarum dolorificæ harumque irritabilitati illa relicta aliquantum ſuccurrere liceat, extra omne dubium et manifeſtum eſt in dolore nephritico, qui frequentius antequam calculus expellatur compeſcitur, neque hic antequam ille mitigatus eſt educitur. In quo cum antiquis conſentientes deprehendimus modernos, utrosque ante omnia per anodyna operari jubentes, priusquam calculum pellentia propinentur, imo fruſtra etiam hæc antequam dolor ſopitus eſt exhibeantur.* Atque hanc practi-

f) *Operum p. 753.*

g) *de Officio medici dupl. p. 357 et 360.*

cam veritatem nemo melius adſtruxit noſtro ævo immortali BOERHAAVIO. [h]) *Si nimia ſymptomata*, inquit, *doloris vel convulſionis urgent, Opiata proſunt*; alibique [i]) *vias per anodyna aperiri* jubet. Hanc autem ſuam mentem eleganti ſſime explicavit in lectionibus publice habitis *de calculo*, [k]) dum magnum in curatione momentum in eo conſiſtere aſſerit, ut ureteres hoc tempore in ſpaſmos acti ad breve tempus fiant paralytici, per quos tum ſæpe facilis tranſeat calculus. Summum vero pro hoc ſcopo obtinendo remedium Opium eſſe monet, quia poſtea vis vitæ, et urina inſtans, ac ſimul vomitus calculum propellant, qui aliter potius figeretur ex muſculari ureterum contractione. Quamdiu enim, ut alio loco loquitur, [l]) æger doloribus torquetur, manifeſtum eſt vias conſtringi; hinc donec duraverint dolores, nunquam æger excludet calculum. Eapropter omnibus ſtimulantibus miſſis, quæ vias plus conſtringerent, ac his oleo leni interne exhibito, clyſmatibus et Opio paralyticis redditis, millenos ægros ſe curaſſe refert. Rem ipſam, ut ſæpe ſolet, ſimili egregie illuſtrat. *Calculus*, inquit, *eſt corpus mortuum nil agens niſi ſua mole, pondere vel aſpera figura, ſed partes circa calculum ſunt partes vivæ, quæ irritatione ſe contrahunt. Si teneatis globum ferreum cum aculeis in manu, an aliquis eum expelleret, manum veſtram conſtringendo? anne autem facillime, ſi manum paralyticam facere poſſet?* Idem prorſus et iisdem argumentis nos docuit, qui in artis exercitiis conſenuit, Richardus MEAD; [m]) ideoque laxantia et lubricantia commendat, ſique vehementior ſit dolor, miſſo primum ſanguine, remedia anodyna interponi cupit, quin et in clyſmate ſolutum Opium in uſum vocandum cenſet. Innumeris certe practicis experientiis dogmata hæc comprobari poſſunt. Qui ipſe in cura paroxyſmi calculoſi anodyna valde extollit; PITCARNIVS, [n]) de HARVAEO autore Circulationis refert, quod ſe a dolore nephritico liberaverit aſſumta magna quantitate laudani liquidi,

h) *Aphoriſm.* 998.

i) *Aph.* 1426.

k) *p.* 167.

l) *in Comment. ad Aph.* 998 *et* 999.

m) *Monit. med. p.* 108.

n) *Elem. med. phyſ. math. lib. II. c.* 24. §. 15 *et* 25.

quidi, unde excreverit ingentes calculos inter dormiendum. Atque ipſi adeo oſores Opii interdum fructus ejus præclaros inviti debuerunt agnoſcere. Viro colicis ac nephriticis doloribus cum plenaria ſuppreſſione urinæ laboranti, abſente Medico ordinario, Cl. KRVGIVS [o]) advocatus dederat Opium, applicarique fecerat cataplaſma; ſtatim dolor ceſſavit et urina libere profluxit, ringente, cum accederet, ordinario. Neque urgente malo puſiones ab hac medela excludi debent. Teſtatur Antonius de HEYDE, [p]) puellæ datum laudanum opiatum effeciſſe, ut dolor enormis lumborum minueretur et calculus oblongus excerneretur. Similemque ſucceſſum eodem medicamine ſe in puello 22 menſium expertum refert. Non igitur mirum, clariſſimos Montispeſſulani medicos [q]) in omnibus ſuis conſultationibus ægris nephriticis laudanum liquidum in paroxyſmo uſurpandum præſcripſiſſe. Adſtipulatur eorum præceptis quoque recentiſſimus de Opio ſcriptor, Georgius YOUNG, [r]) qui ſimul regulam Cl. GEOFFROY, *quod Opium in omnibus caſibus, ubi natura excretionem quandam molitur, nocivum exiſtat*, in nephritide calculoſa exceptionem pati memorat. Scripſerat nempe GEOFFROY: [s]) *in nephriticis doloribus a calculo ureteres obſtruente oriundis, non inutiles cenſendi ſunt dolores, quibus æger divexatur. Renes enim, ureteres et muſculi abdominis his irritationibus ſollicitati modo convelluntur, modo laxantur; ſic quandoque calculus conteritur, comminuitur, vel vehementer protruditur, ac tandem iteratis illis conaminibus et medicina obſtetricante in veſicam expellitur.* At vero experientiam teſtari ſcribit YOUNGIVS, 40 vel 50 guttulas laudani liquidi ægrum ex infandis doloribus ereptum dulciſſimæ quieti tradere, ſpaſmoque in anguſto canali detentum calculum ſine ullo incommodo tum exire, qui ſibi ipſi, irritando ſenſibilitate ſumma pollentes membranas easque ita coarctando, viam intercluſerat nunc Opii beneficio patulam reddi-

o) *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ao. X. obſ. 3.*

p) *Obſ. 26.*

q) *Conſultations choiſies de l'Univerſité de Montpellier. Tom. I. p. 54. 202. et in reliquis Tomis paſſim.*

r) *A Treatiſe on Opium p. 56.*

s) *Mat. Med. Tom. II. p. 712.*

redditam. Magna vero doſi opus eſſe ſimul monet, cum minor, ut in affectubus hyſtericis, noceat. Atque in his ætiologiis YOUNGIUS cum aliis peritiſſimis viris, quos jam laudavi, recedit a ſententia Joh. FREIND.[t]) Is equidem omnino Opium pellere calculum aſſerit; ſed id hic conſiderat tanquam cardiacum, et viribus roboratis hunc effectum præſtare contendit, fere ut in antecedentibus laudatus WEDELIUS. Fallitur vero in hac re vir cæteroquin acutiſſimus; corroborans quippe vis Opii ſaltem ſe extendit in virtutem vitalem et auctum circulum, non in alias partes extra limites circuli, quas potius ſemiparalyticas reddit. Virtute ſua cardiaca id remedium potius intenderet impetum ſanguinis in locum, ubi calculus hæret, et ut alia calida inflammationem et dolorem augeret, niſi relaxando ureterem, in cujus cavum impetus circuli non agit, exitum facilem calculo procrearet. Auſim ego aſſerere, niſi ſua antiſpaſmodica virtute ureterem ſimul relaxaret Opium, id ſimultanea virtute cardiaca, a ſua interna dote inſeparabili, potius nocumento fore ægro nephritico; hincque eſſe convictus ſum, quod Opium ſolum exhibitum in hoc morbo, ſine aliis remediis in uſum vocatis, non ſaltem non omnino juvet, verum et adeo aliquando noceat. Scilicet ſive calculus hæreat in rene ipſo ibidemque quieſcere ceſſaverit, ſive motus fuerit in ureterem, non dolorem ſaltem ciet, ſed et ſimul inflammationem excludit. Equidem inflammatio hic naſcitur a dolore, ſed impugnata ejus cauſa, dolore, ipſa inflammatio ſimul impugnari debet, et ſopito etiam dolore nihilominus, cum ab eo jam nata adhuc perduret. Semper igitur antiphlogiſtica methodus adhibenda ægro nephritico, ut Opium indicatiſſimum ſecurius adhibeatur. Turpe peccatum ex neglectu hujus cautelæ commiſſum recenſet HOFFMANNUS,[u]) fæminam adducens ſanguine pleniſſimam, intemperante Opii ſolius et diureticorum bonam partem male ſelectorum uſu necatam, quæ VSe, emollientibus,

t) *Emmenol. Cap. XIV. pag. mihi 139. edit. pariſ.*

u) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. p. 473. obſ. 3.*

bus et Opio ſanari potuiſſet ſine dubio. Emollientia ſane ore aſſumta, atque in epithematibus, clyſmatibus, balneis, adhibita, ſunt elegantiſſima. VS. ſatis magna, ut BOERHAAVIUS [x]) dicit, omnes preſſiones labefactat; Opium vero omnes ſtricturas placat. Sane qui ſemel vidit, quousque procedere queant ſymptomata apud nephriticum a ſola nervorum irritatione pendentia, quousque ſe diffundere queant per integram nervorum ſyntaxin, is rigidus et calloſus ſineque ſenſu medicus ſit oportet, niſi ipſe totus commoveatur. Familiaria ſunt nephriticis nauſea, vomitus, ſtupor cruris, teſticuli retractio, difficultas urinæ; ſed accedunt graviore exiſtente malo horror totius corporis, alvi conſtipatio, anxietas et conſtrictio præcordiorum ſumma, colica, iſchuria plenaria, convulſio, epilepſia ipſa, inter abominabiles cruciatus. Quale vero remedium par ſummis his afflictionibus minuendis haberet materia medica, ſi careret Opiatis? at quis easdem cogitaret, ſine affixo metu inflammationis ſummæ? quis obliviſceretur tum facile remediorum antiphlogiſticorum? Quam ſapienter utraque ſibi junxit Illuſtr. van SWIETEN? [y]) *Symptomata*, inquit, *ab irritatis nervis adeo quandoque ſæva ſunt, ut ſuperent ægri patientiam et vires proſternant, et nova mala producant præcipue in nephritide calculoſa. Sopito acerrimo doloris ſenſu, tollitur quoque ſpaſmus inteſtinorum, ventriculi, vaſorumque inflammatorum nimia conſtrictio; hinc egregius eſt Opiatorum uſus. Quia vero cauſa non tollitur, ſed ſaltem ſenſus, pergendum eſt in uſu remediorum cauſæ debellandæ aptorum. Prudentes igitur medici raro utuntur Opiatis, niſi prius in morbis acutis inflammatoriis per VSem aliaque apta remedia inflammationis vehementiam minuerint.* Optarem civibus meis, diu ita cogitatum fuiſſe a medicis noſtris Vratislavienſibus. Laudavit olim magnum eorum decus doctiſſimus de HELWICH [z]) in malo graviore etiam anodyna, alvo libera exhibenda; atque alio tempore [a]) pulchre

x) *Lect. de Calculo p. 167.*

y) *in Comment. ad aph. 998.*

z) *Hiſt. Morb. Vrat. 1699. p. 194.*

a) *1702. p. 141.*

chre cognovit in viro quadragenario ex ſymptomatibus præſentibus hærentem in uretere calculum, adhibuit quoque elegantia remedia, neglexit interim Opium, et VSem. Sed his omnibus ſtudioſiſſime per 8 dies exhibitis, profecit nihil. Poſtea valere juſſis remediis dolor remiſit ſponte, et calculus excretus eſt. Eadem mala ſed atrociora experta fuerat fœmina illuſtris, frigus, æſtum, jectigationes, vomitum horrendum, dolores exquiſitiſſimos, convulſiones, iis tandem mortua. An in priore caſu anodynum datum citius ſolamen attuliſſet ægro? an in poſteriore vitæ conſervationem juvaſſet, VSe adjutum? diſpiciant rerum intelligentes!

§. XXII.

Digreſſio ad lithontripticа. Cognoveram ego fidis inſtitutionibus HOFFMANNI VSis, lectione autem SYDENHAMI, hujus et laudani præcellentem utilitatem in nephritide, recens adhuc medicinæ doctor; vocatusque ad ægrum fabrum ſcriniarium, quo majoribus cruciatubus afflictum deinde in tota mea praxi vidi neminem, valde eidem hac notitia profui. Excreverat per annos aliquot ſervatos, in exantlatarum ærumnarum memoriam, calculos magna copia, quorum aliqui diutius in veſica reſtitantes colore et lævitate moram, quam ibi traxerant, loquebantur; atque ob peſſimum diureticorum acrium uſum, pejus ſemper habuerat. Bene memini, me, ſepoſitione talium omnium impetrata, leni infuſo ſpecierum pro ſyr. de alth. cum lacte, VSisque, nitri et laudani adhibitione, una cum clyſmatibus ex oleo balneisque non quidem impediviſſe hanc feracem lapicidinam microcoſmicam, at ſæpius excluſionem calculorum faciliorem et tolerabiliorem reddidiſſe. Inhæſi ab hoc tempore ſemper ejusmodi methodo ſoli, in curatione ægrorum omnium meorum nephriticorum, quam adeo proficuam expertus eram ſatis mature. Illud vero tum præcipuum ſoſtrum tuli, ut ex voluntate ægri, doloribus et ætate tandem confecti, per legatum acciperem calculos omnes, quos laborioſiſſimis nixubus excreverat,

verat, ultra ſexaginta diverſæ magnitudinis, quæ in aliquibus fabam avellanamque æquabat et excedebat. Multos poſtea applicui experimentis faciendis, cum lithontripticum ſuum divulgaret fœmina Angla, STEFENS. Maceravi in lixivio ſaponis, adjecto pulvere quem ſimul præbebat, calori illius gradus, quem tenet corpus vivum, expoſito, per ſeptimanas calculos, concutiendo ſæpe vas, quod eos continebat. Namque putabam illud citius eos ſoluturum, abraſurum, imminuturum, quam urina hominis illo utentis, in ejusmodi lixivium haud convertenda; ſed nil decreviſſe eos viſu et ponderatione expertus ſum, vidique poſt aliquot annos idem obſervaſſe Celeb. LOBB,[a]) cum idem experimentum inſtituiſſet. Tanto magis itaque laudavi doctiſſimum mihique amiciſſimum SCHREIBERVM, qui id remedium in peculiari epiſtola, ad Celeb. de HALLER exarata,[b]) et inefficax et noxium declaravit. Miror non dubitare Cl. HUXHAM[c]) de ſolutione calculorum in lixivio ſaponis, quam tamen ego per aliquot hebdomades non ſucceſſiſſe vidi, licet ille toti corpori nocivam indolem hujus lixivii ingenuus profiteatur; quod et poſt Cl. PARSONS facit MEAD[d]) acerbe taxans illos medicos, qui inſano pretio redimendi anile remedium magnatibus auctores fuerant, fallaciamque deprædicati effectus ſimul indicans. Immiſi vero ego eodem tempore calculos oleo, ſpirituique vitrioli, exeſosque vidi omnino, ſed citius ſolis effluviis vitriolicis portionem veſicæ bubulæ, qua ſubere obturatum vitrum anguſtioris colli obvolutum erat; vitriolicorumque vim et lithontripticam a Cl. SCHVLZIO,[e]) præeuntibus ſibi LAVREMBERGIO et DIPPELIO, adſtructam, et velociorem cyſtotripticam, ſi integra ſua virtute ad veſicam perveniant, ſatis animadverti. Utinam per experimenta plura votis reſpondeat corpori humano magis amica aqua calcis, veſicæque ipſi prorſus innocua, multum, ſi poteſt ur, et in veſicam ſyringa injiciatur, a Roberto WHYTH, ab ALSTONO, Wi-

a) *in Tract. de diſſolventibus calculum §. 936. 937.*

b) *Gœttingæ 1744.*

c) *de febribus. c. V.*

d) *Monit. Med. c. X.*

e) *Diſſ. qua Problema: an dentur medicamenta quæ calculum in veſica comminuant? in partem a[illegible]tivam reſolvitur.*

William BVTTER, PRINGLIO ac aliis ad calculum attendum laudata; quamvis eam pro hoc fine inanem experimento facto declaret LOBB, f) probabilitatem interim ſolutionis ope apti alimenti aliis experimentis adſtruere molitus. Utinam præpollentes ſuas in ſolvendis concrementis calculoſis veſicæ et renum vires, numeroſis ſucceſſubus demonſtrent thermæ carolinæ, quarum virtutem lithontripticam, præ aqua calcis, peculiari ſchediaſmate multa doctrina et experimentorum robore adſtruere ſategit mihi dilectiſſimus SPRINGSFELDIVS.

f) §. 933 et 934, tractatus de Diſſolventibus calculos.

§. XXIII.

Vomitus nephriticus ſeorſim conſideratus.

Sed a lithontripticis remediis proprie ad me jam non pertinentibus, ad quæ paululum digreſſus fueram, redeo adhuc ſemel ad meum Opium, monitum unicum adhuc adjecturus, ad quod in curatione ægrorum nephriticorum raro opinor attendi ſolet in praxi. Calculus hærens in uretere patrat tot mala, quæ uno momento ceſſant, quando ingreſſus eſt veſicam; ejus ergo promotio et deſcenſio facilis in illam omni opera juvanda. Opium cum emollientibus aſſumtis tollit criſpaturam, qua anguſtior reddebatur ureter et pene claudebatur, ita ut via intercepta eſſet calculo devolvendo per flexuras ureteris. Hic ſecundum naturam deſtinatus transmittendo tenui liquido urinæ, ſuo pondere facile deſcenſuro, non egebat fibris motricibus adeo validis, quanquam hæ non deſint, longitudinem ſequentes, ſed notante HALLERO a) exiguæ. Ponatur jam flaccidus redditus ureter, qui antea conſtrictus erat, ob irritationem a calculo, hærebit hic nihilominus adhuc in ſinuoſis flexionibus etiam laxati ureteris, utpote anguſtioris in uno loco quam in altero, maxime ſi moles ejus paulo grandior fuerit, quam naturalis amplitudo ureteris; ſicque non, niſi valde exiguus exiſtat, facilis deſcendet. Namque dilatatos valde ureteres a calculo tranſitum molito et ægre transmiſſo habet RUYSCHIVS b) et COSCHWITZ; c) viſaque ſunt exempla, ubi diu

a) Præl. Tom. III. p. 230.

b) Obſ. XV.

c) Diſſ. de valvulis ureterum.

diu ſubſtitit pertinax in uretere calculus, et urina ſibi ſenſim viam per ejus corpus paravit. Si ergo fibræ exiguæ per Opium inſenſibiliores redditæ et ſemiparalyticæ vix agant in calculum, illeque, non amplius ſpaſmo coercitus, ſponte ſua haud deſcendat, quid tandem promotioni ejus inſerviet? Accumulatur ſane a tergo lotium, indeſinenter depluens ex ſiphunculis bellinianis, ſuoque pondere nitente in calculum videtur aliquid præſtare poſſe, ad eum movendum. Dubito autem, an ſemper ſat magna copia pro hoc fine neceſſaria colligatur, an ſatis valide agat, ſi ille fortius fuerit impactus. Igitur maximum momentum, ad iter abſolvendum a calculo, addit ſine dubio ſymptoma nephritidis ordinarium, vomitus, concuſſione valida, quam in omnibus viſceribus abdomine contentis concitat; miro certe eventu, dum qui a calculo ureteres irritante provocabatur, ad convulſivos motus ventriculus, iis ipſis inquilinum hoſtem, quietem ſuam naturalem interturbantem, amoliri et deorſum deturbare ſatagit. Fluit ex horum omnium conſideratione ſapiens conſilium BOERHAAVII,[d]) de non permittendo ſaltem ſed et de juvando hoc vomitu ope aquæ tepidæ mellitæ, imo vero de eo non ſaltem non ſiſtendo et juvando, ſed quandoque ſub certis circumſtantiis per prudenter datum emeticum excitando, ne ſubſiſtens creſcat et ureteres comprimat calculus.[e]) Nonne autem, dum exhibetur Opium ad laxitatem ureteribus inducendam, via patula reddita, id tanquam antemeticum ſummum, ſiſtendo ſimul vomitum, ſic inhibet motum illum, quo per viam patulam calculus protrudendus erat? Fateor non omni fundamento caret hæc quæſtio, ſed ſcire refert, adeo horrendum quandoque eſſe vomitum, ut nil nocuerit, ſi ſummus ejus exceſſus compeſcatur. Deinde in actu ipſo vomitionis mediocris melius omittitur anodynum, eoque quiescente exhibetur optime, quod dolores et ſpaſmos placando non omnem ſupprimet futurum vomitum, quamdiu nondum ad veſicam

d) *Aph. 999.*

e) *vide Commentarium in eundem aphoriſmum, et lectiones de calculo.*

cam delatus eſt calculus, ſemper irritatione ureteris reiterandum. Quodſi vero, et vomitu et dolore utcunque per ſua remedia ſopitis, nihilominus adhuc inhæreret ureteri, ſuppleri poteſt concuſſio abdominis per vomitum ſymptomaticum fiens, exercitiis corporis, ut vectione in rheda, et poſtea etiam lenibus emeticis, quæ utraque ceu eximia remedia a practicis nonnullis, et præcipue a BOERHAAVIO[f]) laudantur.

f) *Lect. de Calculo. p. 166.*

§. XXIV.

Spaſmus Veſicæ.

Venio ad horribiles dolores veſicæ, ad eum nequitiæ gradum aliquando adſcendentes, ut mori protinus, quam inexplicabiles cruciatus ferre diutius, miſerrimi ægrotantium malint. Hic ſane ſumma dolorum vis et miſericordiæ affectus, medicis adſtantibus motus, illis etiam aliquando extorquet anodyni præſcriptionem, qui alioquin tardi ſatis ad eam adducuntur. Dolendum ſaltem, quod fere in omnibus ſpaſmis veſicæ, ad quos illa ob ſummam ſui ſenſibilitatem mirum quantum habilis eſt, tantum levamen non præſtet nec præſtare poſſit Opium, quam in votis erat, atque ac in aliis doloribus illud præſtare aptum eſt. Hic certe non ſine ſummo animi dolore et non ſine prorumpentibus lacrymis, tenerrimo commotus affectu, quaſi coram conſpicio calamitates illas, quas imperſcrutabili providentiæ decreto ſuſtinere juſſus eſt vir ſummus, Albertus de HALLER. Sæpe mihi, ex quo ex relationibus litterariis Gœttingenſibus de illis certior factus ſum, in mentem venit: *Cur bonis,* dixerim lubentius, cur optimis, *viris mala fiant.* A 40 et ultra menſibus ille patitur frequentiſſimum et ſumme doloroſum teneſmum veſicæ et conatum mittendi lotium, noctu præcipue, cujus ſedem et cauſam in hiſtoria corporis humani verſatiſſimus vir aſſequi hactenus nequivit. Namque catheteris miniſterio nullus calculus, nullus tumor in viis urinariis ipſaque veſica, detectus eſt, quæ et ab exulceratione eſt immunis. O miſeram practicæ medicinæ faciem,

quæ

quæ eam exercentes toties abditas et latentes morborum cauſas non niſi per cadaverum anatomen docet! Quot in-explicabiles caſus adjici poſſent duobus vaſtis voluminibus, quæ de hoc argumento conſcripſit meritiſſimus Joh. Baptiſt. MORGAGNI? Quando aliquis HALLERVS in cauſarum diagnoſi cœcutit, quotusquisque in talibus cimmeriis non raro tenebris, quæ hoc ipſum poſtulant, Argo foret oculatior! Infundi ſibi Ill. PRINGLII ſuaſu fecit clyſmata opiata, 21 guttulas laudani liquidi per gradus ad 120 iis admiſcendo; ſumſit etiam laudanum interne: dormivit per aliquot horas, imo et integras noctes, ſine virium decremento, etiam mentis alacritate perdurante; ſed functionibus corporis aliquibus manifeſte turbatis malum ipſum, quod per tempus non ſenſit æger, eapropter non fuit hactenus imminutum. Faxit Deus, ut aliis remediis, quorum varia etiam ſine effectu fuere adhibita, jam auſcultaverit aut in poſterum id auſcultet. Conſideremus, quæ clarius detegi poſſunt, diverſas hujus morbi facies ſigillatim, et boni ordinis ergo notemus, cauſas ſpaſmi veſicæ hærere vel in ejus cavo, vel in ejus membranis, vel aliunde ad has deferri, vel ſedem habere in partibus cum veſica connexis et eidem vicinis.

In ejus cavo conſiderandus primo eſt calculus, qui quidem perpetuo præſens non tamen ſemper præſentes eſſe facit dolores, demum frigore admiſſo, cibis flatulentis, potubus haud defæcatis, animi affectubus, induci ſolitos ac per intervalla remittentes iterum, quia omnem ſpaſmum atonica debilitas et obtuſior ſenſus lege microcoſmica inſequitur. Sane eo tempore, ubi dolores ſunt vehementiſſimi, aliis agendis ſimul actis, Opium erit indicatiſſimum, licet palliativum ſaltem ſit pharmacum. Non certe intelligo, quid movere potuerit Cl. LISTERVM,[a]) ut ægris ſuis calculoſis aliquoties dederit mithridatium ſine Opio, quod tum certe unice calidum et irritans magis nocere debuit,

quam

a) *vide diſſ. de calculo humano.*

quam prodeſſe. Sine acri comitatu tali, quo alioquin in mithridatio circumdatur, a ſolius Opii doſi ordinaria, æger ille, de quo mentionem faciunt *Ephemerides Nat. Cur.* *) incontinentia urinæ et ejusdem ſtillicidio perpetuo a calculo laborans, intolerabilibusque cruciatubus exercitus, dolorum inducias ex voto obtinebat, adeo ut tranquillo decubitu noctem tranſigens ſe quaſi in ſinu Dei jacuiſſe gratus profiteretur, licet ſomnum deſideratum neutiquam obrepentem expertus eſſet. Iure ergo WILLISIVS b) inter affectus dolorificos, quibus Opium ſuccurrit, locum ſibi vindicare calculum veſicæ memorat; cumque in ſenibus immaniter ſæviat et per lithotomiam curari nequeat, a nullo alio remedio, præterquam a narcoticis, eum levamen admittere monet. Quamobrem in hoc caſu nonnullis laudani aut diacodii uſum conſtantem et quotidianum ſe ſuaſiſſe refert, quod cum magno vitæ ſolatio nullam ab eo noxam ſortitos feciſſe dicit, quamvis doſin ejus ſubinde augentes ad magnam quantitatem adſcenderint. Sane Cl. IVNCKERVS, *) qui, ſi uſpiam alibi, certe in renum affectu ab Opio abſtinendum eſſe dicit, tamen calculo in veſica hærente et gravius urgente MP. de cynogl. locum eſſe ait, cum clyſteribus et pulvere antiſpaſmodico. ETTMVLLERVS c) filius etiam, ad ſpaſmum veſicæ a calculo minuendum, alii apparatui remediorum anodyna adjecit. Non minus HOFFMANNVS *) in omni ſpaſmo veſicali, ad dolorum ſævitiam compeſcendam, ne vires nimium frangantur, febris cum urinæ difficultate augeatur et amentia provocetur, anodyna uſui eſſe poſſe docet, ſeque a trochiſcis alkekengi ad drachmam dimidiam ſumtis ægrotos inſigniter ſublevatos vidiſſe teſtatur. Quousque autem Opiata omnia valere queant, facile perſpicitur; niſi enim ſectione auferatur calculus, aut lithontripticis, quorum inventio ſeculo noſtro reſervata fuiſſe videtur, vere ſolvatur, eadem miſerabilis ſcena, donec cruciatubus enectus fuerit æger, ſæpius redintegrabitur.

**) Dec. II. An. X. obſ. 80.*

b) Pharm. rat. Part. I. Sect. VII. c. 1. p. 184.

**) Tab. XCVII. p. 794.*

c) Diſſ. de ſpaſmo veſicæ §. 21.

**) Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. II. c. 7. p. 412.*

Non

Non mediocrem famam a 20 forte annis, HAENIO potiſſimum laudatore, obtinuit uva urſi, de qua Cel. Vir [d]) affirmandum eſſe ſcripſit, quod optimum ſit remedium in renum et veſicæ morbis, dum calculus aut adeſſe noſcitur, aut ſui ſaltem ſuſpicionem facit. *Nonnullis,* inquit, *mitigat tormenta morbi, ut vita tolerabiliter tranſigatur; aliis omnia ſymptomata aufert, ut ſe curatos putent.* Libenter ignoraremus, cum doctiſſimo viro modum, quo uva urſi amara et adſtringens planta, quod ab emollientibus et relaxantibus alioquin impetratur, dolorificos ſpaſmos mitigat, cum vis ſpecifica corticis peruviani aliorumque remediorum, quorum agendi modum ſe neſcire is profitetur, non minus nos lateat, ſi ſaltem lenimine indigentes ægros, veſicæ morbis afflictos, ſemper ſolaretur. *) Quis interea in dubium vocaret caſuum ab eximio viro ſuppeditatorum veritatem? Videntur tamen ii ægri, qui Tom. II. habentur, ob viarum urinariarum exulcerationes uva urſi adjuti. In calculoſis ſaponem et aquam calcis, de qua tanta elogia Angli medici præcipue promulgarunt, æque profuiſſe, HAENIVS ſponte profitetur. [e]) Pueris illis calculoſis, quorum hiſtoriæ traduntur Tom. III. p. 157. ſeq. quique uva urſi levati ſunt, datum ſimul fuit paregoricum veſpertinum, idque etiam liberale, [f]) et cum uſu paregorici oleum lini in veſicam fuit injectum. *) Vnus uvam urſi capiens Opio et oleo non indiguit. Verum ſexagenarius non calculoſus, dolore urethræ urinaque purulenta laborans, uva urſi curatus eſt, ſed ob dolores violentos ſæpius Opio opus fuit. [g]) Utinam magno HALLERO, botanico ſummo, hæc planta ſuppetias tuliſſet! ſed ad breve tempus tantum levamen attuliſſe viſa, ad Opium, tanquam ad ſacram anchoram, recurrere ipſum juſſit. Me, apud nos magna adeo præſtitiſſe uvam urſi, vidiſſe, vel audiviſſe, haud memini. Cavendum eſt, ne, dum plura remedia ſimul data ſunt vel ſerie haud interrupta varia ſeſe invicem exceperunt, uni ſoli tribuamus quod alii forte, aut omnibus tribuendum erat.

d) *Rat. med. Tom. II. p. 191.*

*) *vide Haenii Tom. III. pag. 166.*

e) *p. 206.*

f) *p. 157. 159. 161.*

*) *p. 163.*

g) *pag. 192.*

erat. Neque multum proderit Opium illis, qui a ſanguine, ex renibus ſtillante et in veſica in polypoſas concretiones diverſæ molis et figuræ abeunte, horrendos ſubinde dolores experiuntur. Adſtiti plus ſimplici vice, lachrymabundus, tales polypos inter gemitus et angores exprimenti amiciſſimo meo HAENIO. Novi, ipſum confugiſſe ſæpius ad generoſas doſes extracti Opii aquoſi et MP. de cynogl.; nullum vero ab his effatu dignum ſolamen emergebat, quod excluſa mole gravante demum obtinebatur. Neque etiam impedire potuit vir integerrimus, quin adverſa Lucina, uno infelici partu poſt alterum, infandam et prodigioſam ejusmodi polyporum veſicalium quantitatem eniti juberetur, donec tandem hydropicus et aſthmaticus interiret. Atque forſan illi vermes cum urina excreti, de quibus in *Miſc. Naturæ Curioſ.* *) paſſim et alibi apud auctores tot mira recenſentur, quosque inter cauſas ſpaſmorum veſicæ referunt, ſi non omnes, plurimi ſaltem fuerunt in oblongum efformati polypoſi ſanguinis grumi. Forſan illud animal vivum habitum, colore rubrum, millepedi ſimile, quod præſtantiſſimus Ludovicus DVRETVS referente PARAEO [h]) cum urina excrevit, vere fuit polypus e ſanguine prognatus. Miras enim formas horreſcens et miſericordia plenus conſpexi apud optimum meum HAENIVM, cui non ſemel edixi, habituras in numeroſa hac progenie, quam editam aſſervabat, ſimplices et credulas mulierculas eandem opportunam occaſionem, ad propaganda omnia ſua deliramenta atque ad effingendas fabulas, quas olim ſaltem fingere ſueverant molarum uteri informium et mire formatarum adſpectui intentæ. Illi ſemel formati et longiore mora compactiores redditi fibroſi polypi veſicales, ut uterini et illi, qui in corde et majoribus vaſis concreſcunt, irreſolubiles ſunt omnibus remediis, ſique ad eam molem pervenerint, ut elabi ex veſica et tranſire per urethræ anguſtias prorſus neſciant, obſtruendo orificium veſicæ vel meatum urinarium

*) *ut Decur. I. caſ. II. in ſchol. et Dec. I. Ao. VIII. obſ. 23.*

h) *lib. XIX. c. 3.*

inter

inter abominabiles et tremendos cruciatus, fatalem iſchuriam cauſari poſſunt. Sed grumi recens concreti admittunt ſolutionem omnino; quanquam ſi in veſica hærentes concipio, decoctum Foreſti et ſperma ceti ore aſſumtum cum Illuſtri HOFFMANNO[i]) iis ſolvendis aptiſſima remedia habere dubitem, cum ſi ſolverent omnino, ſua vi illabata in veſicam haud penetrent; nihil enim ex mucilaginoſis ingredientibus decocti Foreſti, nihil pinguis de ſpermate ceti, deprehendetur in urina hominis, qui largiſſima quantitate talia aſſumſerit. Cum mictum cruentum jam aliquoties expertus, poſt iter curru abſolutum infandum dolorem et teneſmum veſicæ pateretur, atque a concuſſione delapſum in veſicam ſanguinem ſuſpicaretur nobiliſſimus HAENIVS, potavit largam copiam aquæ frigidæ cum ſaccharo, votique dein utcunque particeps redditus eſt, prodeunte veluti inter partus conatus ſanguinolenta et grumis remiſta urina, forte a mole aquæ magis propulſa quam ſacchari ſapone grumos diſſolvente. Ego in tali rerum anguſtia lubentius cathetere removendos curarem grumos, exitum urinæ præcludentes, atque dein emiſſo lotio in veſicam injici facerem aquam tepidam cum melle, nitro et ſapone, ab hac medela multo majores, certiores et citiores fructus mihi promittens, non neglectis idoneis topicis pubis regioni applicatis.

Sed et cavum veſicæ præter grumos ſanguinis, ſpaſmorum auctores, continere poteſt collectam ſenſim urinam, ob univerſalem humorum diſcraſiam, in ſenilibus præcipue corporibus adeo acribus ſalibus refertam, ut deterſo et abraſo muco blando, obducente intus ſuperficiem et defendente a naturali acrimonia urinæ, ſumma ſequatur et ſenſibilis valde nervoſæ tunicæ jam denudatæ irritatio, ſpaſmusque et dolor urgentiſſimus. Huic malo diæta lactea et demulcentiſſima pharmaca, ac aquæ medicatæ, cum alvum ducentibus mannatis multum ſolaminis adferunt, Opium autem vix ullum,

i) *l. c. p. 410.*

Deferor autem nunc ordine ad cauſas dolorum ipſi ſubſtantiæ veſicæ inhærentes, ubi primo ſcabiem veſicæ veteribus dictam in medium profero, quæ ejusmodi urinæ, quam deſcripſi, utplurimum ſuos natales debet, quando nempe ſalſedo ejus tunicam villoſam muco ſuo orbam arrodit, erodit, atque excoriat, ita ut furfures et filamenta, quæ ramenta ſunt interioris tunicæ, cum urina inter ſummos dolores excernantur et in eadem ſubſideant. Huic vitio niſi mulcentia omnia, et ab Henr. ab HEERS [k]) maxime laudatæ Spadanæ, (quas cum lacte uſurpare præſtat,) opitulentur, e re erit injicere in ipſam veſicam lac cum mucilagine cydoniorum, decoctum altheæ, aquam calcis et talia, quin oleum ipſum amygdalinum, ſummumque quod haberi poteſt ab iisdem ſolamen expectare, cum Opium hic nil prorſus juvet.

k) *Spadacr. cap. IX. p. 83.*

Alio tempore vaſa veſicæ ſanguifera, inter membranas ejus reptantia, atque venoſa maxime, intruſo ſanguine denſo infarciuntur, diſtenduntur, varicoſa redduntur; unde fit, ut diductis a ſe invicem et preſſis nervoſis villis atrociſſimus dolor excitetur, omnibus pene ſuis ſymptomatibus, quæ et calculoſis familiaria obſervantur, ipſum veſicæ calculum mentiens. Malo graviſſimo, quod per menſes, et annos durare poteſt, ut caſus ab HOFFMANNO [l]) notatus docet, occaſionem dare ſolet plethora, equitatione, vectione et concuſſu corporis ad hæc loca invitata, quæ aliis vicinis antea forte debiliora fuerant; menſium hæmorrhoidumque anomaliæ et ſuppreſſiones, ſanguinem per uteri et inteſtini recti arteriolas excernendum ad veſicam determinantes. In ejusmodi caſu Opium, quod menſtrua et hæmorrhoides ſua vi movet, atque nunc menſtrualem et hæmorrhoidalem ſanguinem ad debiliorem utero et inteſtino recto veſicam vaſaque ejus laxiora ablegaret, hoc reſpectu forte æque oberit, ac prodeſſe poſſe videri poſſet, ad motuum vitium corrigendum; quare VS, nitrata, papaveracea,

l) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 413.*

di-

diluentia, aquæ minerales, hirudines, majus emolumentum ſpondent, quibus, ſi ſpaſmodicæ ſtricturæ urſerint, licet primam morbi cauſam, relaxationem vaſorum juvare aliquo modo queant, emollientia fotu et clyſmate applicanda jungi debent. Quodſi vero in arterioſis potius apicibus inter veſicæ membranas hæreat ſanguis plethoricus, menſtruus, hæmorrhoidalis, qui et ſpaſmo gravi ab aliis cauſis prægreſſis nato in eos urgeri poteſt, non ſaltem intenſiſſimus dolor, ſed et periculoſiſſima inflammatio haud raro naſcitur. Nolim hic interdictum omni uſui Opii, ſaltem moneo, ut perpendatur, id nequaquam facere ad inflammationes ſanandas, ſi ſimplex earum ingenium ſpectetur, niſi criſpaturam ſtaſeos quandoque cauſam mitigando. VS, clyſmata, epithemata, balnea emollientiſſima, oleoſa, emulſiva, nitrata, hic palmaria ſunt pharmaca; citoque eadem in uſum trahenda ſunt; iisdemque, ſi dolor urgeat, ſaltem Opium interpolari aut ſubjungi debet, in ſananda inflammatione veſicæ membranaceæ, ut in æque ſenſibilium membranoſorum inteſtinorum inflammatione. Equidem Cl. HOFFMANNVS[m]) inſtar axiomatis practici notari vult, in inflammationibus nervoſarum et membranoſarum partium, ut inflammatione inteſtinorum et veſicæ, etc. nil pernicioſius eſſe et quod tam facile ad mortem perducere queat, quam remedium opiatum. Dedit huic præcepto evulgando occaſionem fœmina 40 annorum, plethorica, menſibus obſtructis laborans, poſt neglectam ſuetam ſanguinis miſſionem, ſpaſmo veſicæ cum inflammatione adfecta et poſt Opiatorum uſum mortua ex ſphacelo. Sed in hujus medicatione, quod probe notari velim, medicus turpiter neglexerat VSem et omnia alia remedia, ſolo Opio contentus, quod ſanguinem ad affectam partem copioſius determinarat; quod vero aliis præmiſſis et jugiter continuatis præmiſſum, interjectum, ſubjunctum, non ſaltem nil nocuiſſet, ſed ſtricturas placando morbum tolerabilem magis et certius ſanabilem effeciſſet.

m) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. ſect. II. c. 9. obſ. 4.*

Ab inflammatione veſicæ nec necante, nec reſoluta, inſequitur quandoque abſceſſus et exulceratio, quæ tamen et aliunde ſuos ducere natales poteſt, chronicis doloroſis incommodis anſam ſuppeditans. [n]) Egena hic palliatio eſt ab Opio, licet id trochiſcos alkekengi et de charabe, qui in ejusmodi vitiis a practicis collaudari ſolent, ingrediatur. Ulcus detergere et mundare, acreque pus nervoſas fibras lancinans et rodens eluere, ſaltem expedit. Spadanas mire laudat Henricus ab HEERS [o]) et TULPIUS, [p]) atque ego inſiſtens eorum veſtigiis laudabilem effectum, ut aliquoties, ita præcipue ſat notabilem in mercatore e noſtris obſervavi. Facile has aquas ſoterias, maxime cum lacte potas, quod in omni diæta adhibere expedit, præfero viſcoſis, gummoſis, gelatinoſis, mucilaginoſis, pulverulentisque ſiccantibus omnibus, quæ hic ab autoribus commendantur. Nil enim horum efficiet urinam medicatam, nil horum ſecernendum in renibus urinoſum laticem ingreditur, adeoque nil eorum cum eadem alluit ſuperficiem ulceris, eidemque immediate applicatur. Inſuper exiguus valde eſt vaſorum arterioſorum veſicæ propriorum numerus, ut circuli lege talia deponi poſſe in locum affectum aliquis ſperaret. Non me fugit, balſama exotica pretioſiora, ut noſtra terebinthina, a qua non niſi fragrante odore differunt, aſſumta ore, urinæ conciliare violaceum odorem, adeoque ſic conſtare luculenter, quod eorum viribus imbuantur cum ſanguine liquores omnes ex eo ſecernendi, ad excrementitios uſque. Talis vero balſamica urina, ſi tantum elogium ipſi imponere licuerit, non ſine fructu indeſinenter applicari videtur loco ulceroſo. At cavendum tamen eſt, ne nimio uſu accendatur calor, diureſique aucta humores acriores redditi determinentur nimis ad affectam partem, ſtimuloque eminentiore dolor intendatur. Præſtat leni et longo uſu balſamorum, iisque melle et vitello ovorum ſubactis et mitigatis, liquidisque noſtris intimius miſcibilibus redditis, ſana-

n) *vide Diſſertationem halenſem de exulceratione veſicæ.*

o) *Spadacr. Cap. IX. p. 83.*

p) *Obſ. 53. lib. II.*

tionem aggredi totumque humorum oceanum imbuere medicamentoſis et balſamicis atomis. Ab electuario, quod mannam, tamarindorum pulpam et rheum habebat, pulchros ego ſucceſſus vidi. Si vero unquam, hic certe prodeſſe poſſunt injectiones demulcentes, detergentes, leniter balſamicæ, in ipſam veſicam, utpote quæ quamproxime in eam integrisque ſuis viribus agunt; ſi ſaltem caute et prudenter fiant, ſuperatoque prius ſtrictiore interdum ſphinctere veſicæ collum occludente, per catheterem leni manu immiſſum, dein per eum ſiphonis ope, ipſa injectio inſtituatur. Imitationem mereri omnino videtur felix ulceris veſicæ ſanatio, a BOERHAAVIO mercurialis remedii ope datoque veſperi anodyno impetrata, quam data opera Cl. KOCH deſcripſit. Magna vero prudentia opus; forte etiam methodus illa, qua luem curandam docuit Ill. VAN SWIETEN in deplorato malo, etiam ab illa non oriundo, prodeſſet interdum, caute adhibita.

Ut vero veſicæ exulceratio, ita et ſcirrhus ejus et calloſitas ſpaſmum et dolores diu quandoque fovere poteſt, emollientibus omnibus intus et extus admotis, ipſisque balneis naturalibus et artificialibus unice levandum.

Hæc de cauſis in cavo et ſubſtantia veſicæ hoſpitantibus; ſed et illæ aliunde poſſunt ad eam deferri. Frigus externum ad abdomen admiſſum non raro ſuſcitat ſpaſmum veſicæ, ſatis moleſtum, ut aliquoties vidi; ſed liquidis calidis, emollientibus, cataplaſmatibus talibus, clyſteribus, balneis, cito ſæpe ſuperabilem; neque tum oberit exhibuiſſe tantillum Opii, ſub juſto regimine, humores ad exteriora determinaturum, ſtricturasque pacaturum feliciter.

Nonnunquam cereviſia novella, fæculenta, et vinum ſub fermentatione epotum, ſtrangurioſam mictionem et ſpaſmum doloroſum inducunt, antizymoticis expugnandum et clyſmatibus, fotibusque emollientibus; neque tum abſonum erit, Opium ſimul in uſum vocaviſſe.

Pur-

Purgantia quoque draſtica, acrimonia ſua irritante in inteſtinum rectum decumbente, teneſmum excitant, qui ut in dyſenteria ad adjacentem veſicam propagatur. Superatur clyſmatibus oleoſis, oleoque et lacte intus dato. Eadem quoque remedia omnium optima, ubi a cantharidum interna vel externa adhibitione veſica ſtricturas dolorificas experitur.

De ulcere veſicæ in eadem genito dixi antea; viſa vero quoque ſunt exempla, ubi pus, quod exedere totum renem ſine ſingulari moleſtia poteſt, in veſicam depluens ibidemque moras nectens et acrius factum, eam rodendo et excoriando exquiſitos ſatis dolores produxit. Obſervavi tales in generoſiſſimo viro 75 annos nato, qui turbidam inſtar ſeri lactis fœtentiſſimamque urinam diris adeo nixubus reddebat, ut ab iis, et teneſmo recti ſimul moto, duplici herniæ ſcrotali ligamine non bene coercendæ, qua laborabat, quævis infauſta plus ſimplici vice metuerem. Larga ſatis quantitas puris ſubſidens in urina emiſſa, quanquam ſymptomata veſicam affectam eſſe docerent, non patiebatur ejus proventum ab ea ſola imaginari, ſed generari ejus maximam partem in rene, et cum eo veſicam laborare vitio, probabile erat. Acerbam prognoſin de tabe renali et veſicali in ſenili macilentoque corpore expectanda formans, victum vegetabilem et lacteum præcipue ſuadebam. Largiter quoque ſumebat æger lac ebutyratum, potumque Thée cum lacte et melle, ac emulſiones ſeminum frigidorum, papaveris et amygdalarum. Præter hæc præſidia pilulas ex ſucco liquiritiæ, extracto myrrhæ gummoſo, et pauxillo terebinthinæ ad grana 10 ter vel quater per diem capiebat. His jugiter et ſtrenue per 3 menſes actis, de qua re quidem vix per ſomnium cogitaſſem, ſanabatur in integrum, et per 7 vel 8 annos, quos adhuc vivendo abſumebat, nil incommodi in emittenda urina ſentiebat. Ego vero confiſus ſucceſſui, paulo poſt aviam maternam 68 ætatis annum agen-

agentem, in ſimili ſed leviore malo, iisdem pharmacis perſanabam, in utroque caſu nullo Opio utens, ſed dolores, ſi urgerent, oleo amygdalarum cum vitello ovi et ſyr. de alth. invicem remiſtis demulcens. Multo vero durior, quin truculentus plane erat morbus, illuſtriſſimæ cujusdam comitis, mihique ipſi inſonti tædioſus et ærumnoſus, quem lectorum venia paulo exactius deſcribam. Illa juncea, pallida, debilis, ſummeque et corpore et animo ſenſibilis, per menſes vexata fuerat crebro mingendi deſiderio et teneſmo veſicæ, malumque hoc utut ſatis moleſtum, qua de cauſa neſcio, ſine medico in conſilium vocato tulerat. Vocabar tandem ego, cum cardialgicis et colicis doloribus diætæ vitio contractis ægra vexaretur. Dedi ob habitum corporis tenerrimum, ad primas vias repurgandas, emulſionem mannatam, ſine ullo addito ſale. Dum forte adſum ad ventrem exonerandum ſollicitatæ, queritur de intolerabili dolore et teneſmo, ſub excretione lotii. Non conciliare poteram mannam, tantopere in veſicæ et renum vitiis medicis clariſſimis laudatam, et immanem ſpaſmum veſicæ. Quia interrogata ſe, ex quo hoc malo vexata fuerat, nunquam nauſea et vomitione adfectam fuiſſe reſpondebat, nil nephritici ſubeſſe intelligebam. Altera die deſideratam urinam adſpiciens, non ſine ſtupore eam ſanguine ſaturatiſſime tinctam, ſubſidensque in fundo vitri ſpiſſum atrumve cruorem, cum larga ſatis copia puris, animadverto. Aderant et furfures ac filamenta, ut in veſicæ ſcabie; vix vero credere poteram, tantam ſanguinis tabique putridi quantitatem ſuppeditare ſolam veſicam, ſed alias ſimul partes læſas conjiciebam. Aliquando urina reddebatur nullo imbuta ſanguine, ſemper tamen ſubſidebat pus; redeunte autem ſanguine, in veſica formabantur concrementa fibroſa, polypos uterinos mentientes, atque cum indicibilibus cruciatubus et ejulatubus excernebantur. Hæcque miſerabilis ſcena aliquoties per vices ludebatur. Interdixi ſtatim uſui vini, acrium omnium,

quin et carnium. Dedi pro potu ordinario ſelteranas cum lacte; infuſum radicis altheæ, fol. malvæ et fl. hyperici, lacte remixtum melleque edulcorandum, crebrius aſſumendum conſului; tum et emulſiones ſaturatiſſimas amygdalarum et ſeminum frigidorum; interdum exhibui mannam et oleum amygdalinum cum vitello ovi ſubactum; pilulis quoque ex ſucco liquir. gumm. arabico ſuccoque catechu et rheo, ſingulis bihoriis vel trihoriis ad grana decem capiendis, infuſum prædictum ſuperbibendum volui. In victu laudavi lac cum amygdalis tritis emulctum, nec non cum avena, hordeo, oryza, coctum, aut cum placentulis ex farina tritici, vitellis ovorum et butyro arte coquinaria ita paratis, ut leviſſimæ eſſent et facillime digeri poſſent, butyrumque non ſalitum pani ſimilagineo illitum ut ederetur, conceſſi. Omnibus tamen his in tertiam ſeptimanam actis, licet etiam foris applicaretur ſpongia, aqua florum ſambuci et lacte tepido madida, genitalibusque eroſis inderetur mucilago ſeminum cydoniorum, cum aqua fl. roſ. et lacte parata, quin et ob ardorem perpetuum unguentum nutritum: impetrare tamen haud poteram, ut non ſubinde dolores ad ſummam rabiem increſcerent, Opiatumque maxime pro nocturna quiete impetranda ſibi depoſcerent. Ego, cum patientiam meam ſatis fatigaſſet et pene exhauſiſſet, atque ſanationem temporis ſpatio a me determinando quaſi extorquere laboraſſet inconſtantis valde animi fœmina, facile prævidens malum et diuturnum fore et feralem exitum habiturum, enixe petii, ut alius doctrina præſtantior medicus in conſilium vocaretur. Acceſſit; neſciebam vero, cur omnia hactenus a me adhibita ſeponenda, iisque præferendum duceret primo lac cum aqua ſimplici coctum, deinde ſerum lactis cum cremore tartari præparatum; cur a lenibus farinoſis avena, oryza, hordeo prorſus abſtinendum, ob irritationem metuendam injungeret, panem ſimilagineum cum lacte pro victu interim concedens. Judicent lectores! Avida ar-

ripie-

ripiebat ægra novum conſilium, a meo niſi fallor vix differens, atque quod mirum, poſtquam tria pocula parvula lactis et aquæ ſimplicis eduxerat, portentoſum ſeſe effectum ſentire prætendebat, mihique ruditer inſultare incipiebat. Simplici hoc apparatu medicinali contenta vivere juſſa, ſaltem interdum clyſma emolliens cum melle ad alvi pigritiem ſuperandam applicari faciebat, et foris pubis regioni decoctum ſpecierum emollientium, cum aqua et lacte paratum, ſpongiæ beneficio admovebat. Bona fortuna ægræ, ſed in meum opprobrium, parcior reddebatur puris excretio cum urina, et cruor pene cum filamentis et furfuribus per aliquot dies aberat, atque eapropter lenius adfligentes dolores Opium ſibi haud depoſcebant, quod et, quia ejus vitium alvum occludendi gnaviter confeſſus eram, clyſmataque crebra pro ea iterum reſeranda diſplicebant, ulterius capere detrectabat. Tanto igitur magis mihi omnem culpam cruciatuum, quos antea perpeſſa erat, imprudenter tribuebat, atque pœnitentia ducebatur, quod in meas manus incidiſſet, inque novum medicum me inſuper habito omnem fiduciam collocabat. Petebam interim, libenter dimiſſus ad aliquot dies, rus, ut animi tranquillitati parumper conſulerem, urina ante meum diſceſſum non ſaltem verum tabum purulentum exhibente, ſed et ſanguine iterum tingi incipiente. Rediens dein in urbem, audio me abſente urinam inter intolerabiles dolores penitus fuiſſe ſuppreſſam, opusque fuiſſe, ut cathetere in uſum vocato concrementa polypoſa veſicæ collum obturantia arte removerentur. Fluxiſſe tum quidem urinam, ſed febrilem pulſum et dolores ſummos indicium præbuiſſe inflammationis veſicæ, hincque quatuor VSibus, emulſione nitrata, oleo amygdalino et topicis emollientibus, quin et anodynis ſingulis 4 horis exhibitis pugnatum fuiſſe. Audio ad lectulum appropinquans ejulatus horribiles, mente interim haud ſibi conſtante. Pergunt clamores inarticulati, gemitus, jectigationes, inquies ſumma

per

per ſex dies, animo nunquam ſibi præſente, donec miſerrima mors finem tragœdiæ faceret.

Non reticere inter cauſas aliunde ad veſicam delatas debeo ſerum acre ſcorbuticum, arthriticum, podagricum, quod non raro aut non exterminatum ad corporis ambitum, aut retropulſum atque in veſicæ membranas depoſitum, doloroſum et ſpaſmo interceptum mictum ingenerat, ut mirum ſit, Cl. MVSGRAVE de arthritide anomala commentantem, et mala, quæ diverſis viſceribus incumbens ciet, data opera deſcribentem, veſicæ penitus fuiſſe oblitum. Una hic indicatio eſt, ut extrorſum ablegetur materies per vim vitæ remediis incitatam, et regimine juſto ſimul injuncto loca dolere ſueta relaxentur, atque ſic ipſi excipiendæ idonea reddantur. Decocta leniter aromatica calide epota, remedia volatilia et paulo calidiora, toties in analogis caſibus juvant; hic ſaltem cavendum, ne nimis acri ingenio diureſin moveant, veſicamque magis irritent. At Opium ſpaſmos placans, circulum intendens, diaphoreſin movens, pulchre ſæpe hic convenit, ſi individuali ægri conditioni rite ut decet accommodetur.

Supereſt, ut cauſas potiores expendam, quæ in vicinis partibus ſedem nactæ veſicam in conſenſum trahunt. Refero huc ſtricturas hypochondriacas, in partibus ſenſibilibus abdominis dominantes, atque ſpaſmos hyſtericos. In utroque caſu, irritatione ad veſicam propagata, Opio opus eſt, quod vel ſola nimis exacerbata hypochondriaca et hyſterica pathemata prudenter exhiberi poſtulant. Puerperæ, quarto poſt partum die de ſubſiſtente urina, tenſione abdominis et dolore acuto conqueſtæ, dedit Antonius de HEIDE [q]) miſturam cum laudano opiato, qua ſomnolenta evaſit, et tribus vel quatuor horis poſtea urinam ex voto excrevit. Similesque proſperos effectus, in caſibus ſimilibus, me plus ſimplici vice animadvertiſſe recordor. Maxime vero ad cauſas, quas loquor, pertinet uterus ſanguinem non emittens,

q) *Obſ. 31.*

tens ſed in vaſa veſicæ determinans, uterus gravidus eam comprimens, inflammatus eam irritans, exulceratus eam rodens; inteſtinum rectum hæmorrhoidalem ſanguinem veſicæ vaſis intrudens, teneſmo a purgantibus acribus vel acrimonia dyſenterica affectum, nervos veſicales ſollicitans, fiſtuloſo ulcere exeſum eosdem lancinans; proſtrata cum tota urethra tabo venereo infecta collum veſicæ ſimul inquinans. Sed omnes hi morbi ſic nati indigent ſua propria medela, quam hic ut tradam inſtitutum meum non patitur, ad quam vero Opium raro et, ubi aliquis ei locus eſt, palliativo reſpectu ſaltem quadrat. Ad cauſas autem externas ſpaſmi veſicæ, veluti ad contuſionem, multo minus hoc remedium ſpectat.

§. XXV.

A doloribus partium internarum, confero me tandem ad illos, qui in externis reſident, eosdemque arthriticos et rhevmaticos dictos. Apud veteres equidem *rhevmatiſmi* vocabulum nullibi legitur; namque illi omnes dolores, in artubus totoque ambitu externi corporis obvios, *arthritidis* nomine ſalutabant. Superiori autem demum ſeculo, ut rectiſſime animadvertit Illuſtr. HOFFMANNVS,[a]) doctiſſimi quidam medici Galli PISO, RIVERIVS, BALLONIVS, CHESNAU, rhevmatiſmi vocem in medicinam practicam demum introduxerunt. *) Primus vero hujus vocabuli inventor fuit BALLONIVS, qui et de rhevmatiſmo peculiarem librum conſcripſit. Hos ſecutus laudatus modo Cl. HOFFMANNVS, ut confuſio diverſorum affectuum evitaretur, rhevmatiſmi ſedem in omnibus muſculis eorumque mem-

Rhevmatiſmus.

a) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. II. c. 8. p. 426.*

*) Ita ſtatueram, optimo præceptori HOFFMANNO fidem habens, neque veteres quoad hoc argumentum curatius evolvens; me autem et tacite etiam præceptorem notavit Ill. van SWIETEN, *Tom. V. Comment. cap. de rhevmatiſmo*, et antiquis uſurpatum jam fuiſſe rhevmatiſmi vocabulum probare laboravit. Id interea cognitioni morbi et curationi ejus nullum adeo magnum commodum adfert.

membranis et tendinibus, locisque adeo mediis inter articulos, arthritidis autem in ipſis articulis et juncturis oſſium, ligamentisque horum tendineis et nervoſis cum perioſteo cohærentibus, collocandam eſſe, docuit; quod ipſum et aſſeruit præceptorem ſuum ſecutus Cl. SCHVLZIVS. [b]) Idem inter alios paucos ante HOFFMANNVM fecerat Cl. BERGER, in diſſertatione docta *de rhevmatiſmo.* [c]) STAHLIVS quoque cum aſſeclis et inter eos JVNCKERO [d]) hanc diſtinctionem ſuam fecit. At enim vero, ſi dicendum quod res eſt, fuere tamen et ſunt ad hunc diem, qui ad eandem non ita ſtricte arthritidem et rhevmatiſmum revocant, ſed potius ratione ſedis rhevmatiſmum latius extendunt, ad ipſa arthritidis ſtabilita per aliorum legem territoria; quin et de ſymptomatibus, rhevmatiſmum comitantibus, non eadem modernis omnibus medicis mens eſt. Ipſe certe RIVERIVS, [e]) quem inter eos, qui diſtinctionem utriusque morbi ſtabiliendam eſſe rati ſunt, nominat HOFFMANNVS, in arthritide equidem ſolos articulos dolere ſcribit; at eos in rhevmatiſmo non excludit, ſaltemque dicit, in rhevmatiſmo non ſolos articulos dolere, ſed etiam media inter articulos ſpatia, muſculos, membranas, perioſteum, totiusque corporis habitum. Non minus LISTERVS [f]) in rhevmatiſmo non articulos tantum, ſed et media inter articulos ſpatia, dolere aſſerit. Tandem CHESNAU, [g]) *in primo inſultu difficile eſt internoſcere,* ait, *utrum morbus rhevmatiſmus vel arthritis dici debeat. Rhevmatiſmus enim, qui* (attendamus dicto) *tantum articulos aggreditur, maximam habet affinitatem cum arthritide, nec niſi temporis progreſſu agnoſcitur, cum pluries irruunt in articulos fluxiones dolorificæ, quod non fit in rhevmatiſmo, qui quandoque toto vitæ decurſu ſemel tantum infeſtat; generalis præcipue dictus, utpote qui aliis magis proprie nomen hoc ſibi vindicat.* Inter Anglos medicos SYDENHAM [h]) in rhevmatiſmo morbi ſedem, artus, carpos, humeros, genua, memo-

b) *Diſſ. de Rhevmatiſmo* §. 3.

c) §. 4.

d) *in Tab. pag. mihi* 152.

e) *Operum in fol. p.* 419. *init.*

f) *Exercit. de Arthritide, initio.*

g) *Obſ. p.* 428.

h) *Operum p.* 344. 345.

morans, protuberantias adeo nodoſas in articulis ipſis, ut in arthritide, aliquando ſupereſſe ægris, refert. RIDLEY deinde morbum graviſſimum, manifeſte in omnibus pene articulis reſidentem, deſcribit [i]) ſub nomine *rhevmatiſmi*; recentiſſimusque ſcriptor, Cl. PRINGLE, [k]) rhevmatiſmum pertractans, de dolentibus articulis ubique loquitur. Inter Batavos Illuſtris BOERHAAVIVS, [l]) de muſculis, eorumque membranis ne verbulum proferens, rhevmatiſmum depingit dolorem, ipſas juncturas quorumcunque artuum obſidentem, atque in ipſo articulo, quod SYDENHAM jam annotaverat, vitium, anchyloſin, aliquando relinquentem. Similiter de GORTER [m]) de nullis locis niſi articulis loquens ſaltem majoribus magis, quam minoribus, infeſtum rhevmatiſmum eſſe dicit. Quin quod memorabile eſt, HOFFMANNVS, [n]) quaſi antea dictorum oblitus, cap. *de dolore arthritico vero et inveterato* arthritidem recentem, inveteratæ contradiſtinguendam, rhevmatiſmi ſimplicis ſpeciem eſſe afferit.

i) *Obſ. VI.*

k) *p. 171. edit. Germ.*

l) *Aph. 1492.*

m) *Pr. med. Syſt. Tom. I. lib. III. c. 138.*

n) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. II. c. XI. §. 1.*

Atque hæc de ſede rhevmatiſmi, quæ manifeſte ab illuſtribus medicis in articulis ponitur, non in ſpatiis intermediis articulorum ſaltem. Videamus nunc, quæ de ſymptomatibus varia habent auctores optimi, et primo de febre. RIVERIVS [o]) febrem utplurimum quidem adeſſe, ſed eam perexiguam, imo vero nullam dicit, quanquam deinde rhevmatiſmum cum febre incipientem acerbiorem eſſe afferat. Prorſus vero ipſi contrariatur CHESNAU, qui rhevmatiſmum præcipue univerſalem ſemper febrem continuam, varias exacerbationes habentem, concitare, illum autem, qui non ita univerſalis eſt, interdum febre vacare, ſcribit, prout humor vel calidus eſt vel frigidus. [p]) Ipſe ego interim atrociſſimo rhevmatiſmo particulari in humero et ſcapula vexatus, quem nemo non calidum dixiſſet, cum perpetuum ſenſum ardoris comitem haberet, tamen, quod quidem mirabar, nulla febre ſimul adficiebar. Talis

o) *Operum p. 419 et 420.*

p) *Obſ. p. 428.*

vero SYDENHAMO[q]) judice potius arthritis dici mereretur, quia vir clariſſimus rhevmatiſmum eatenus ab arthritide ſejungi affirmat, quod hæc ſit ſine febre. Quicquid ſit, de hac ſaltem notari debet, quod laudato SYDENHAMO obſervante rhevmaticus dolor eam cum omnibus ſymptomatibus ſuis acutis ſemper præcedat. Idem docet BERGER[r]) et RIDLEY,[s]) qui demum poſt ſecundam VSem in ægro ſuo violentiſſimam febrem obortam memorat. Cæterum BOERHAAVIVS et de GORTER, non minus ac PRINGLE, diſerte febris continuæ mentionem faciunt.

q) *Operum p.* 344.

r) §. 3.

s) *Obſervat. cit.*

Miſſa febre pauca adhuc dicam de tumore et rubore locorum dolentium. Scribit RIVERIVS[t]) experientia conſtare, in rhevmatiſmo nullum tumorem, nullam inflammationem, nullam coloris mutationem, in partibus dolentibus ut plurimum apparere. Nil etiam de tumore memorant omnes, qui de muſculis ſolis ut ſede rhevmatiſmi loquuntur. Sed his et RIVERIO contradicunt multi graviſſimi viri. SYDENHAM[u]) ruborem et tumorem partis ſymptomatibus annumerat. BERGER[x]) tumores in aliis magis, in aliis minus, eſſe conſpicuos dicit. RIDLEY[y]) notat articulorum omnium rigorem et intumeſcentiam ac juncturarum inflammationes. BOERHAAVE citat tumorem et rubedinem loci. De GORTER[z]) habet partis affectæ levem intumeſcentiam et interdum aliquam rubedinem. PRINGLIVS[a]) etiam, in completo et pertinaci rhevmatiſmo articulos ſenſibiliter fuiſſe tumidos et inflammatos, aſſerit, quamvis et aliquando annotaverit, febres rhevmaticas ſine tumore ægros adflixiſſe.

t) *p.* 419.

u) *p.* 344.

x) §. 13.

y) *Obſervat. p.* 23. 24.

z) *Pr. Med. Syſt. Tom. I. p.* 94

a) *p.* 171.

Ex his omnibus, quæ elocutus ſum hactenus, dilucide opinor apparet, multos celebratiſſimorum auctorum, licet etiam accuratius diſtinguendum cenſeant inter arthritidem et rhevmatiſmum, tamen ſæpe promiſcue hæc nomina ſumere. Atque quemadmodum facilis eſt rhevmatiſmi et arthritidis ſocietas et metaſchematiſmus, ſæpeque in arte obſerva-

ſervabilis, ita etiam, ut inter multos alios profiteri non dubitat CHESNAU, [b]) origo et proxima cauſa rhevmatiſmi et arthritidis inter ſe non differunt, quamvis ille a cauſis externis occaſionalibus, ſudoribus refrigeratis, peregrinationibus ſub dio, per frigora et nives, iracundia, comeſſationibus, plerumque invitetur, cum huic ingenerandæ cauſæ internæ ſufficiant. b) *p. 429.*

§. XXVI.

Hæc ita præfari debui, ut melius intelligerentur, quæ tradere meditor in ſequentibus. Quando autem nunc illum morbum conſidero, qui ætate florentes, vegetos et ſanguine plenos, ob vitium in diæta commiſſum, maxime ob corpus æſtuans et ſudans frigori ſubitaneo expoſitum, adoritur; qui plures partes externas ſimul ipſosque adeo articulos exquiſitiſſimo dolore mulctat, atque cum vel ſine tumore et rubore, plerumque autem cum his, eosdem afficit; qui ordinarie febre continua ſtipatur; quemque tandem SYDENHAM, BERGER, BOERHAAVIVS, RIDLEY, PRINGLE, titulo rhevmatiſmi deſcribunt: quæſtio mihi movetur pragmatica, an et ſub quibus conditionibus Opium levando illi inſerviat? Culpam morbi omnem poſt alios BERGERVS [a]) tribuit colluviei ſeroſæ, in humorum oceano accumulatæ, vaſorum cavis non amplius coercendæ, atque concitatiori cordis pulſu inſtar fluvii, ſeſe alveo efferentis, in ipſam partium ſubſtantiam exundanti. Neque ſane male; nam ſi omnia phænomena morbi rite expendantur, et cauſæ, per quas ſubito ſæpe is exoritur, v. g. refrigeratio poſt exæſtuationem corporis, dextre conſiderentur, peccare videntur humores ſtagnatione et quiete in arteriis anguſtis et minutis muſculorum, cutis et involucrorum articulos cingentium, aucto ſimul liberiorum a ſtaſi liquidorum flumine et impetu ad loca affecta, in quo duplici momento idea inflammationis abſolvitur. Hæc interim haud contingit in arteriis primi generis, neque ſtaſis videtur accide-

Rhevmatiſmus univerſalis febrilis.

a) *§. 9.*

re ſanguini rubro in vaſis ſecundi generis, ſed vere ſerum ſtagnat in ſuis arteriis, vel arteriis tertii generis intruſum, ibidem figitur; namque nulla unquam ſuppuratio aut gangræna in loco illo enata eſt, ubi vel rhevmatiſmus vel arthritis ſedem ſuam nacta fuerat, ſed rigor ſaltem et immobilitas interdum remanet. Eapropter Illuſtr. BOERHAAVIVS cauſam dicit eſſe inflammationem lymphaticam, non tam ſævam, ut abeat in ſuppurationem. Interim nihilominus jam SYDENHAMVS [b]) talem univerſalem rhevmatiſmum ad inflammatorios morbos pertinere ratus eſt, cum ſanguis VSe eductus pleuritico ita ſit ſimilis, ac ovum ovo; quod ipſum inter alios RIDLEY, PRINGLE atque de GORTER [c]) et de morbi ingenio eloquuntur, et in ſanguine emiſſo obſervarunt. Iamque adeo RIVERIVS [d]) diſpoſitionem inflammatoriam ex ſeri fervore oriundam accuſat. Nunc cum hæc ſtaſis ſeri talis phlogiſtici, quod inflammatoria cruſta adeſſe docet, et urgens a tergo liquidum in vaſis, diſtenſione villorum nervoſorum ſummum dolorem concitet, qui inſuper per hebdomades integras nocte dieque durare poteſt, urgeri ab eodem mirum quantum primo intuitu videtur pacans Opium. Valde interea notabile eſt, medicos fautores hujus remedii ſummos id prohibere penitus in hoc affectu, oſores maximos STAHLIANOS tamen permittere, neſcio an documento evidente, hos nec bene intellexiſſe morbum, nec actionem remedii. Sane urgente neceſſitate MP. de cynogl. ſuadet JVNCKERVS, [e]) quamquam alibi ab Opiatis dehortetur. Verum et Cl. HOFFMANNVS, qui Opium agens cognitum habuit, morbique ingenium graphice deſcripſit, immaniter urgentibus doloribus ac aliis remediis haud ſufficientibus, pilulas Wildeg., Starkey, de Styr., et laudanum opiatum laudat; addit tamen, talia remedia in his affectubus non temere uſurpanda eſſe, quæ potius eosdem contumaciores reddant. [f]) RIVERIVS et CHESNAU nec laudant nec vituperant

Opium,

b) *Operum p. 316.*

c) *Pr. Med. Syſt. Tom. I. lib. III. c. 138. §. 7.*

d) *Operum p. 419.*

e) *p. 157 et 108.*

f) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 447. 448.*

Opium, de eodem tacentes penitus, ejus tamen mentionem injecturi ſine dubio, ſi prodeſſe credidiſſent. SYDENHAMVS [g]) autem, qui alioquin toties utitur ſuo laudano, tamen per omnem hujus morbi decurſum, utut ſæviat dolor, religioſe ſibi ab anodynis temperandum eſſe, ſe exiſtimare profitetur, cum illorum uſu figatur morbus, eademque in ejus ſtatu illam, quam titulo pollicentur ἀναλγησίαν, haud valeant præſtare. Peſſime etiam neque ſine damno in ejusmodi rhevmatiſmo Opiata propinari contendit BERGER. [h]) Cl. RIDLEY, largus alibi in porrigendo Opio, in graviſſimo illo rhevmatiſmo, quem *obſ. 6.* deſcribit, aliquod levamen a paregoricis extortum ſaltem commemorat, dum interim ſpes omnis in ſanguinis miſſione collocanda erat. Illuſtrem BOERHAAVIVM [i]) quod attinet, ille quidem concedit narcoticum veſpertinum, ſed non niſi ad impetum purgationis antiphlogiſticæ ſedandum, atque expreſſis verbis poſtea diſcriminis mentionem facit, in quod præcipitat præmatura narcoticorum exhibitio; alibique [k]) narcotica morbum figere dicit et efficere, ut medicus præſentiam ejus et indolem dignoſcere non poſſit. Præceptorem hunc ſuum ſecutus Ill. de GORTER [l]) poſt purgans antiphlogiſticum veſperi narcoticum exhibet; monet vero, ne a narcoticis cura incipiatur, quæ ad annos aliquot morbum figant. Atque eandem ſententiam fovet PRINGLE: [m]) BALLONIVS, inquiens, *meminit remediorum narcoticorum, nil vero dicit de modo et tempore, quando conveniant.* SYDENHAM *ea rejicit prorſus et jure quidem, ut ego obſervavi.* Tandem et reticendus a me non eſt Celeb. YOUNG, [*]) qui in rhevmatiſmo calido, febrili, anodyna penitus rejicit, cum facile horum uſu in chronicum abeat; atque ne quidem circa finem ea permittit. Hi graviſſimi viri omnes dum abeſſe volunt Opium: magnum omnino ex illorum concordibus ſententiis damnatoriis argumentum naſcitur, experientia re-

g) *p. 347. 348.*

h) *§. 16.*

i) *Aph. 1493. et 1495.*

k) *in Commentario ad aph. 1495.*

l) *Comp. med. Tom. I. p. 51. 56. et Pr. Med. Syſt. Tom. I. p. 96. § 8.*

m) *edit. germ. p. 172.*

*) *cap. XVIII.*

 petita

petita conſtare, illud nunquam fructuoſum in hoc morbi genere exſtitiſſe.

Sed et ipſius morbi ingenii et actionis Opii in corpus conſideratio idem eluceſcere facit. Scilicet ſi ad inflammationes pertinet ille, quem hactenus locutus ſum, univerſalis rhevmatiſmus, Opium, per ſuperius demonſtrata inflammationi ſanandæ non conveniens ipſi, ſine dubio rhevmatiſmo tali etiam ſanando haud conveniet. Sane ſi illud fere ordinarie non quadrat tum, quando apprime quadrat VS, YOUNGIO *) teſte, multo minus quadrabit, ubi repetita VSe opus eſt et ubi unica fere ſalus ægri in repetitione ejus fundatur. VSem autem repetitam practici optime rhevmatiſmum deſcribentes ſine exceptione laudant omnes, BALLONIVS, CHESNAU, RIVERIVS, SYDENHAM, BERGER, BOERHAAVIVS, HOFFMANNVS, RIDLEY, MEAD, PRINGLE et alii, reiterandamque tam diu volunt, donec febris et doloris ferocia mitigetur. Neque deſunt exempla rhevmatiſmorum ſummis doloribus ſtipatorum, quos VSes repetitæ ſolæ ſanarunt. Accuratius interim perpendiſſe hic juvat monitum SYDENHAMI, [n]) quater vicibus repetitam VSem rhevmatiſmo ſanando fere ſufficere, paregorica vero huic curationi immiſta effuſiorem ſanguinis miſſionem poſtulare, efficereque ut morbus non tam facile cedat VSi. Id SYDENHAMVS aſſerere potuit ex experientia; ſed ejus ætiologiam explicat ſapiens theoria. Namque VSi, plethoram, calorem et expanſionem motumque projectilem ſanguinis minuenti, vere contrariatur ſanguinem exæſtuans, rarefaciens, fortiusque in circulum abripiens Opium, frequentiamque pulſus VSe minutam denuo reſuſcitat. Ideoque medicus rhevmatiſmum VSe et Opio curaturus ſibi ipſi repugnat, et morbum citius curandum ſemper procraſtinat, tantum ei ſemper per Opium addendo incrementi, quantum detraxerat per VSem. At vero non ſaltem lentam magis ſanationem effici, ſi Opium VSi jungatur,

*) *cap. 39.*

n) *p. 347.*

tur, ſed et, quo magis illud in medela crebrius adhibetur quam VS, eo magis figi malum, torporemque et immobilitatem membri relinqui, ex ipſa natura agentis Opii demonſtrari poteſt. Scripſit BOERHAAVIUS, [o]) Opium in rhevmatiſmo, ut omnia calida remedia, inflammationem augere et partes exſiccare. Ponamus, ut de hac re convincamur, VSem aut non, aut inſufficienter adminiſtrari, atque remedia purgantia et alia, quæ partim demunt de corpore colluviei viſcidæ quantitatem, partim eam attenuant, negligi aut non liberaliter adhiberi, dato interim frequentius Opio. Non poteſt igitur non quantitate et qualitate peccans atque idem manens ſerum, creſcente vi circuli, intrudi pertinacius minutiſſimis arteriolis, et dum calor febrilis Opio adjutus liquidiſſima diſſipat, viſcidius reddi, atque cum lateribus vaſorum concreſcere. Patet igitur, infauſtum exitum rhevmatiſmi non reſoluti, in quem ſuppuratio et gangræna non cadit, ſcilicet rigorem partium earumque quaſi ſcirrheſcentiam, Opium multum juvare poſſe. Sed et ex alio capite hoc facit, dum ſudores movet atque liquidiſſima humorum diſſipat. Licet enim ſtagnantium diſcuſſio, tranſpiratione et ſudore motis, diaphoretico Opio obtineri poſſe videretur, nimis tamen viſcida illa ſunt, nimis attenuationi reſiſtunt, quam ut cribro cutaneo excerni poſſent; ſudoremque nunquam utilem fuiſſe, in calido ejusmodi rhevmatiſmo, articulis tumore inflammatorio affectis, pulchre annotavit PRINGLE. [p]) Supereſt ut monſtrem, Opium, quod intempeſtive exhibitum rhevmatiſmum non ſaltem facile longiorem et pertinaciorem reddit, ſed et quandoque cum certo ſanari potuiſſet inſanabilem, eum interdum prorſus lethiferum facere. Summum periculum imminere ægro notat BOERHAAVIUS, [q]) ſi rhevmatiſmus cerebro vel pulmoni incubuerit; atque ad illud diſcrimen, in quod præcipitat ex ejus animadverſione præmatura *narcoticorum* exhibitio, hoc primo loco referendum eſt, quod facile ejus decubitui ad

o) *in Comment. ad aph. 1495.*

p) *p. 171.*

q) *Aph. 1495.*

 hæc

hæc viſcera Opium occaſionem ſuppeditare queat, quia ſua indole turgidos redditos et commotos humores eo determinat, maxime ſi antea jam ex morbo turgeſcant vaſorumque capacitatem copia excedant, unde in minutiſſimis canaliculis cerebrinis et pulmonicis facile fixi ſubſiſtunt. Unum adhuc momentum conſiderandum ſupereſt. Variis locis antea in hoc libro largitus ſum, licet tum, quando febris eſt cauſa doloris, Opium locum habere nequeat, id tamen quandoque indicari et admitti omnino, ſi dolor ſit cauſa febris. Enim vero ex hiſtoria rhevmatiſmi conficitur, ut et ex SYDENHAMO, BERGERO et RIDLEY in antecedentibus retuli, dolorem notabili temporis ſpatio præcedere febrem; quare dolore cito magna vi anodynorum ſopito, febrem efficaciter præſcindi poſſe, videri poterat. Sed perpendi debet, plenitudinem humorum lentorum et non perſpirantium, tendentem et gravantem vaſa, febre nondum præſente dolorem excludere; hanc ergo doloris cauſam dum Opium non tollit, ſenſui obtundendo parum proderit, quod dolore ſine materia vel a tenui materia oriundo, febrem progenerante, ſaltem exhibetur congrue. Atque ex his niſi omnia me fallunt abunde jam conſtat, febrili calido univerſali rhevmatiſmo hoc remedii genus prorſus non conducere.

§. XXVII.

Auctoris methodus. Ego SYDENHAMVM ab initio praxeos adeo ſæpe ducem ſecutus, feliciter preſſi ejus veſtigia, quoties ejusmodi morbum tractandum habui. Interim a noſtratibus haud ſemper impetrans, ut ter et quater, nedum ſæpius, vena ſecaretur, præmiſſa ea ſemel, bis et rarius ter, exhibui purgantia antiphlogiſtica, ſaponacea, mannata, ſalina, quæ non minus SYDENHAMO [a]) in uſu fuerunt. Induxi ita ægro lenem diarrhœam ad aliquot dies, eaque et V.Sibus febre multum mitigata, ne nocturna quies interturbaretur, alvum et dolorem compoſui leniori anodyno, alteraque die denuo mite

a) p. 405.

te

te catharticum exhibui, cum anodyno veſpertino, tenuiſſimamque diætam ſimul injunxi. Atque hac via non raro victas manus mihi dediſſe morbum, multa licet vehementia invadentem, lætatus ſum, qua et inceſſit noſter olim Cl. PREVSSIVS. [b]) Nunquam vero paregoricum exhibui ante largiores evacuationes, his et attenuantibus, ſolventibusque, omnia deberi expertus. Aliquando etiam, ubi cum tenerioribus et ſenſibilioribus ægris res erat, una VSe, uno purgante antiphlogiſtico præmiſſis, ſerum lactis adhibui per dies bene multos; quo ſolo, dum VSem repetitam vires nimis frangere et aliis morbis corpus obnoxium reddere dicit SYDENHAMVS, [c]) æque rhevmatiſmum profligari idem auctor aſſerit. Alio tempore decoctum avenaceum Loweri, aut acidulas ſelteranas, vel noſtras Veteraquenſes obtuli, cum pauco lacte, ab omnibus Opiatis abſtinens. Solo ſero lactis, dum ipſe acerbiſſimis rhevmatiſmi doloribus excruciaretur, per 12 dies referente Celeb. van SWIETEN [d]) vixit BOERHAAVIVS; alioque ſine dubio tempore idem mali genus perpeſſus, memorante id in oratione funebri doctiſſimo SHVLTENS, tenue jus carnium ſuccosque recens preſſos ſaponaceos ſaltem aſſumſit. De Opio nil legitur.

b) *Hiſt. morb. Vrat. 1702. p. 173.*

c) *p. 409.*

d) *Tom. I. p. 552.*

§. XXVIII.

Rhevmatiſmus particularis.

Hæc de febrili et tum plerumque univerſali rhevmatiſmo. Jam de illa ſpecie paucula eloquar, ubi una pars ſaltem corporis externi dolore afficitur. In hoc caſu æger eſt vel plethoricus, robuſtus, calidus, tumque febris adeſſe poteſt, quanquam abſit plerumque aut levior obſervetur; vel æger eſt cacochymicus, cachecticus, frigidus, tumque febris ordinarie nulla, ſed potius torpor circuli. Prior rhevmatiſmus calidus, poſterior frigidus dici meretur. In priori ſi febris abſit vel valde levis obſervetur atque non requirere videatur VSem, ſaltem eam requirit humorum plenitudo, repetendamque vult aliquando; deinde ordinarie

pur-

purgantia antiphlogiſtica, una cum ſaponaceis et mollientibus juvant. Interdum et abluitio cum tepida addito aceti pauxillo juvat; at pertinax malum etiam non raro paulo magis energetica topica flagitat, quæ impacta minutiſſimis canaliculis liquida efficacius diſcutiant. Laborabam ipſe ego anni 1756 initio horribili rhevmatiſmo, humerum et ſcapulam ſiniſtri lateris occupante, a ſuppreſſa ſæpius inter viſitationes ægrorum perſpiratione, dum corpus toties modo conclavibus calefactis, modo frigori, nebulis, ventis, periculoſa ſanitati viciſſitudine, exponere cogebar. Aberat in totum febris, ardebat interim cum humero ſcapula, ac ſi carbonibus adureretur, eryſipelaceumque ruborem ex ſenſu adeſſe conjiciebam, cujus nullum veſtigium aderat. Extendebatur moleſtiſſimus dolor ad muſculos pectoris, et pleuritidem ſpuriam ſimul inducebat. Secabatur vena et largiter extrahebatur ſanguis, nullam cruſtam exhibens, ſine ullo levamine. Sumebam rob ſambuci cum ſale de Seignette doſibus repetitis; aperiebatur alvus ſine fructu. Ablui faciebam partes aqua tepida cum lacte, tandem et tepidæ ſalem ammoniacum addebam, ſed laterem lavabam. Ingerebam lac cum aqua coctum, ſerum ejus, emulſiones oleoſas, dolore pertinaciter nihilominus per 4 dies urgente. Nil ſperans ab Opio, impetrare a me nequibam, ut ad illud refugerem; ſed confici additione ceræ et terebinthinæ faciebam emplaſtrum ex contuſo ſemine ſinapi in aceto fortiſſimo macerato, eoque impoſito brevi eryſipelaceus rubor et dolor in exterioribus, quem antea adeſſe falſo exiſtimaveram, vere movebatur, atque intus ſæviens rhevmatiſmus feliciter abigebatur.

Rhevmatiſmum frigidum et pituitoſum quod jam attinet, in eo quidem omiſſa vel præmiſſa ſi opus, ad imminuendam lentoris copiam et ingreſſum faciliorem remediis parandum, quin et reiterata VSe, purgationes ex jalappa, lignum guajacum, mercurius et ſapo facile palmaria ſunt reme-

remedia, aliisque a tot auctoribus laudatis ex lumbricis, ariſtolochia, valeriana, bardana, lignis radicibusque variis, ſuperiora. Ligno guajaco et cortici Winterano ſoli debentur vires illius electuarii antirhevmatici, Anglis laudati; [a]) cum cinnabaris ſive nativa ſive antimonii, quidquid ſibi fingant medici, nequidem ſanguinem intret, et in eum ut validum diſſolvens mercuriale agere nequeat, quod olim ego ſat luculenter, [b]) atque paucis abhinc annis Cel. HVNDERTMARCK [c]) eleganter et docte demonſtravit. Multoties vidi poſt Celeb. olim apud nos KLAVNIGIVM, [d]) decoctum ſaturatiſſimum ligni et corticis guajaci, ad libram ſemis mane et veſperi tepide hauſtum, rhevmatiſmum exſtirpaſſe. Poſt electuarium e ſcammonio et mercurium dulcem, tincturam guajacinam volatilem vel balſamum guajacinum omnibus anteponit MEAD. [e]) Gummi guajacum cum vitello ovi ſolutum, purgandi etiam fine, et mercurium dulcem collaudare non oblitus eſt PRINGLE, [f]) ex commendatione Cl. CLERC ſaponis veneti largas doſes ad diſſolvendam pituitam vitream in hoc morbo multum valere ſimul aſſerens. Docet rerum uſus, hæc omnia potenter lentorem rhevmaticum attenuare et perſpirabilem reddere, ſed cavendum ab iis ſollicite, ſi febris et inflammatorii aliquid ſubſit. Opium ad rhombum ne hilum prodeſt. Eadem autem methodus, quæ frigido et pituitoſo rhevmatiſmo prodeſt, utilis etiam eſt ad inveteratum, maxime ſi ſimul in auxilium vocetur veſicatorium parti dolenti impoſitum, et ſanata plaga bis ter repetitum, utpote quod quamproxime in lentum obſtruens agit.

a) *vide Nucleum medicinæ ex Anglico verſum p. 35. Mead, quod mirum, etiam cinnabarim antimonii habet p. 130. in Monitis.*

b) *in Præfatione examinis remediorum terreſtrium.*

c) *libro ſingulari de Mercurio.*

d) *Noſoc. Charit. obſ. XX.*

e) *Monit. Med. p. 132.*

f) *p. 173. ſeq.*

§. XXIX.

Dolor iſchiadicus.

Nullus autem affectus arthritico-rhevmaticus tantam ſæpe crucem figit et ægrotis et medico, quam dirum illud et tremendum malum iſchiadicum. In eo quamvis intenſiſſimi cruciatus clamare videantur uſum Opii, hoc tamen, maxime ſine VSe et purgantibus, remediisque diluentibus

 et

et ſolventibus præmiſſis et junctis, exhibitum, nocet potius quam juvat, ac ſummis adeo doſibus morbum non expugnat. Dederat junior medicus ægro eodem vexato pilulas opiatas, cum apparente levamine, ſed dolor rediit æque gravis; augebat ſenſim doſes Opii crudi, eum ſemper palliantes, ad unum ſcrupulum uſque, ſingulis diebus. Sed quando æger abſtinebat ab Opio, flammæ cruciatuum ſemper reſuſcitabantur.[a]) Hic ſane cauſa (ſtagnans nempe circa coxam immeabile liquidum) ſemper manſit intacta, et ſopitus ſaltem ad tempus fuit ſenſus; illa vero ut decet impugnata, ſi omnem patientiam hic ſuperet, veſperi interdum indulgeri anodynum poteſt ſine damno, ut aliquæ induciæ præſtentur. Ita quidem videtur! Nonne autem hic omnia valebunt, quæ antea in tractatione de rhevmatiſmo de damnoſo Opii uſu expoſui? Memoratu digniſſimum eſt, Ill. de HAEN Tom. IV. in eximia doctrina elaborato capite de *Coxario morbo*, dum remedia ordine recenſet, quæ ab omni ævo illi fuere oppoſita, *) ſectionem, uſtionem, cucurbitas et veſicantia, VSes, purgantia et clyſmata, fomenta, frictiones, thermas, fonticulos, ſuccos herbarum, Opiatorum ne verbulo quidem mentionem facere. Paradoxum autem videri poterat ignaris, ſed ſciunt experti, optimum anodynum hic eſſe dolorem novum loco dolenti inferens veſicatorium, quo ſæpe prior feliciter fugatur. Tanto autem magis matura illius adminiſtratio laudari debet, quo magis et morbus ſic ſanatur et ſiniſtræ ejus ſequelæ abarcentur. Notavit jam HIPPOCRATES:[b]) *Diuturno coxendicis morbo vexatis coxam excidere, crus contabeſcere et eos claudicare, niſi uſti fuerint.* Atque ad eum et imitatorem ejus CELSVM reſpiciens MEAD,[c]) candentibus ferramentis tribus aut quatuor locis ſuper coxam exulcerata cute, nullam medicinam efficaciorem fore, dicit; utcunque enim terreret ignis adſpectus, tamen breviori cum dolore, quam infert medicamentum cauſticum, rem peragi poſſe credit.

Per-

a) *Eph. Nat. Cur. Dec. III. Ao. III. obſ. 49.*

*) *p. 148-161.*

b) *lib. VI. Aph. 60.*

c) *Monit. med. p. 131.*

Perpetuo elogio a medicis et chirurgis concelebrari debet animoſus ille apud TVLPIVM [d]) juvenis, qui admotum coxæ ignitum ferrum non curſim, ſed lenta manu, mira conſtantia et patientia pertulit, ne perpetim torqueretur a tam immani carnifice, a quo ipſum ex toto crudelis hæc medicina vindicavit. Hæc methodus ſi nimis crudelis videatur delicatulo noſtro ſeculo, ſaltem potentiale cauterium applicuiſſe juvabit. Veſicatoria in iſchiade raro aut nunquam fruſtra applicari expertus eſt RIDLINVS; [e]) contumacem dolorem iis ſublatum recenſet SCVLTETVS; [f]) ſemperque ea juvare ſolere LENTILIVS [g]) affirmat, addens remota omni culpa a medico: ſi nolit æger, ſibi habeat! Quin Illuſtris BOERHAAVIVS, [h]) ſi cauterium actuale vel veſicans fuiſſet ſemper adhibitum, ut decet, ex centum ægris, qui nunc claudicant, ne unum fuiſſe claudicaturum ſpondet. Imo vero, ut refert de HAEN, [*]) tanti hoc fecit vir ſummus, ut ſæpius dixerit diſcipulis, ſi vellet arcanum quoddam vendere, id fore tectas et ſub alia ſpecie occultatas cantharides in iſchiadicis. Ipſe autem HAENIVS innumeros eſſe affirmat, quos in noſocomio ab annoſioribus hiſce ærumnis percuraverit. Cataplaſma de ſinapi ſemine et farina avenæ cum aceto confectum, iſchiadicis admotum, partem calefacturum, irritaturum et veſicis interdum excitatis noxiam materiem perſpirabilem redditurum, laudari video a medicis Anglis. [i]) Miror ergo, Cl. MEAD [k]) veſicatoria tantopere ab aliis laudata, meoque proprio teſtimonio magni facienda et ſinapiſmis ſine dubio efficaciora, pro remediis non multum juvantibus declarare, cum humor moleſtus altius membranis os circumcingentibus infixus hæreat, atque epithema volatile et emplaſtrum ex pice, addita euphorbii octava parte cum terebinthina veneta, efficacius habere. Euphorbium certe acerrimum eſt concretum gummoſo-reſinoſum, ſed nihilo potentius id habeo acerrimo et cauſtico ſtimulo pollentibus cantharidibus, neque pro-

d) *lib. III. c. 26.*

e) *Lin. med. Anno 1695. Jun. obſ. 21.*

f) *Obſ. 73.*

g) *Miſcell. med. I. p. 286.*

h) *in Comment. ad Aph. 1494.*

*) *pag. 152.*

i) *in Nucleo medicinæ, Germ. p. 23.*

k) *Monit. med. p. 139.*

profundius illud ſeſe in corpus inſinuaturum credo quam has, quas adeo mictu ſanguineo proritato altius in ejus penetralia intrare ſatis conſtat. De ſetaceo et fonticulis a MEADIO laudatis, quibusque nil derogo, jam fuſius agere prohibeor.

Sed et alium malum præter claudicationem ope anodyni veſicatorii averti poteſt, de quo raro cogitant practici. Scilicet interdum poſt ingentem dolorem iſchiadicum abſceſſus naſcitur circa coxam. Hoc infortunium in *Eupolemo* jam notavit HIPPOCRATES,[l]) cui non obſtante adhibita VSe cum purgante, ſuppuratio ad coxam et commiſſuram nata eſt, ex qua per magnitudinem et multitudinem ulcerum, ac corporis debilitatem, fuit mortuus. Tranſit in talem in ſuppurationem frequentem eſſe dicit PISO. Eundem recenſet RIVERIVS,[m]) qui aperto abſceſſu ulcus ſordidum ad tabem perducens remanere memorat, ſimulque notat PARACELSVM, de cura illius per decoctum ligni ſancti et ſarſæ gloriantem. Sanatum interim a medico, abſceſſum ſubeſſe mature ſuſpicato, virum quendam, pluribus ad ſanandam iſchiadem antea fruſtra tentatis, habet CHESNAU,[n]) facta nempe ſectione, qua via patula dabatur puri valde fœtido. Eadem fortuna aviſa eſt fœmina illa apud TVLPIVM,[o]) quæ, a partu hæmorrhagia uteri exhauſta omnibus viribus, incidit in adeo excarnificantem per tres menſes coxæ dolorem, ut ſitum vix mutare poſſet, ſed formato abſceſſu immenſam copiam puris effundente, macie licet tota confecta ægra, tamen ad plenariam ſanitatem rediit. Prorſus talem morbidam ſcenam luſam, ſed finitam quoque inter gaudia, vidi ab uxore ſpectabilis inter noſtros mercatoris ante paucos annos. Poſt polyporum uterinorum ſub enormi hæmorrhagia excluſionem, acuta febre corripiebatur, mala metaſtaſi in malum iſchiadicum terminata. Id inter variorum remediorum uſum pertinaciter perdurabat, atque tandem febrem lentam, totiusque cor-

l) *Popul. V.* §. 3.

m) *de cognoſc. morbis lib. III. et lib. XVI. c. II. in fine.*

n) *Obſerv. p. 427.*

o) *lib. III. Obſ. c. 25.*

corporis contabeſcentiam poſt ſe trahebat, ægraque brevi orbi videbatur valedictura. Suaſeram mature veſicatorium, renuebant autem cum marito chirurgi, balneaque cum lacte emollientia omnisque generis emplaſtra et ſpiritus adhibebant. Cum omnia conclamata eſſent, ægraque dolorum furiis ac febre ad oſſulentam maciem redacta jaceret, mollis in femore tumor monſtrabat adeſſe pus. Huic poſtquam ſatis ampla ſectione, quam in *Eupolemo* ſuo haud ſufficienter factam fuiſſe ægre fert HIPPOCRATES, liber ſatis exitus conciliatus eſſet, in inſtanti febris cum omnibus ſuis ſymptomatibus remittebat, appetitus cum ſomno redibat, atque ſub lactea potiſſimum diæta ulcus feliciter repurgabatur, citoque ſatis nova carne impletum claudebatur. Hic certe, cum nondum mihi innotuiſſet cautela practica Ill. de HAEN *) quoad ampliorem aperturam, quam chirurgus urgebat, peccaveram, nil tamen mali ſed multum boni potius inde expertus. HAENIVS quippe aperturam quidem, ut materies interiora peſſundans foras alliciatur expurgarique locus poſſit, fieri vult, ſed parvam, quia aer multum accedens citiore corruptione accelerare mortem ſoleat, hinc et raram et cautam deligationem ſuadet. Forte interdum major apertura, ſine qua ſæpe lenta mors inevitabilis, pro circumſtantiarum differentia abſolute requiritur, quin et adeo ſectio repetita. Utinam mihi licuiſſet eſſe adeo beato in curatione ſororis, quæ ſupererat unicæ, ac apud ægram modo commemoratam fueram! Verum eheu illam, ex ſimili malo per multos menſes ineffabiles ærumnas perpeſſam, luctuoſo fato tandem ereptam ad hunc diem acerbe doleo. Notavit Cl. REIMANNVS, p) fœminis uterum geſtantibus præ viris tranſitum rhevmatiſmi coxendicum in abſceſſum familiarem eſſe, atque aſſertum ſuum ſuppeditato caſu ſpeciali confirmat, cujus proh dolor veritatem abunde didici. Miſera ſoror, gravida, de doloribus iſchiadicis querebatur, ſed talibus, qui geſtationis tem-

*) *Tom. III. p. 197. et T. IV. p. 135.*

p) *Ephem. N. C. Cent. IX. et X. obſ. 79.*

pore ultimisque menſibus per communes obſervationes familiares ſunt a mole uteri, et preſſione ac tenſione vicinarum partium. Inſuper autem ex lapſu in ſcala lumborum contuſionem perpeſſa fuerat, quæ me penitus latebat, cujusque damna forte cita VSe abigi potuiſſent. Poſt partum autem admodum laborioſum reſtitans et pene increſcens in puerperio, lochiis rite fluentibus, dolor efficiebat, ut ſerio de ejus cauſa cogitarem. Quamvis vero non ignarus eſſem tranſitus iſchiadis in abſceſſum, nullum tamen latens pus ob ſui et loci craſſitudinem, ut HIPPOCRATES q) loquitur, ſui ſignum exhibebat. Suſpicari interim me faciebat mali diuturnitas ejus præſentiam, cumque locus, quem ſollicite inſpici et cum altero comparari volebam, aliquanto tumidior apppareret et poſt cataplaſmata emollientia applicata vere eminentior et mollior redderetur, conſtabat facile, me non falli. Tum vero eousque animi fraterni teneritudinem extendere nolebam, ac aviti extenſam memineram a chirurgo noſtrate, qui neptis femur, me pus abditum per integumenta palpabile a longo coxæ dolore genitum eidem monſtrante, incidere recuſabat; ſed ocyus ad ſcalpelli beneficium confugiendum eſſe autor eram. Effluebat mira puris bene cocti quantitas, at nihilominus, licet omnes ſinus, quos latens aliquamdiu ulcus formaverat, ſollicite inciderentur, oſſique carioſo ſua remedia admoverentur, febris hectica accedebat, humorumque omnium commeatu in tabum purulentum converſo, nil lactea diæta, nil uſus peruviani corticis auxilii adferebat, (quam tamen methodum in phtiſi iſchiadica ſananda ſalubrem expertus eſt de HAEN Tom. III. pag. 199. et Tom. IV. pag. 161.) ſed ob reſorptum pus phthiſi pulmonali confecta tandem, meliorem vitam anhelantem inter mille ſuſpiria animam, aphthoſo ore exſpirabat.

q) *Lib. VI. aph. 41.*

Verum nimis forte extra oleas vagatus redeo ad veſicatorium, quo non ſaltem dolor optime mitigatur, ſed et,

ſi

ſi ſat cito applicetur, intus hærens materies extrorſum allicitur, antequam nimia copia collecta in ipſis vicinis arteriis rubris preſſis ſtagnationibus anſam det, inflammationique ſimul et abſceſſui, hac methodo egregie præveniendo et præcavendo. Tumque omnino, doloroſa licet therapia, multæ doloroſæ ſenſationes nullæ Opio pacandæ tempeſtive avertuntur. Sed tamen plus ac quidem hactenus valere illud fecit Cl. CHEYNE [r]) in nova methodo, quam tanquam infallibilem ad ſanandos coxarum dolores proponit. Exhiberi ſcilicet jubet drachmas duas, tres, quatuor, olei ætherei terebinthinæ cum melle mane ad 4, 6, 8 dies, ſuperbibendo largam copiam ſeri lactis. Veſperi autem opiatas pilulas matth.; ad morbi reliquias tollendas flores ſulphuris laudat. Ac ſic certam medelam, ab oleo terebinthinæ tamen præcipue, ſua penetrabilitate in minimorum vaſculorum receſſus penetrare, obſtructiones eorum aperire, glutenque lentum perſpirabile reddere apto, promittit. Experiantur hanc artem medici, quæ, ſi ſemper juvat, parum niſi ſenſus ad tempus conſopitionem Opio debet.

His de iſchiade excuſſis, non opus eſt, ut de rhevmatiſmo ſcorbutico et venereo multa eloquar, namque uterque non niſi principis morbi ſanatione ſuperatur. Taceo quoque dolores artuum periodicos, quos aliis irritis præeunte mihi Illuſtr. de HELWICH [s]) aliquoties, præmiſſis præmittendis, ſanavi cortice peruviano, qui et eo fine a Cl. GRIMMIO [t]) ex 22 annorum experientia laudatur. Non minus confiſus ſum experientiæ Celeb. MORTONI, [u]) qui hemicraniam periodicam, dolores artuum periodicos et febrem intermittentem, rhevmatiſmi univerſalis larva indutam, cortice profligavit, cujus præbiis in ultimo caſu laudani quasdam guttulas adjecit, a quo tamen, ſpiritibus animalibus plus ab eo, ut loquitur, quam a fermento febrili depreſſis, ægrum hebetem et quadantenus attonitum per tres dies manſiſſe recenſet, quem deinceps recidivam rhevmatiſmi

r) *in additamentis ad Act. Edinburg. Vol. VI. No. I. p. 164. edit. germ.*

s) *Hiſt. morb. Vrat. 1700. p. 63.*

t) *M. N. C. Cent. III. et IV. obſ. 63.*

u) *Operum Tom. II. Exercit. I. c. IV. p. 47. c. IX. p. 110. et hiſt. 22. p. 141. edit. Amſtel.*

tiſſimi ſui periodici perpeſſum VSe et ſolo cortice brevi ſanavit. Illum vero rhevmatiſmum, quem poſt SYDENHAMVM x) ex febre, vel proprio motu, vel naturæ ope, vel repetito corticis uſu curata, obſervavit Ill. WERLHOFIVS, y) abigere hoc afferente ſolet empl. de hyoſcyamo dolenti parti admotum, non omiſſo intus cortice.

x) *p. 351. et 376.*

y) *de febr. p. 98.*

§. XXX.

Arthritis.

A rhevmatiſmo progredior ad arthritidem veram, nulla febre aut ſaltem haud continua ſtipatam, a pollice pedis fere incipientem, repetitis vicibus per intervalla, vernoque præcipue et autumnali tempore, quos ſemel prehendit affligentem, uni loco pertinacius inſidentem, huncque ipſum iterum iterumque impetentem, ab internis magis quam externis cauſis naſcentem, hisque omnibus a rhevmatiſmo ſeſe diſtinguentem. Ejus ingenium verum ab HIPPOCRATIS ævo multiplici ratione ſibi et aliis proponere ſoliti ſunt medici. HIPPOCRATES ipſe arthritidem et ejus ſpecies cum podagra a bile et pituita deduxit. a) Poſt eum GALENVS, AETIVS, ALEXANDER reliquique Græcorum, deinde PARACELSVS, HELMONTIVS, FERNELIVS, SYLVIVS, PECHLINVS et Chemiſtæ cauſam in ſanguine, ſero, bile, pituita, vitio laborantibus atque in tartarea ſulphureaque humorum craſi ac ſalibus omnis generis poſuerunt, de ſolidis vix cogitatum eſt. Neque recentiori tempore defuerunt, qui horum nævos inquirere obliti ſaltem de fluidorum præternaturali conſtitutione cogitarunt, atque cum SYLVIO ſuccum pancreaticum acidum, cum WILLISIO ſuccum nerveum acidum, cum Clopton HAVERS ſynoriam acido-auſteram vituperarunt, vel in humoribus cum Joh. COLBATCH b) et Michaele PINELLI, c) et qui hunc ſequitur Cl. LOBB, d) alcalinum ſal vel fixum vel volatile, aut mediæ inter utrumque indolis, Nathanaelem LACY e) ſequentes quæſiverunt. Qui triſtem occaſionem, in proprio corpore ediſcendi arthritidis ingenium, diu nactus fuerat,

a) *de affectionibus §. 31. 32.*

b) *A treatiſe of the Gout Londini 1697.*

c) *Nuovo ſiſtema dell' origine o principio della Podagra Rom. 1734.*

d) *Tr. de diſſolventibus calculos ac curatione calculi et podagræ.*

e) *de Podagra Venet. 1692.*

fuerat, podagricus SYDENHAMVS,[f]) labefactatas ſuccorum univerſi corporis coctiones, ſed et ſpirituum animalium defectum, ſive ſolidorum debilitates ſubeſſe didicit. Poſtea Cl. HOFFMANNVS,[g]) in fluidis ſal tartareum, cum mucilagine glandularum quæ articulos inungit congrediens, et ut in ſolidis omnibus invalidam conformationem, ita quoque in articulorum tunicis et ligamentis tonicum robur deſtructum, peccare apud arthriticos, exiſtimavit. Sed nemo elegantius hujus morbi theoriam docuit Illuſtr. BOERHAAVIO.[h]) Hic quidem culpam indigeſtioni viſcerum defert, quæ omnino eorum laxitatem involvit, cauſam vero proximam mali ponit in vaſculis ultimis nervoſis, nimis anguſtis et rigidis, liquidoque eorum acrimonia et majore tenacitate laborante ex coctionum et ultimæ potiſſimum vitio. Atque his ejus principiis nituntur certe omnia, quæ deinceps clariſſimi viri docte et ſolide de hoc argumento commentati ſunt, quos inter neminem novi, qui, poſt Cliftonum WINTRINGHAM[i]) Boerhaaviana veſtigia prementem, elegantius et accuratius de eo egerit, quam Petrus DESAULT[k]) in doctiſſima diſſertatione de podagra. In ea probat, morbum hunc pendere a denſitate cutis et rigiditate canaliculorum ejus minutiſſimorum, materiamque, quæ illum immediate producat, nullam aliam eſſe, quam retentum perſpirabile. Vix aliter ſentit Georgius CHEYNE,[l]) quando omnem diſpoſitionem ad hanc ægritudinem collocat in anguſtia et rigiditate minimorum vaſculorum, ſtagnationibus crudorum viſcidorum ac ſalibus tartareis refertorum humorum anſam dante, ut non perſpirent; hinc ſenioribus ſubjectis rigeſcentibus malum familiare eſſe, fœminas molliores, laxioribus et impetu cedentibus vaſculis præditas, immunes ab eo præſtari, aſſerit. His neſcio an meliora dixerit recentiſſimus ſcriptor Cl. LIGER,[m]) primus Facultatis Pariſienſis medicus, in edito Pariſiis 1753 de hac materia tractatu. Hic cauſam eſſe arbitratur abundantiam lymphæ vi-

f) *Operum p. 557. 558.*

g) *Med. Syſt. Tom IV. Part. II. Sect. II. cap. XI. p. 508. 509. et ſeq.*

h) *Aph. 1262. 1263. 1265.*

i) *in libro de podagra, Eboraci et Londini 1714 edito.*

k) *Diſſertation ſur la Goutte et la methode de la guerir radicalement: Paris 1738.*

l) *in Diſquiſ. de vera indole et medela podagræ in uſum Equitis Richardi Tenniſon, quæ habetur in Additamentis ad Acta Edinburg. Vol. VI. No. I.*

m) *Traité de la Goutte, dans lequel après avoir fait connoitre les vraies cauſes de cette maladie, on indique les moyens les plus ſurs,*

pour la bien traiter, et guerir radicalement.

viſcidæ, a continuato uſu ciborum potuumque plurimum mucilaginis continentium oriundæ, a qua natura ſeſe per depurationis ſpeciem liberare conetur. [n]) Simul vero laudatus auctor omne acidum, omnia ſalia cum tartaro excludit, unam mucilaginem abundantem ſufficere ratus, quam oberrantem antea in humoribus non rite propulſam coire in maſſas majores, ac ob ſpiſſitudinem tandem hærere in extremitatibus vaſorum circa articulos, ob nimis parvam eorum diametrum, aſſerit. Certum eſſe videtur, vaſorum minutiſſimorum exhalantium in corporis ambitu functioni læſæ, ob eorum rigiditatem et occalleſcentiam, forte tamen et quandoque ob laxam debilitatem et minutam actionem in liquida perſpiratione eliminanda, maximam culpæ partem deberi in arthritide, peccare tamen et ſimul viſcoſitate et acrimonia ipſa liquida. Valde ſemetipſum et alios fefellit Cl. STAHLIVS, quando cum ſuis ſectatoribus podagram ſine ſale ſibi imaginatus eſt hancque pathologiam ſalſam ſalſe riſit, uni plethoræ et ſpiſſitudini ſanguinis, ſolisque moliminibus hæmorrhoidalibus omnia tribuens. Errant vero etiam multum, qui in omnibus ægris arthriticis, in quibus valde diverſa craſis morbidorum humorum, per diverſas cauſas et vel ob unam differentem victus rationem, ſupponenda eſt, unam eandemque illam ſibi fingunt, ad ſolam viſciditatem, ad ſolum acre unius ejusdemque generis reſpicientes. Sane in aliis viſcidum ſolum ſed diverſo tenacitatis gradu, in aliis acre ſed diverſi iterum et ſibi prorſus oppoſiti ingenii, in aliis viſcido admiſtum acre, cauſam proximam mali conſtituere poteſt, quod in praxi probe conſideraviſſe multum intereſt. Cur vero talis materies perſpirationi inepta deponatur certo tempore ad articulos, et pedum maxime, facile intelligitur. Sunt enim hæc loca aeris injuriis maxime expoſita, motuque et exercitiis corporis duritiem et aliquam calloſitatem perſpirationi liberæ adverſam contrahunt, atque quod primo loco notari debebat, a

n) *p.* 62.

cerebro et corde omnium ſunt remotiſſima. Sedem primariam ipſius doloris ad noſtrum ævum recentiſſimi adhuc ſcriptores, cumque iis Cl. BOERHAAVE,[o]) MEAD[p]) et HOFFMANN,[q]) poſuerunt in ipſis articulorum vinculis et tendinibus muſculorum, in membranis ac ligamentis nerveo-tendinoſis, oſſa cingentibus et in ſuis ſedibus retinentibus et firmantibus, quin et in ipſo perioſteo; hasque partes omnes a ſero viſcido acrive gravari, lancinari, divelli, diſtrahi ad rupturam uſque, ſicque affectas in mente ſenſum triſtem doloris excitare, ſtatuunt. Verum experimentorum multitudine et conſenſu convictus Illuſtr. HALLERVS[r]) ligamenta et capſulas articulorum, in quibus ordinarie ſedes arthritidis et podagræ ſtatuitur, glandulasque haverſianas omni ſenſu carere aſſeruit. Eaque propter immanes podagræ dolores perperam poni in inſenſibili capſula nullis prorſus nervis gaudente, quam potius ob motus perpetui neceſſitatem natura inſenſibilem eſſe voluit, ſed ſedem eorum potius in ipſa cute vel in nervis ſub cute poſitis collocandam eſſe edixit.

o) *Aph. 1254. 1259.*

p) *Monit. med. p. 125.*

q) *Med. Syſt. Tom. IV Part. II. ſect. II. cap. XI. p. 504.*

r) *in Diſſert. de partibus irritabilibus et ſenſibilib. Comment. Acad. Reg. ſcient. Gœtting. Vol. II. inſerta.*

§. XXXI.

Ejus prophylaxis et curatio radicalis.

Vix exprimi verbis poteſt, quam ingens remediorum farrago a medicis et empiricis ab omni tempore excogitata et deprædicata fuerit, ad moleſtiſſimum hoc ægritudinis genus oppugnandum et expugnandum. Quam vero ſi non omnino vana, quod nunquam dixerim, ſaltem quam inſufficientia ſint remedia omnia, vel ſola multitudo eorum monſtrat; quodſi enim unum ſaltem ex innumerabilibus votis et promiſſis reſponderet, omnibus reliquis collaudatis non opus eſſet, neque nova aliquis effingere moliretur, namque id unum ſeſe efferret ſtatim et innoteſceret ubique, ut inter omnia laudata antifebrilia brevi ſeſe extulit et innotuit cortex peruvianus. Huic ſpecifico antifebrili comparandum ſpecificum antarthriticum et antipodagricum, eheu! ingens apparatus medicinalis nondum poſſidet. Radicalem

potius therapiam, quæ etiam a diatheſi ad hunc morbum aliquem liberaret, adhuc in Democriti puteo latere ac naturæ ſinu recondi, profeſſus eſt SYDENHAMVS,[a]) neſciens quando et a quibus in lucem extrahenda ſit. Hactenus certe illa a nemine extracta, parumque adeo ſpei ſibi de inveniendo olim ejusmodi ſpecifico eſſe diſertis verbis teſtatur ipſe etiam podagricus Illuſtr. WERLHOFIVS,[b]) contentus futurus, ſi diæta et apta forte medicina minus ſpecifica incrementum effectumque moleſtum inſuperabilis diatheſeos refrænare licuerit. Atque non ſine ratione Cl. CHEYNE[c]) impoſſibilitatem inventionis tuetur, cum non facile inveniendum ſit pharmacum, quod omnem ſolidorum fabricam in corpore humano transmutet, atque ſalia animalium et vegetabilium nutrimentum homini elargientium deſtruat. Ita autem rebus conſtitutis, neceſſe omnino eſt, ut, poſita definita et maxime a parentibus derivata ſolidorum fabrica humorumque craſi, notante BOERHAAVIO,[d]) podragra ut effectus totius compagis æque ſuo tempore eveniat, ac ſeminis ſecretio in viris. Quando igitur illius liquidi arthritici elaboratio in corpore diſpoſito, et increſcens ſenſim proventus, et ſuis temporibus oboriens turgeſcentia arte præpediri nequit; mora vero illius longior in corpore et decubitus ad internas partes, maximeque vitales, inter adiaphora ſanitatis vitæque reſpectu haud referri poteſt: tantum abeſt, ut emanſio et procraſtinatio paroxyſmorum, quibus id ad ignobiliores externas deponitur, perſpiratione ibi prorſus eliminandum, exoptanda ſit; ut potius, quia a gravioribus malis hominem immunem præſtat, acceſſus eorundem certis periodis, non obſtantibus gravibus moleſtiis, inter beneficia referendus veniat. Non ſane præter rem multis encomiis podagram mactat CARDANVS, atque peculiari diſſertatione corporis conſervatricem ſalutavit PREISLERVS; licet non deſint alii medicorum, qui rabiem et furiam ejus deteſtentur cum DOLAEO, qui eam

PECH-

a) *Operum p. 606.*

b) *Caut. de limit. laudibus et vituperiis morborum et remediorum p. 26.*

c) *l. c. §. 13.*

d) *in Comment. aph. 1269.*

PECHLINO [e]) adſtipulantes morbum tyrannicotatum appellent, atque facientes cum OMICHIO [f]) carnificinam habeant, juncturarumque tartarum e tartaro repetant. Atque ſi hi non omnino falſa loquantur, licebit certe arti prudenter dare operam, modo reliquæ valetudinis integritas et ipſa vita nil inde detrimenti patiatur, ut paroxyſmi et rariores et magis tolerabiles reddantur; quod optime et ſecure fiet, ſi efficiatur, ut materia arthritica, licet ejus geneſis prorſus inhiberi nequeat, ſaltem pauciori copia generetur generatæque excluſio mature juvetur, et nimia ejus coacervatio graviores acceſſus excluſura ſic præpediatur. Negari nequit, dari remedia multorum celebrium practicorum experientiis confirmata, quibus hoc negotium apte committitur; cavendum ſaltem, ne nimiis elogiis, quibus ſat multi auctores boni (medicaſtrorum turbam quippe nil moror!) adamata ſua pharmaca ebuccinant, decipiamur, aut omnia etiam in ſe bona et uſu probata omnibus arthriticis indiscriminatim convenire ſtatuamus, ſed potius limites, quos omnibus ſine exceptione pharmacis antipodagricis ſtatuendos voluit Illuſtr. WERLHOFIVS, nunquam excedamus. Cum podagrica materies naſcatur vitio ultimæ coctionis, vitium autem primæ, nec in ſecunda, nec in tertia, nec in ultima emendetur, quæ digeſtionem alimentorum congruorum in ventriculo juvant et viſcera omnia confortant, jure ſibi primum locum vindicabunt. Ideoque lenia aromatica, incidentia, amara viſceralia adeo bene audiunt, quorum amplum catalogum dedit SYDENHAMVS, interque ea laudem meruit gentiana, ariſtolochia, cortex peruvianus et chalybs. Ad ſordes autem in primis viis collectas, antequam humores contaminarent, eliminandas multis practicorum laudata ſunt cathartica, hermodactyli, purgationes mercuriales et rheum, quin et emetica. Porro ad humores viſcidos attenuandos, et perſpirationi aptos reddendos, acresque demulcendos aqua ſimplex frigida et minerales va-

e) *Obſerv. p. 260.*

f) *in epiſtola ad Timæum, operum hujus p. 721.*

variæ, decocta lignorum, infuſum herbæ Thée aliarumque herbarum leniter aromaticarum et amaricantium, tum et ſalia volatilia; ad cutis canaliculos emolliendos ac pervios præſtandos; balnea et pediluvia a peritis medicis commendantur. Sed et varios in fines terebinthina, medii et alcalini ſales, thermæ carolinæ potatæ, ſapo venetus, lumbrici terreſtres, ſulphur vulgare, antimonium crudum et ex eo præparata, mercurius, VS, hirudines, ſcarifatio, uſtio cum lino crudo et moxa, fonticuli, ut antipodagrica deprædicantur, neque ſine ratione, ſi juſto tempore idoneis ſubjectis accommodentur. Merito vero jam inquirendum venit, num etiam dextre adhibendum Opium horum apparatui inferri debeat. Machinam ſtaticam Sanctorii ſummam directricem et indicem futurorum et faciendorum in podagra vocavit BOERHAAVIVS;[g]) atque laudato SANCTORIO[h]) autore, humores podagricorum, etiamſi craſſiſſimi ſint, tantum per modum vaporis reſolvuntur, conſtantique experientia teſte illa omnia, quæ tranſpirationem impediunt, inexpectatos paroxyſmos invitare et ſæpe ſubito accerſere ſolent. Nonne ergo huic excretioni conſervandæ et promovendæ pulchre inſerviret Opium diapnoicorum et diaphoreticorum ſummum, ſalibusque volatilibus analogum, quæ parva doſi diu aſſumta, mane antequam quis ſurgat, cum largo hauſtu decocti, ad lenem madoris ſudorisque expreſſionem, tantum valere ad prophylaxin dicit BOERHAAVIVS?[i]) Ita amatori remedii videri poſſet, multumque re ipſa ejusmodi cogitatis favent ea, quæ inter veteres de opiata theriaca habet AETIVS.[k]) *Maxime*, inquit, *prodeſt, ſi ſani adhuc podagrici ipſam accipiant, ſuperfluos enim humores expandit et totam corporis miſcelam permutat, multi igitur in principio podagræ per aſſiduum ejus potum perfecte ab affectione ſunt liberati.* Sane ſi id præſtat theriaca, ſique inter recentiores WELSCHIO[l]) judice Opium audire meretur præſervatorium podagræ, vix alio re-

g) *Aph.* 1282.
h) *Sect. I. aph.* 88.
i) *Aph.* 1276.
k) *Tetrab. IV. Serm. I. c.* 96.
l) *Hecat. II. obſ.* 17.

reſpectu hoc elogium tuebitur, quam per cutis cribrum materiem mature difflando. Verum licet hic effectus omnino convenientiſſimus videatur, non tamen dememiniſſe intereſt, Opium alteri ſcopo in prophylaxi podagræ prorſus contrariari, dum vim ventriculi et inteſtinorum periſtalticam infringit et debilitat, atque ita primæ coctioni ſtatim multum obeſt, ſicque vitium reliquis infert. Dignum notatu eſt SYDENHAMO,[m]) qui theriacam Andromachi ex medicamentis vulgo cognitis concoctionibus roborandis præ cæteris conferre dicit, eandem tamen, quia Opio abundat, in podagra pro hoc fine obtinendo diſplicere. Atque certum eſt, omnes podagricos habere, ut aliis etiam morbis laborantes, qui Opium flagitare videntur, a nimio uſu ejus caveant, ne dum ab illis tuti præſtantur podagram ſuam, coctionum debilitate inducta, graviorem efficiant. Nil ergo ad præcavendam et exſtirpandam podagram Opium facit; imo vero nullum ex veris et appropriatis remediis, quorum catalogum retuli, quodcunque demum inde ſeligatur, aliquid laude dignum præſtare aptum eſt, niſi ſimul diætæ ratio habeatur; quin hujus beneficio ſolo, ſine ullo pharmaco, confirmatos podagricos ſummum levamen obtinuiſſe multiplicibus experientiis conſtitit, quod ipſum vel ex ſolo elegantiſſimo tractatu Cl. LOBB *de diſſolventibus calculos, ac curatione calculi et podagræ ope alimentorum* diſci poteſt.

m) *p.* 576.

§. XXXII.

Curatio in paroxyſmo an Opium poſcat? modo affirmatur;

Ubi vero, miſſa prophylaxi et curatione podagræ radicali, ſi datur, ad ſolum paroxyſmum reſpicimus, uſus Opii quammaxime indicari videtur, quando cruciatus immanes urgent, atque dies noctesque pertinacius affligentes omnem requiem, omnem ſomnum abigunt, invicta illa domina dolorum (ut LVCIANO[a]) podagra vocatur) aliis pharmacis placari renuente. Equidem Cl. THOMSONVS,[b]) dum a ſolo rarefacto ſanguine, arterias diſtendente

a) *in* τραγοποδάγρᾳ.

b) *Differt. p.* 123.

et

et nervos adjectos comprimente, vim anodynam Opii deducit, arthriticis doloribus fixis minus id conferre putat, quod nullis arteriis conſpicuis, quin liquido unctuoſo, perioſtia in oſſium articulationibus, ubi labes hoſpitatur, perfuſa ſunt, ni ſaltem ſudore ab Opio conciliato egreſſus labi ſternatur atque hac ſaltem ratione fiat doloris levamen. Verum enim vero alia ratio eſt, qua Opium dolores ſedat, quam per rarefactionem ſanguinis, ut in ſuperioribus monſtravi. [c]) Deinde etiam nullo reſpectu habito ad ſudorem, experientiis convicti tot auctores largiuntur et aſſerunt, Opium vere placare dolores podagricos; quamvis eo vanitatis non facile aliquis peritus medicus progreſſurus ſit, ut cum RHVMELIO (quem nimis abjecte de Opio in podagræ paroxyſmo exhibendo ſentiens eapropter taxat NEVMANNVS;)[d]) pilulis opiatis antipodagricis altum ſonantem titulum, *Surge et ambula*, ſit impoſiturus. Saltem inter practicos in eo lubenter convenientes, quod vere arthriticos dolores leniat Opium, eapropter diſſenſus obſervatur, quod nonnulli id ex hoc ipſo capite omnino commendent, nonnulli autem uſum, quamvis eo ſopiantur dolores, aliis reſpectubus non conferre podagrico ægro affirment. Inter eos, qui anodynis ad coercendos dolores podagricos multum tribuunt, eminet fere uſui Opii in genere inter primos neotericorum patrocinatus HORSTIVS.[e]) Is nempe in articulorum doloribus vehementiſſimis, concurrente fermentatione ſanguinis et affluxu ferventiſſimo partem affligente, nil melius eſſe dicit, quam ebullitionem illam *τάχιστα* ſiſtere. Laudani igitur uſu podagricos ita juvari affirmat, ut inducto ſomno dolores brevi remittant et rarius redeant. Atque licet alioquin varia generoſa remedia damnarit et plane pro internecinis declaraverit GEHEMA,[f]) tamen maximas doſes Opii podagra adflictis exhibendas eſſe pronunciat. Præter hos RIVERIVS[g]) neceſſitate urgente narcotica exhibenda eſſe præcipit, quæ et flu-

c) *Sect. I. c. V. §. 8.*

d) *Lect. de Opio p. 139.*

e) *lib. X. de Pharmac. Obſ. 3.*

f) *in Tractatu vernaculo: Eroberte Gicht.*

g) *Operum p. 412.*

xionem ſiſtant et dolorem atrocem mitigent. Ex his theriacam opportuniſſimam dicit, ſæpeque iterari ad drachmam dimidiam vel integram poſſe ſine periculo; huic vero laudanum opiatum aliaque narcotica non inconvenienter ſubſtitui, ſimul monet. Porro quoque WILLISIVS, [h]) inter affectus dolorificos, quibus Opium ſuccurrit, jure ſibi locum vindicare podagram, notat, hocque anodynum in omnibus doloribus arthriticis opem ſæpe egregiam et pene divinam præſtare, dicit. Non minus WEDELIVS [i]) in podagra, præcipue ſi dolor cauſæ veſtem induat et urgendo ad ſe curationem trahat, ad Opiata confugiendum eſſe vult, ceu ad aſylum. Nominare hic mihi etiam liceat Celeb. RAMAZZINI, [k]) in doloribus podagricis ſingulare beneficium ab Opio haberi aſſerentem, non quod morbi cauſam tollat, ſed quia gravia ſymptomata compeſcat, vigilias ſcilicet et ſpirituum diſſipationem. Et quid multa! Novit BOERHAAVIVS, [l]) qui ob podagram Opium aſſumſerant, quique jurarunt ſe ſtatus illius perpetuitatem omni re quæ ipſis pretioſiſſima eſſet libenter redemturos; adeo ſuave id levamen, quod experti ſunt, ipſis viſum eſt. Id ægris ſuis adferre ſtudentes medici Vratislavienſes, referente de HELWICH, [m]) alvo non obſtructa nec omiſſis humectantibus, quamvis in doſi non magna, anodyna præſcripſerunt; quin notante eodem Cl. Viro fuerunt podagrici inter noſtros, qui, expectandi ſolaminis ab Opio per aliorum et ſuam experientiam jam ſatis gnari, pilulas Wildeganſii etiam ſine medici præſcitu quandoque uſurparunt. Neque ad hunc diem hic loci practici haud exiſtiterunt, qui dolores tortores etiam paulo majoribus Opiatorum præbiis oppugnari bonum et æquum cenſuerunt. Noſter certe olim Celeb. de HAEN, [n]) cum epiſcopo Vratislavienſi, comiti a Sinzendorff, conſultus medicus venetus datas hactenus frequentius in acceſſionibus podagræ pilulas de cynogloſſa ſuſpectas reddidiſſet, omnem lapidem movit, ut innocentiam earundem

h) *Pharmaceut. rat. Part. I. Sect. VII. c. I. p. 184.*

i) *Opiol. p. 126.*

k) *Diſſ. de abuſu Chinæ Operum p. 237.*

l) *Prælect. in inſtit. Tom. VI. §. 856. p. 246.*

m) *Hiſt. morb. Vrat. 1699. p. 20.*

n) *Vide ejus Hiſtoriam podagræ Cardinalis a Sinzendorff p. 18. ſeq.*

dem eminentiſſimo ægro perſuaderet. De uſu ipſe ſic loquitur: *Nos vindicatæ hujus pilularum maſſæ adhibitionem, conſtanti aliquot annorum decurſu, ita comprobavimus in eminentiſſimo principe, ut nullum unquam ſiniſtrum effectum fuerimus experti. Confeſtim altera vel tertia acceſſionis nocte quinque vel ſex grana deglutiebat æger, rariſſime eandem doſin intra unius diei ſpatium repetere coactus. Utplurimum prima pharmaci exhibitione ſigna promoti ad peripheriam impulſus aderant, mador nempe blandus, turgor æqualis, rubor lætus, excedentisque doloris moderamen* etc. *Tantum abeſt, ut cohibuerit unquam juſtum morbi articularis ſucceſſum, ut potius commodam viam ad attingendam eo facilius metam præpararit, fibrarum reſiſtentiam amoliendo, partiumque ſpaſmo criſpatarum niſum refrænendo.*

§. XXXIII.

modo negatur.

Verum enim vero non deſunt tamen, etiam exercitatiſſimi in arte viri, qui non adeo bene de Opii exhibitione ſentiunt in paroxyſmis arthriticis et podagricis. Nil hic dicam de Celeb. STAHLIO,[a]) Opium in cura padagræ ut ſemper in cura damnante, atque ac palliationem etiam temporariam vix admittente, nitroque, tartaro vitriolato et cinnabari plus dante, quam ulli anodyno. Nil referam de ejus ſectatoribus, quos inter Cl. JVNCKERVS,[b]) quamvis in atrocia dolorum correcta anodyna concedat, tamen de contracturis ab uſu eorum relictis, de ſubitanea morte, de febribus lentis et hecticis, de doloribus colicis, de obſtipationibus alvi, de paralyſi inde metuenda, verba facit. Memorabilius multo eſt, fautores cæteroquin Opii in praxi ſummos dehortari potius ab hoc remedio, podagricis doloribus opponendo, quam ejus adhibitionem ſuadere. Scilicet quem tot ægri adeo reformidant et longius abeſſe exoptant, artus miſere tendens, pungens et terebrans dolor, ſi paulo intimius ſpectetur, nihilominus ſalubris eſt, atque præſente intus in corpore inexpugnabili diſpoſitione podagrica, ad

a) *Diſſ. de podagra, circa finem.*

b) *in Tab. p. 395. 423. 887.*

ad arcendam a viſceribus perniciem et vitæ conſervationem præſt nda n neceſſarius. Eaque propter non ſane abs re, morbi hujus indolem non in aliorum ſaltem corporibus, ſed in proprio ſatis edoctus SYDENHAMVS, eum ipſum dolorem, amariſſimum naturæ remedium, quod vitæ proſpiciat, nominar haud dubitavit. [c]) Igitur in ipſo paroxyſmo, ut in paroxyſmis intermittentium, nil magni tentandum eſſe dixit, ſed tenui ſaltem diæta utendum, quo natura materiam morbificam ocyus digerat. Qnanto enim magis ægri dolores leniat medicus, tanto magis humorum coctioni eum adverſari, quantoque claudicationem arcet, tanto materiæ morbificæ expulſioni officere affirmat. Imo vero quanto magis paroxyſmi furor retunditur, non ſolum tanto diutius affligere, ſed et brevius fore ſpatium interjacens afferit. [d]) Atque quanquam adfligente eo alibi Opium concedat, valde tamen uſum ejusdem limitat ut fluctuare fere videtur, an ſuadere an diſſuadere debeat. Etenim, *ſi dolor admodum ſæviat, æger rectius ſibi conſulet*, inquit, *ſe in lecto continendo, donec is aliquantiſper remiſerit, quam ſi anodynis utatur. Attamen haud abs re fuerit laudani pauxillum veſperi ſumere, ſi dolor patientiam multum vincat, aliter melius omittetur.* [e]) Cum SYDENHAMO prorſus faciens ETTMVLLERVS [f]) Opiata, ſaltem ſola, nunquam proficua nec interne nec externe judicat; ea potius malum contumacius reddere aſſerit, utut dolores remittant; quin quia Opio vires vitales refrænari falſo credit, eo motum naturæ impediri, idque effici putat, ut in interioribus podagrica materies detineatur. Præmiſſo tamen quod miror vomitu, eum ſpecifico quodam ſudorifero Opiata in principio paroxyſmi exhiberi poſſe largitur, ac ſi neſciviſſet, Opium eſſe ſudoriferum ſummopere ſpecificum, neque alius additione egere. Diſplicent deinde hujus generis pharmaca etiam PECHLINO; [g]) id enim in univerſum curandum eſſe vult, ut naturæ illum motum febrilemque fermen-

c) *Operum p. 597.*

d) *p. 593. et 594.*

e) *p. 601.*

f) *Operum Pract. cap. de Arthrit.*

g) *Lib. II. obſ. 26.*

 tatio-

tationem, quam nocentis ſeparatio ſequitur, ex parte adjuvemus, neque temere ei moram imponi patiamur, quod intempeſtivo Opiatorum ac refrigerantium uſu fieri aliquando ſoleat. Noto hic ſaltem, ex eodem Ettmulleriano præjudicio PECHLINVM Opiata repudiare et cum refrigerantibus rejicere. Parum quoque Opio favet BRVNNERVS;[h]) atque Illuſtris HOFFMANNVS,[i]) de curatione podagræ in ipſo paroxyſmo agens, ne verbulo quidem ejus mentionem injicit; et alio loco [k]) plurimos medicorum iniquo ſæpe auſu ad Opiata tanquam ad ſacram anchoram equidem confugere ſcribit, non vero perpendere infidam horum remediorum eſſe operationem, niſi ſummo cum judicio adhibeantur. Inter recentiſſimos Cl. GEOFFROY [l]) dolorem in arthritide non ſupprimendum vult; *humor enim*, ait, *in peculiaribus articulorum vaſis concretus et hærens ab inflammata parte paulatim conteritur et reſolvitur, ita ut tandem ex minoribus in majora vaſa transvehatur, vel a calore partis per dolorem accenſo blandam concipiat effervescentiam, qua tenuior fit et per cutis poros perſpirandi capax.* Prorſus eadem ratione Cl. DESAULT [m]) dolorem podagricum criſin operari affirmat, adeoque non turbandum, cum quæ judicantur non oporteat movere, ſed ſinere. Neque magis permiſſum eſſe in praxi monet, ut podagrico dolor ſupprimatur, quam ut fœminæ parturienti dolores auferantur, qui potius, quo magis urgent, eo citius eam liberabunt. Et alio loco cum HOLLERIO faciens, qui arthritidem febrem articulorum vocat, dolorem podagricum eundem effectum producere ſcribit, quam duplicatam actionem arteriarum in febre. Utrumque nempe morbum intenſiorem eſſe naturæ conatum aſſerit, ad atterendam et ſubigendam cauſam, quæ eum producit, eamque ad perſpirationem idoneam reddendam. Præter laudatos magni nominis practicos, MEAD [n]) affectionem podagricam pro liberatione potius, quam pro ipſo morbo habendam judi-

cat,

h) *de Pancreate Secund. p. 80. ſeq.*

i) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. II. cap. XI. p. 528.*

k) *Diſſ. de cura doloris podagrici præſervatoria* §. 25.

l) *Mat. med. Tom. II. p. 712.*

m) *p. 230. et alibi.*

n) *Monit. med. p. 124. 125. 127.*

cat, unde magnopere cavendum et providendum vult, ut effectum ſortiatur iſte conatus, quia ſola podagra podagræ medeatur. Præterea diſertis verbis anodyna concedi non debere dicit, niſi vomitiones et alvi dejectiones ſollicitent. Video autem plane inter repellentia podagram referri Opiata in *diſſertatione Gœttingenſi de Podagra retropulſa*, [o]) ab Illuſtr. RICHTERI diſcipulo defenſa, qui ſine dubio a præceptore ſententia, quam fovet, imbutus fuit, Opiata circulum retardare. Contrariatur interim experientia SYDENHAMI, qui canarienſi vino cum pauxillo laudani uſus et in lectulo ad quietem compoſitus retrocedentis podagræ periculum ſæpe evaſit. Hoc ipſum dum recenſet, [p]) aut Cl. RICHTERVS, aut ejus diſcipulus, rem omnem exinde deducit, quod Opium motum, qui interdum in expulſionis negotio vehementior exſurgit, placidiorem reddat. Fallitur autem multum; nam Opium ſua interna dote auget circulum et adaugeret magis, ſi jam nimius eſſet; theriacamque et diaſcordium, opiata pharmaca, adeo pro excluſione abſolvenda laudat Cl. CHEYNE, [q]) quod ipſum debilitato circulo fieri haud poſſet. Idem conſilium legere licet apud AETIVM; [r]) theriacam quippe podagra affectis opitulari dicit, maxime cum augmenti tempus præterierit et ſtatus acuminis inſtiterit; doloribus enim ſedatis per ea, quæ illos mitigare poſſunt, in potu hoc remedium præberi ſuadet, quia illatos fluores conſumat et alios inferri impediat. Quanquam vero veterum ſuffragio ſuam ſententiam firmiorem redditam magis extollere potuiſſet modo citatus CHEYNE, tamen cum inſultum morbi conamen naturæ habeat ſuperflua ſalia per anguſtoria et rigidiora vaſa ejiciendi, [s]) in ipſa acceſſione et vigente paroxyſmo podagræ, licet ea, quæ quietem inducerent et ſomnum, indicari maximopere videantur, tutius eſſe dicit abſtinere ab omnibus Opiatis, [t]) quia ſemper appetitum deſtruant et nauſeam poſt ſe relinquant, quæ ſi ad vomituritionem increſcat, retroceſſioni po-

o) §. 7.

p) §. 20.

q) *in additamentis ad Act. Edinb. Vol. VI. No. I.* §. 25.

r) *Tetrab. IV. Serm. I. c. 96.*

s) §. 12.

t) §. 26.

podagræ in ipſum ventriculum facillime occaſionem præbere queat. Neque etiam hujus generis pharmaca arrident recentiſſimo ſcriptori Cel. LIGER; [u]) fateor tamen, rationem cur ipſi diſpliceant me non ſatis capere. Narcoticis ob relaxationem, quam inducunt, inſequensque dolorum augmentum caute utendum, raroque iis opus eſſe dicit. Crediderim autem, ſi ſaltem aliæ cauſæ uſum permitterent, relaxationem inductam ob lenimen dolorum vere velle medentem, neque dum illa durat, du avertit metuendum eſſe, ne hi iterum increſcant. Sique ſolum lenimen ſpectetur, omnes podagrici alta voce et conjuncta clamabunt, ſemper iis opus eſſe.

u) *Traité de la Goutte p. 236.*

§. XXXIV.

Sub quibus conditionibus paroxyſmus illud exigat, oſtenditur auctorum celebrium ſententiis.

Sed non obſtante temporario lenimine, quod inde exſpectare fas erat, tot clariſſimi viri, ut modo conſtitit, uſui anodynorum contrariantur. Num igitur miſeris podagricis Opio plane erit interdicendum? Num neminem medentum et nunquam movere debent eorum ejulatus et querelæ, ut de placandis dolorum furiis cogitetur? Sane ea duritie cordis, ſi juratos Opii hoſtes excipias, vix ullus practicorum facile eſt, ut, ſi dolor patientiſſimorum alioquin hominum patientiam vincit, atque inſuper vires omnes prorſus ob denegatam nocturnam requiem exhauriat, anodynis utendum eſſe haud largiatur. Ita ſane ſentiunt et illi, qui in genere Opium in paroxyſmo podagræ lubentius omittunt, quin eousque procedunt, ut ſub indicatis circumſtantiis ejus adhibitionem non ſaltem permiſſam, ſed et neceſſariam, judicent. Qui veterum et ſuo ævo propiorum placita congeſſit PISO, [a]) ſi tantus eſt dolor, ut eum perferre nequeat æger, narcoticis utendum eſſe dicit, ſed eorundem uſum liberaliorem cavendum eſſe, neque diutius inſiſtendum monet. Poſtea feliciſſimus ille practicus MERCVRIALIS, [b]) ubi dolor non admodum magnus eſt, ſemper utendum eſſe ait medicamentis remiſſioribus; ubi autem

a) *de Cognoſc. et curandis morbis lib. III. c. 60. p. 346.*

b) *Med. Pract. lib IV. c. I. p. 451.*

tem ita vehemens, ut minime ſuſtineri poſſit, tunc ad narcotica medicamenta veniendum eſſe, nunquam tamen niſi validus dolor maxime coegerit. Non aliter TIMAEVS c) in c) *Operum p. 701.* conſilio, quod Illuſtri Regni Sueciæ Campi-Mareſchallo Leonhardo TORSTENSOHN exhibuit, ſi magnus dolor adfuerit, potionem ſuaſit temperantem et refrigerantem, cui ſi perpetua inquies et agrypnia dolorem comitetur, demum laudanum opiatum adjiciendum voluit. Poſt laudatos viros clariſſimos non ſine cura nominare debeo Cel. PECHLINVM, d) quem §o antecedente minus favere Opiatis mon- d) *Lib. II. obſ. 26. p. 274.* ſtravi. Eadem tamen citata obſervatione aliquibus interjectis ita loquitur: *Opiata quamvis intempeſtivo uſu noxia, ſola ſæpe ſunt, quæ in ſalebris deprehenſo manum commodent, uſumque præbeant fidelem. Sunt certe caſus, ubi tanta eſt ſpirituum a dolore irritatorum ferocia, ut niſi fræno occurras vagantesque toto corpore coerceas, in furorem orgaſmumque multo majorem, quam pridem, ſint erupturi. Continendi ergo ſunt in officio et ſic domandi, ne irritantis materiæ ſenſus ad eos perveniat; quod ne totum palliativum eſſe credas, ipſi quoque corrigendo humori impendere ſe Opiata ſolent.* Relinquo ego hoc ipſum in medio, et dubito valde; ſupervacaneum autem habeo, quando vir egregius ut melius res ſuccedat jungenda Opiatis ſudorifera cupit, cum, quod ſæpe monſtravi, Opium in ſe ſummum ſit ſudoriferum. Liceat mihi adhuc ſemel provocare ad SYDENHAMVM, e) qui etiam ſæviente admodum dolore rectius omit- e) *p. 601.* ti Opium aſſerit, interim tamen ſi patientiam multum vincat, laudani pauxillum concedit, aliter melius negligendum. Nondum mentionem feci Illuſtr. BOERHAAVII, f) qui f) *Aph. 1278, 1279.* directe Opio nil tribuens, in podagra interim ad ſummam doloris in loco ſævitiem temperandam, urgente ſumma neceſſitate, Opiata cum aliis remediis admittit, de quibus tamen omnibus fatetur, quod non aliter uſurpentur, quin ſummopere metuatur citior induratio loci affecti. Atque cum

præ-

g) *Comp. med. p. 56.* præceptore ſuo faciens de GORTER, [g]) narcotica nocere doloribus podagricis affirmat, et nunquam exhiberi debere, nifi dolor ſit ſummus; ac alio loco, [h]) de anodynis prorſus tacens, in paroxyſmo partem ſaltem quietam ſervandam eſſe præcipit et tectam, donec ceſſaverit dolor, ſique ſit intolerabilis, ſaltem fovendam emolliente anodyno cupit. Non poſſum tandem ſilentio præterire Cl. DESAULT et CHEYNE, Opio vere non patrocinantes, ſed urgente ſumma neceſſitate uſum ejus et collaudantes et urgentes. Prior regulam quidem ſecuram et conſtantem eſſe dicit [i]) de ſinendis ad ægri ſalutem neceſſariis doloribus; dari vero certas circumſtantias ſimul monet, quæ exceptionem regulæ exiſtere faciant, vitæque tyrannum oppugnari et relicta cauſa ſymptoma reſpici velint. Ponit deinde duos caſus: primum, quando cruciatus ſummi vires penitus peſſundant, ita ut ob vigilias interdum in deliquia animi æger incidat; ſecundum, quando omnem humanam patientiam excedunt, ubi ſimul ad SYDENHAMVM provocat. CHEYNIVM [k]) quod ſpectat, ille, licet antea ab uſu dehortatus eſſet, nihilominus in ſumma neceſſitate, quando æger per multos dies inquietus fuit atque intolerabili dolore torquetur, aliaque remedia nil juvant vel æque periculoſa ſunt, ex præjudicata ſua opinione, Opiata aromaticis, nervinis et ſtomachicis correcta pulcherrima remedia evadere, profitetur.

h) *Syſtem. med. Tom. I. p. 94.*

i) *p. 231.*

k) *§. 26.*

§. XXXV.

Autoris Judicium.

Ut tandem meam qualemcunque ſententiam, accurata multorum annorum obſervatione mihi natam, adjungam, notare debeo, nunquam equidem me a mediocribus doſibus, quas vel ipſe ubi malum urgeret exhibui, vel ab aliis medicis, me paulo magis officioſis, porrectas memini, pericula vitæ et funera vidiſſe; expertus tamen etiam ſum, tales mitigando paroxyſmo adhuc increſcenti et ad ſupremam nequitiam evecto, ſæpe ſæpius fuiſſe impares. A largioribus vero, quamvis non eousque extenſis, ut illa

fuit,

fuit, quam notat HOFFMANNVS, [a]) cochleare nempe liquoris, ex Opii drachma una in aquæ unciis duabus ſoluto parati, quotidie aſſumtum, ſatis certe liberalem quantitatem de Opio continens ægrique mortem tandem poſt ſe trahens, varia omnino mala plus ſimplici vice notavi. Ut enim illa taceam, quæ etiam homini non podagrico data poſt ſe relinquunt, ex ſua natura, largiora præbia, hæc tantum noto, quæ a podagra non rite tolerata ſed interturbata pendent, nodos, tophos, tumores œdematoſos, paralyſes, qualia inde naſci poſſe et ſolere, quilibet attentus rerum uſu poterit ediſcere. Non ſane de nihilo ſunt, quæ in *Miſcell. Nat. Cur.* [b]) et alibi de Opiatis, arthriticos ad paralyſin diſponentibus, leguntur. Videtur certe Opium diutius figere materiem in arthritide, ut figit in rhevmatiſmo, cumque inflammatio nervoſa audiri mereatur podagra, morbi naturæ perinde minus videtur congruere, ut ſanguineæ inflammationi haud congruit. Neque etiam ſudor motus ab Opio vere levat malum, ſed liquida mobilia diſſipando id quandoque gravius reddit, dum id quod impactum eſt minutiſſimis vaſculis, excluſioni ineptius redditum diutius detinetur. Quodſi vero citæ eliminationi neceſſarias dotes Opium poſſideret, podagrica materies, blanda perſpiratione, regimine, liquidis calidis, vel quibuscunque aliis benignioris naturæ remediis mota, felicius eliminaretur, ſudore nemini podagricorum proficiente. Deinde, dum Opium vere primam culinam debilitat et coctionibus omnibus adverſatur, quanquam delinire videatur præſentem dolorem, diſpoſitionem tamen ad paroxyſmum futurum coctionibus labefactatis ſimul inducit, atque ut is tanto citius tantoque fortius redeat, occaſionem præbet. Expertus ſum ſæpiuscule, quando duos ſimul aut tres podagricos viſitare debui, quorum unus, cujus animi indolem antea cognitam habebam, impatientior reliquis Opium veſpertinum mihi extorſit, alterum tertiumque ſub tranquilla patientia, liquidorum-

a) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II Sect. II c. XI. p. 545. caſu V.*

b) *Dec. I. Ao. IV. p. 115.*

que tenuium, blandorum, tepidorum potatione, æque, imo vero magis levatum fuiſſe, neque diutius illo, lecto affixum fuiſſe, quin appetitum deinde et vires citius recuperaviſſe. Amicum mercatorem habeo, qui chiragra laborans perinde ſeſe habuit per noctem, ſive Opium mediocri doſi, ſive nitrum, ſive nil ceperit, temulentiam vero per diem ſequentem ab Opio reſiduam doluit, ſine doloris lenimine manifeſto, qui, ubi in vigore ſuo conſtituitur paroxyſmus, vix magnis Opii doſibus multum mitigari ſe patitur. Medicinam ante aliquot menſes feci centurioni boruſſico, graviſſimo dolore genuum cubitique et carpi, in brachio ſiniſtro, cum tumore adflicto. Dedi emulſiones lenes papaveraceas cum nitro, et infuſum ſpecier. pro ſyr. dialth. Fern. cum lacte. Non multum profeci per tres dies et totidem noctes. Tandem coegit me ægri impatientia, ut darem veſpertinos pulveres, habentes granum dimidium Opii, reliqua remedia ſimul uſurpata ſunt. Statim melius habuit et mihi multiplici vice objecit æger, cur non ſtatim exhibuiſſem hos pulveres, neſciens quod refringendo ſummo morbi impetui non æque pares fuiſſent, quam erant ad mitigandum jam decreſcens malum. Didici vero etiam aliquoties; urgentiſſimum dolorem ſæpe poſcere, ut cicuretur æqua doſi Opii, maxime ſi aliorum ſymptomatum acceſſum minetur. Gonagra laborabat fœmina ſenſibilioris et impatientioris indolis. Inter perpetuos ejus ejulatus explorans pulſum et ſubſultus tendinum animadvertens verebar, ne verae convulſiones accederent. Dedi igitur Opii granum I, in duas doſes diviſum, eximio cum fructu, nam ſtatim quietior reddebatur, et per aliquot horarum ſomnum evigilans præſtantiſſimorum pulvillorum effectum multis laudabat.

§. XXXVI.

Topica. Dum vero Opium nonniſi ſumma circumſpectione exhibitum podagricis prodeſt, ac longe ſæpius anceps eſt et inſecurum; dum ubi rabies dolorum viget, ſaltem valde

gene-

generoſis doſibus datum eam retundit, talibus autem noxas etiam graves poſt ſe relinquere poteſt et ſolet: operæ pretium videtur cogitare, anne ſecura methodo, per topica idonea, placere ægris, lenimen adeo ardenter exoptantibus, medici queamus. Congeſſit variorum topicorum catalogum ex antiquioribus et ſibi proximioribus practicis PISO.[a]) Largum quoque apparatum habet RIVERIUS, ut WALTHERI ſylvam medicam et alios autores taceam. Optime novi, parum vel nihil omnibus externis tribuere expertum SYDENHAMUM,[b]) quin multa et longa obſervatione ſuffultum, fidenter aſſerere, maximam partem eorum, qui podagra periiſſe putantur, non tam ipſo morbo, quam ſubleſta atque indebita ejusmodi medicatione, fuiſſe peremptos. Neque audeo repugnare, experientia aliena ſatis convictus, atque præterea probe intelligens, non ſufficere, ut dolor remedio qualicunque foris admoto obtundatur, ſed præcipue conſiderari debere, an ſub ejus applicatione libera exhalatio ſtagnantis liquidi dolorem excludentis ſimul promoveatur, vel inhibeatur, atque an in futurum ægri rebus vere conſulatur, an minus. His conſiderationibus intentus, nolim hic ulla ratione inunctionem balſami ſulphuris terebinthinati, nolim acria calida, nolim ſpirituoſa quovis titulo laudata, quæ tanto certius obrigeſcere faciunt partem et mobilitati ejus aliter iterum recuperandæ adverſantur. Abeſſe quoque cupio quævis alia coarctantia poros, eosque obſtruentia, repellendo materiem certiſſime nociva. Vidi quippe, a bolo armena cum ſpiritu vini leviore applicata podagram in gonagram, gonagram cum iterum loco applicaretur in chiragram, chiragram in funeſtam apoplexiam, 24 horarum ſpatio, in fœmina quadam ſubito fuiſſe mutatam. Nolo ſpiritum vini camphoratum, a quo apud amicum pharmacopœum, podagram ſuam, quæ prima vice adfligebat, pro eryſipelate habentem, aſthma horrendum natum vidi, cedere pectoralibus a ſe adſumtis renuens, invitata

a) *de cognoſcendis et curandis morbis lib. III. c. 62.*

b) *p. 600. 601*

tata

tata demum per veſicatorium ſuræ admotum vaporemque aquæ tepidæ ad pollicem pedis admiſſum in ſuam ſedem, qua expulſa erat, eandemque repetente podagra, iterum ſublatum. Nolo aquam frigidam, a relaxatione partis affectæ, non ab ejus conſtrictione et tranſpirationis ſuppreſſione, auxilium expectans. Equidem non ignoro, ipſum HIPPOCRATEM [c]) patrem huic topico favere, quando frigidam multam affuſam dolores podagricos levare, expreſſis verbis affirmat. Verum etiam me non latet, paulo ante eundem venerabilem ſenem frigidum inimicum nervis et oſſibus declarare. [d]) Rectiſſime certe inter alios, quos taceo, SYDENHAMVS [e]) et DESAULT [f]) refrigerantia prorſus rejiciunt et nocentiſſima declarant; atque Illuſtr. de GORTER [g]) aphoriſmum HIPPOCRATIS, frigidam affundendam laudantem, explicans, ab ejus mente recedit, et retropulſum materiæ inde metuendum et re ipſa ſæpe inſecutum urget. Sane qui loco hujus perſpirationem auctiorem potius proritari celeres contendunt, perpendere debebant ea, quæ ſcripſit in *ſtatica* ſua *medicina* SANCTORIVS, [h]) lavacra frigida corpora robuſta calefacere, debilia refrigerare, frigusque externum prohibere perſpirationem in debili, quia ejus calor diſſipatur, in robuſto vero augere, calore ad imum retracto et duplicato, et natura ſic roborata, quæ dein retenti perſpirabilis pondus e veſtigio abſumat. In omni podagrico mea ſententia ſaltem pars affecta conſideranda eſt, ut pars debilis; et robuſtiſſimum antea corpus, accedente paroxyſmo podagrico, fit debile. Maneat autem hoc corpus robuſtum; cur, dum tale perſpirationi movendæ maxime remediis et regimine adjutum ſufficit, cur inquam admota extus frigida duplicatum robur ingenerare vellemus, cur reprimere antea materiam, ut duplicato impetu iterum ad exteriora ablegaretur, quo etiam obtento incertum tamen manet, an priſtina ſua veſtigia iterum feliciter lectura, an loca ægro ſalvando minus idonea petitura ſit? Niſi

c) *ſect. V. aph. 25.*
d) *ſect. V. aph. 18.*
e) *p. 600.*
f) *p. 234.*
g) *in medicina Hipp.*
h) *ſect. II. aph. 1. et ſect. I. aph. 68.*

omnia

omnia me fallunt facile ex his patet, inſecurum ſaltem lenimen, minime vero veram et realem doloris medelam illum impetrare, qui frigidis externis contra podagram pugnat. Multo ſecuriora et apprime, dum ſtrictos villos relaxant, utilia videntur oleoſa laudata, ut ab aliis, ita a Cl. LOBB,[i]) qui frictionem partis affectæ cum oleo olivarum calidiuſculo magni facit. Verum recte, ut mihi videtur, jam notavit RIDLINVS,[k]) oleum poros obſtruere et ſic impedire, ne partes peccantes dolorem excitantes exhalare poſſint; matronamque oleo olivarum, cui folia rorismarini indiderat, loco dolenti illito, dolores graviores reddidiſſe ſimul memoravit. Glutinoſitate ſua oſtiola cutis exhalantia etiam oppilare videtur ſapo medicinalis albus, quem commendat LIGER,[l]) in formam paſtæ ejus ſuaſu, cum pingui quodam, ut butyro cacao, redigendus et applicandus. Ego omnem topicorum decantatorum qualiumcunque apparatum repudio; ſola deſidero topica emollientia et relaxantia cutim, quæ, ſi non juverint ſemper et ex voto, minuere tamen dolores poſſunt et tranſpirationi minime obeſſe. Aqua calida monitore BOERHAAVIO[m]) habetur inter anodyna et paregorica medela princeps, commendata ideo ab HIPPOCRATE pro placidiſſimo ad dolorum acerrimos fomento. Ea ſi affatim epota cruciatus podagricos pulchre lenit, ut ſuaſore Cornelio BONTEKOE, qui herbæ Thée hanc virtutem perperam adſignabat, expertus olim eſt Elector Brandenburgicus, medicum ſuum divitiis et honoribus mactans, quidni et immediate dolenti articulo applicata illos obtunderet? Dum in formanda ſibi juſta doloris idea occupabatur laudatus BOERHAAVIVS,[n]) obſervavit, nebulonibus torturæ ſubjectis, quando membra ſumma violentia extenſa immanes ipſis dolores inducebant, adſperſam aquam calidam illico hos multum minuere. Nonne torturam articulorum a podagra patientibus æque certum levamen adferret admota leniter aqua tepida, vel ſola, vel lacte remixta

i) *§. 1171. 1172. 1202. 1203.*

k) *Cur. Med. obſ. 184.*

l) *p. 266.*

m) *in Chem. Tom. I. p. 476. edit. Lipſ.*

n) *vide Praxin medicam contra ejus voluntatem editam ad aph. 228.*

mixta et cum emollientibus coɛta? Qui topicis prorſus non
o) *p. 601.* favet SYDENHAMVS, [o]) fatetur tamen, ſe ſibi pulticulam ex pane ſimilagineo cum croco et laɛte applicaſſe, addito pauco oleo roſaceo, atque eam præ aliis remediis profuiſſe.
p) *l. c.* Atque Illuſtr. BOERHAAVIVS, [p]) *ſi velis liberare locum dolentem*, inquit, *fac ut fiat laxus. Hinc videmus, quam mirabiliter dolores podagrici ſiſtantur cataplaſmate ex mica panis et laɛte vel aliis emollientibus.* Neque, licet
q) §. 72. omnia topica primo rejiciat, Cl. CHEYNE [q]) repugnat applicationi herbarum aromaticarum et amaricantium cum laɛte coɛtarum, vel cataplaſmati unicuivis, quod humeɛtat, emollit, laxat et aperit. Eſto, quod monet SYDENHA-
r) *l. c.* MVS, [r]) cataplaſma ejus in paroxyſmi initio nihil prorſus juviſſe, ex natura tamen podagræ, non ad ſummum apicem ſuæ tyrannidis eveɛtæ juvare debet fotus ejusmodi emolliens, quantum poteſt, neque nocebit unquam. Non dif-
s) *Lib. II. obſ. 26. p. 275.* fiteri potuit PECHLINVS, [s]) cataplaſmata ex fl. ſambuci, pane albo, cum momento croci, cum laɛte et oleo parata, certo duntaxat tempore, cum fruɛtu adhiberi ſolere. Quid tumorem loci dolentis, adeo deſideratum podagricis, quia lenimen ſecum fert, citius provocare, quid rigiditatem et immobilitatem villorum felicius emollire poſſet, quam topicum remedium, ex memorata ſupelleɛtile concinnatum? Anne enim, ſi rigor et durities paroxyſmo jam ſuperato reſtitet, certius ejus datur remedium, quam epithema emolliens et relaxans? Putarem vero ego, ſolum vaporem aquæ calidæ ſimplicis vel laɛte remixtæ, ſi peculiari enchireſi dirigatur ad partem affeɛtam, ſique caveatur, ne hæc nimis incaleſcat, ſed udori ſaltem tepido exponatur ad tempus, maximum et ſecuriſſimum remedium anodynum præbere. Didici ante plures annos præſtantem effeɛtum ejusmodi remedii, in dolore podagrico haud mediocri. Laboraverat ſæpius antea eodem fœmina nobilis, remedia vero omnia interna detreɛtabat, cum nullam in iis fiduciam po-

neret;

neret; excruciabat tamen eam aliquando dolor eousque, ut me advocari faceret; ægre tamen et tum ſibi perſuaderi patiebatur, ut potum Thée copioſum cum lacte, quem alias podagrici nobilis unicum eſſe remedium, mireque ab eo collaudari et commendari ipſi referebam, parcius ſorbillaret. Dum morbi ingenium ſapere ſibi viſam edocebam, conſulo forte, ut vaporem tepidum lactis et aquæ ſpongiarum mollium ope admitti faceret ad loca dolentia. Illa autem me ſapientior calceos fieri curabat, ex conſutis ſpongiis, ſatis amplos, immittensque in eos ſuos pedes, hydrogala tepida calceos hos humectari perpetuo faciebat, ut ita in vaporis balneo locatos illos haberet. Hoc vero artificio, quod dura neceſſitas ſæpe mater artium excogitarat, ſibi egregium levamen naſci plus ſimplici vice mihi enarrabat, quare et eandem methodum deinceps, quoties podagra laborabat, ſolebat adhiberi, eo effectu, ut, cum antea poſt paroxyſmos rigida immobilitate diu laboraſſet, dein citius ſemper a paroxyſmo et faciliore greſſu iterum incederet.

Nullam mentionem externa remedia antipodagrica contemplatus injeci topicorum anodynorum et narcoticorum, paſſim ab autoribus laudatorum, ſed ſpecialius de his agam, quando Sect. III. uſum Opii topicum in morbis ſum explicaturus.

§. XXXVII.

Reſtat ut, dum tenue hucusque elogium Opio in podagræ paroxyſmo adhiberi ſolito ſcripſi, honores juſtos eidem exſolvam, ad ſymptomatum quorundam ſanationem, paroxyſmo durante vel loco paroxyſmi regularis emergentium, quando nempe ex mala medicatione, vel ex diætæ vitio, vel ex morbi pejori indole, intus detinetur aut ab exterioribus ad interiora vergit materies. Sane ejusmodi ſymptomata ſæpe citæ morti ægrum tradunt, danturque inter ea, quæ ſine Opio fere ſunt inſanabilia. Si in capite ac partibus vitalibus vel naturalibus malum hæreat, non bene con-

Symptomatum urgentium medela, in podagra anomala.

convenire Opium edixit SYDENHAMUS.[a]) Credo ego, omnium ſane minime convenire, ſi caput patiatur, cum ad id humorum omnium impulſum potius augeat Opium, tantum abeſt, ut revellat et aliorſum, maximeque ad loca, quæ dolere debebant, determinet; quare et tum jure ab eo dehortatur SYDENHAMUS. Idem facit Cl. MUSGRAVE,[b]) cephalalgiam et vertiginem arthriticam exponens, ubi præmiſſa VSe et catharſi podagram expellentia dum dein commendat, omnia illa rejicit, quæ, in artus extrudendi cauſa exhibita in caput potius liquida urgerent. Eapropter inter alia minus accommodata pharmaca et narcotica ſuſpicioſa et periculoſa dicit, quia repugnante medicina capiti potius materiam alienam infigant. Atque ſi, Celeb. CHEYNE[c]) judice, podagram in capite ſuam ſedem nactam tractare oportet, ut cephalalgiam vehementem et inflammationem cerebri membranarumque ejus, facile patet, ejusmodi morbi ingenio neutiquam Opium congruere. VSes certe et ipſarum jugularium ſectio, remedia cathartica, veſicantia pedibus admota, ita comparata ſunt, ut eorum actio a capite humores abducens, actioni Opii e diametro repugnet. Tantum vero abeſt, ut in apoplexia arthritica, quocunque fine datum, locum habeat Opium, ut potius modo laudatus MUSGRAVE[d]) abuſu Opii arthriticis materiam in cruore alienam in caput intrudi, apoplexiamque ſic ingenerari annotaverit. Quod partes vitales attinet, præter rem timidior eſt SYDENHAMUS in concedendo Opio, ubi his anomala inſederit arthritis. Non miror in ejusmodi caſu Opium diſſuadere illos, qui pulſum Opio dato langueſcere falſo ſtatuunt; ſed bene noverat SYDENHAMUS pulſum Opio intendi, quare et in febribus acutis illud damnavit. Non dubitavit interim MUSGRAVE,[e]) in ſyncope arthritica, pulſu exiſtente imbecilli, tardo, inæquali et intermittente, opiatam theriacam aliis cardiacis adjicere, quamvis in aſthmate arthritico illud rejiciat.[f]) Fateor nocere in pituito-

a) *Operum p. 598.*

b) *de Arthritide anomala cap XIV. pag. mihi 121. 123.*

c) *l. c. §. 12.*

d) *cap. XV. p. 132.*

e) *cap. VIII.*

f) *cap. X.*

tuitoſo, ubi excretione materiæ viſcidæ opus eſt, quam cohiberet Opium; ſed ſi aſthma ſimpliciter ſpaſticum et convulſivum fuerit, actis ſimul aliis, topicisque præcipue attrahentibus ad loca dolere ſueta applicatis, plus ſimplici vice Opiata profuiſſe vidi, cum non ſaltem ſtricturas placent in præcordiis, ſed et ſublatis iis, quæ omnem corporis ambitum tenebant, perſpirationem egregie moveant. Non obliviſcar peripneumoniæ arthriticæ, in qua Opium non convenire lubens agnoſco. In ejus curatione SYDENHAMVS[g]) non ad podagram reſpiciendum eſſe vult, ſed ita procedendum, ac in peripneumonia abſoluta. Igitur VSe repetita, remediis refrigerantibus, purgationibus lenientibus pugnandum inculcat; atque dum ſudoris provocationem ea ſpe, ut morbi fomes ſuper artus deturbetur, non tantum non prodeſſe, ſed vere obeſſe, materiam pulmonibus impactam indurando, ſimul memorat, facile ſcitur, tacite ipſum etiam Opiata diaphoretica improbare. Notatur vero eapropter a MVSGRAVIO,[h]) qui equidem remedia peripneumoniæ propria non rejicit, ſimul tamen eo laborandum eſſe urget, ut venenum in partes a centro vitæ remotas alliciatur. Atque eadem mihi ſententia fuit in caſibus ſimilibus, credidique convictus, et ad ſanguinem pulmonibus impactum et ad decubitum materiæ podagricæ in pulmones reſpiciendum eſſe, illum ſolvendum, partem ſtagnantis extrahendam, ſed vim vitalem non nimis VSibus iteratis deprimendam, verum potius in eo moderamine ſervandam, ut expulſioni veneni ſufficiat, hujusque translationem ad artus admotis attrahentibus et ſtimulantibus accerſendam fore. Lætus cum dilectiſſimo quodam collega, harum indicationum omnium juſta et conjuncta obſervatione, ereptam mortis faucibus vidi fœminam ſeptuagenario majorem, quæ hodie ſana, ut hæc ætas patitur, ſuorum conventubus et conviviis intereſt. Inter certa et indubia ſigna, morbum, qui medico curandus offertur, podagram larvatam habendum

g) *Operum p. 599.*

h) *cap. XI.*

eſſe, id ponit Cl. DESAULT, quando paulo ante eum æger podagræ obnoxius leviores inſultus et dolores tranſitorios perpeſſus eſt, morbusque hos diſparentes ſtatim ſubſequatur. Ita prorſus res ſeſe habebat cum illa fœmina, quam loquor; dolorem quippe podagricum muſſitantem, atque ſine rubore et tumore loci ſubito evaneſcentem, brevi excipiebat ſoporoſa capitis debilitas, cum reſpiratione anxia peripneumonica. Secabatur vena largiterque educebatur cruor, exhibebatur cum diluentibus oxymel et nitrum, ſed ſimul pedibus applicabantur larga veſicatoria, regimineque potius quam ſudoriferis calidis perſpiratio movebatur, hisque præſidiis poſt aliquot dies cum capite pectus liberabatur, atque in pede et manu atrox dolor, vitæ et ſanitatis nuncius et cuſtos, plaudentibus inter ejulatus ægræ agnatis, comparebat.

Accedo ad ſymptomata, quæ in abdomine ſuſcitantur, a retropulſa vel non expulſa ad ſua loca arthritide, quibus præcipue convenire obſervatum fuit Opium, cardialgiam, nauſeam, vomitiones et colicos dolores. Ventriculi debilitatem ac languorem, cum ventris torminibus tanquam a flatu, SYDENHAMVS maxime levari ſcribit vino canarino, cum exercitio corporis, magis quam theriaca. [i]) Interim ſi ſymptoma inducias haud ferens mortem minetur, modo caput malum non impetat, ad laudanum ſtatim confugiendum eſſe dicit. Ipſe Vir Celeberrimus hac methodo ſe ab imminente morte liberavit, [k]) cum ex errore diætetico in ingentem ventriculi ægritudinem cum vomituritione et ventris dolore incidiſſet, artubus interim ex retroceſſione materiæ podagricæ doloris expertibus et ad motum plus ſolito habilibus. Non vero ſaltem vinum, ubi ventriculum corripuit morbus, ſed liquores calidiores et zingiberis piperisque pulverem laudat MEAD. [l]) Interim tamen anodyna, quæ in podagra alioquin prorſus rejicit, ſi vomitiones ſollicitent, concedit. Et hæc quidem, ut nil diſſimulem, mihi magis convenientia videntur, quam vomitoria

i) p. 597. 598.

k) p. 799.

l) p. 126. 127. Monit. med.

CHEY-

CHEYNIO,[m]) quod miror, laudata, quæ miſſis anodynis, etiam in doloribus colicis a podagra, probat, dum eandem methodum, quam ventriculo affecto propoſuerat, et male affectis inteſtinis obtinere dicit. Sed et ſpeciatim hic commemorari debet *diarrhœa* pro arthritica omnino habenda, ſi arthritico in mediis doloribus verſanti acciderit, eamque ſtatim excipiat doloris et tumoris externi diminutio; quamvis et eveniens tum, quando præſens in ſanguine materies extrorſum ableganda et in artus deponenda introrſum vertitur, arthritica appellari debeat. Utut vero ſi modum non exceſſerit talis diarrhœa nil noceat, quin ſalubris interdum ſit; cum numero plures medentum et inter eos HOFFMANNVS adeo verſus tempus ingruentis paroxyſmi alvum clementibus catharticis moviſſe conſultum reputent, et reapſe MVSGRAVIVS adjectis caſibus ſpontaneas diarrhœas proficuas fuiſſe probet: tamen et in iis, maxime qui debilitata jam habent viſcera, ubi diutius perdurat et copiſiores ſedes movet, mortem ſæpe accerſit, quod non minus hiſtoriis morborum adſcriptis vir egregius teſtatur.[n]) Cito quoque diarrhœa enectum podagricum habet CHESNAU.[o]) Ipſe recordor, ut aliorum ejusmodi funerum, ita præcipue fati Eminentiſſimi Cardinalis a SINTZENDORFF, Epiſcopi Vratislavienſis,[p]) qui Danubio vectus ex refrigerio, et horæorum fructuum maxime melopeponum, quos impenſe amabat, abuſu, et diarrhœam et vomitiones contraxerat, eo tempore quo humor arthriticus ante fores ſteterat. Incredibili deſiderio feſtinarat Vratislaviam, ut archiatro ſuo adamato HAENIO redderetur; ſed omnibus viribus jam exutus erat, atque quicquid ageretur, morbi materies deponi ſufficienter ad artus negabat, ſed reſtitans intus ægrum ſopore inducto perimebat, ego vero in teſtimonium lugubris vitæ cataſtrophes advocabar. In hoc rerum ſtatu inter alia remedia Opium et theriacam commendavit MVSGRAVE,[q]) ægrisque ſuis juſto tempore exhibuit. Dein-

m) *l. c. §. 55.*

n) *de Arthritide anomala cap. 4.*

o) *Obſ. p. 421.*

p) *Vid. Hiſtoria Podagræ ejus a Cl. Haenio conſcripta.*

q) *cap. IV. pag. mihi 49.*

r) *Operum p. 598. 599.*
s) *Monit. med. p. 127.*
t) *loc. cit.*
u) *Operum p. 600.*
x) *de Arthritide anomala Cap. IX. p. 76.*

de etiam SYDENHAMVS,[r]) modo diarrhœa paroxyſmi criſis ſingularis non fuerit, et MEAD,[s]) laudanum dandum volunt. Vidi inde aliquoties non mediocres fructus; quod vero anodyna, licet mature data, non tamen juvamen attulerint modo laudato epiſcopo, refrigerio, lubricæ totius diætæ rationi et maxime ærumnis animi gravioribus tribuendum erat. Si Opiata non juverint, ſudoris provocationem ſuis remediis impetratam unicum remedium eſſe dicit SYDEMHAMVS;[t]) etenim ſi hoc fiat ad biduum triduumve, mane et veſperi per duas tresve horas continuas, utplurimum ceſſaturam diarrhœam, et morbi fomitem magna vi in artus detonaturum ſpondet. Hac methodo ipſe ſuæ vitæ conſuluit, poſtquam ſe in hoc malum a potatione aquæ frigidæ pro ordinario potu conjeciſſet. Ego vero dubito, an aptius ſudoriferum hic excogitari poſſit quam Opium, ſi regimen et potulenta calida aromatica acceſſerint.

Non obliviſci tandem debeo calculoſi doloris cum arthritico complicari interdum ſoliti, miſerrimumque ægrum ita excruciantis, ut binis furiis ſororibus ſimul ferientibus dilacerandus, ut purgatorii et inferni ſupplicio uno tempore afficiendus, ut ſcylla elapſus in charybdi naufragus, inter ejulatus et gemitus ſibi videatur. Immiſericordis et inhumani eo tempore eſſet practici, atque digni certe, qui a gratioſa facultate medica vocaretur in jus et perpetuo exilio mulctaretur, non cogitare de Opio. Dedi id his in caſibus aliquoties, recordorque mercatoris inter noſtros, qui guttulas a me præſcriptas Sydenhamianas croco tinctas, aureas appellare ſolebat. Deprædicavit eas merito inventor, cum liquore poſſetico, cui radix altheæ incocta, et enemate emolliente.[u]) Paregorica quoque ea doſi, quæ cerebro non obfuerit neque materiam vitioſam eo impegerit, egregria ſane cautela addita, commendare non oblitus eſt MVSGRAVIVS.[x])

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Odontalgia.

Peccarem valde, ſi, dum in dolorum therapia quatenus Opio obtinetur tradenda occupor, odontalgicorum cruciatuum obliviſcerer, ad eum gradum quandoque adſcendentium, ut vigilias, febres, deliria, ſpaſmos, convulſiones, animi deliquia, in ſenſibilioribus præcipue ægris accerſant.[a]) Radix dentium, maxillarum alveolis infixa, membrana cingitur nervoſa, ut oſſa alia ſuo perioſteo; deinde per foramen extremitati radicis inſculptum, arteriolam et venulam comitans ingreditur nervus, cumque illis aliquem funiculum effingit. Ex utraque hac cauſa ſed maxime ex poſteriori, dolori intenſiſſimo expoſiti habentur dentes. Ad hunc eo tempore præcipue, quando omnem patientiam vincere videtur et graviora mala minatur, ſuperandum, autores fere omnes Opium laudant, interque eos et illi, qui eidem aliter non valde favent. Dehortatur equidem ab eo cum ſuæ ſectæ ſociis Cl. JVNCKERVS,[b]) licet dolores ſint acutiſſimi, cum levamen, quod per exiguum tempus adferat, gravioribus damnis ad mentem ejus compenſet; antea tamen jam et permiſerat et laudarat MP. de cynogl. Sed maximam ſine hæſitatione ulla fiduciam in Opio collocatam manifeſtat VERZACHA.[c]) *Ego*, inquit, *quamdiu praxi incumbo*, *nullum præſtantius remedium comperi laudano meo opiato. Soleo granum unum noctu concedere*, *unde placidus ſubrepſit ſomnus et mane omnis dolor evanuit.* HORSTIVS *) recenſet, ſe poſt compotationem altero die ſub cœlo frigidiſſimo profectum, deinde ſtatim conclave calefactum ingreſſum, domumque reverſum, hemicrania cum ſæviſſima odontalgia, ſpaſmum cynicum adducente, correptum fuiſſe. Poſt omnis generis revulſiones fruſtra in uſum vocatas, quarto die jam delirio ob dolores et vigilias appropinquante, ſumſit laudanum; hinc dormivit, expergefactus temulentiam ſenſit, ſudavit cum levamine, ſed malum ſolutum, pure ſanguinolento naribus fluente, ſecundum

a) *Borellus Cent. III. obſ. 8. Ridlin. lin. med. ao. V. p. 1076. et Car. med. obſ. 689 et 692.*

b) *in Conſp. med. Tab. de Odontalgia. caut. 8.*

c) *Obſ. med. Cent. I. obſ. 26.*

*) *Epiſt. l. II. Sect. XVI, quæ de uſu laudani opiati agit, p. 574.*

HIPPOCRATEM. *) HORSTIVS **) filio quoque ſuo in ſumma odontalgia cum hemicrania laudanum cum fructu ſe dediſſe refert, tumore externo ſimul apparente. At limites aliquos remedio ponit RIVERIVS, [d]) parum quippe prodeſſe anodyna dicit, niſi fluxio auferatur; mox tamen etiam vehementem dolorem poſcere narcotica affirmat, laudanumque non ſolum dolorem certo ſedare, ſed et fluxionem cohibere contendit. Ipſe dolore dentium afflictus cum tumore, poſt varia remedia adhibita, illo perſeverante ſumſit laudani grana tria. [e]) Inde vero ſecutus ſomnus placidus, dolor ſedatus, fluxio cohibita, tumor imminutus eſt. Alio tempore [f]) fœminæ gravidæ tanta odontalgia laboranti, ut inter lachrymas et vigilias ferrum et ignem experta ad deſperationem fere adduceretur, exhibuit laudani grana 4, quibus aſſumtis dormivit, et ſine dolore expergefacta reliquum graviditatis tempus jucunde transegit. Opiatis vero etiam utendum duxit Cel. HOFFMANNVS; [g]) aliis nempe irritis ea, ſed pro ſua ſententia correcta, porringenda eſſe docet. Eaque propter conflatas ex MP. aloephanginarum et de ſtyrace pilulas commendat, cum olim jam [h]) diaſcordium, theriacam cœleſtem, pilulas Wildeg. et matth. collaudaſſet. Tantam vero fiduciam ad leniendam atrocem odontalgiam in Opio ponit THOMSON, [i]) ut præ reliquis doloribus id eam tollere dicat, ex hypotheſi ſua quidem, quia arteria a carotide externa ramum quinti nervorum paris per dentium radices diſtributum comitetur, ſicque in nervos ſubjectos proximiorem et fortiorem exerceat impetum et compreſſionem. Prorſus aliter et quidem recte aſſerit YOUNG: [k]) odontalgia inquiens morbus eſt, quem Opium ſæpe una nocte ſanat; ſed ſæpius fruſtra et ſine effectu ſumitur et interdum plane noxium eſt. Neque hoc mirum, namque certe magis intricatus eſt idem hic morbus, ac primo intuitu aliquis reputaret.

*) *Sect. VI. aph. X.*
**) *Ibid.*
d) *Pr. med. lib. VI. cap. I. p. 236. 237.*
e) *Obſerv. Cent. III. obſ. 34.*
f) *Cent. IV. obſ. 90.*
g) *Med. Syſt. Tom. IV Part. II. Sect. II. c. 9. p. 479.*
h) *Diſſ. de dentibus et eorum morbis p. 31. 32.*
i) *in Diſſertat. p. 122.*
k) *cap. 28.*

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Opium cum diverſo morbi ingenio collatum.

Atque omnino etiam ex mea ſententia, antequam Opium odontalgiæ opportunum vel minus opportunum remedium habeamus, conſiderandum eſt, non eandem ſemper eſſe odontalgiæ faciem. Datur levior quædam odontalgia et tranſitoria, quæ a tranſpiratione, poſt corporis prægreſſam incaleſcentiam ſubito ſuppreſſa, originem ſuam ducit; et hæc eſt illa ſpecies, quæ toties vel ſine Opio, vel modica ejus doſi, per reſtitutam diapnoen curatur. Sed graviores dantur moleſtiſſimi hujus mali cauſæ. Exeſt quandoque dentem caries, quæ, ad nervulos a quibus ejus ſenſibilitas pendet perveniens, eos lancinat et irritat, unde enata triſtis ſenſatio per commercium nervorum longe lateque ſerpit, omneque caput quin corpus totum in conſenſum aliquando trahit. Deinde dentibus etiam integerrimis exiſtentibus, in arteriolis rubris, per eorum exteriora et interiora reptantibus, inflammatio naſci poteſt cum febre et raptu ſanguinis ad caput, juvenibus plethoricis ſatis familiaris, quæ, ſi non ſolvatur ſed in ſuppurationem tendat, ut alia mala, ita et dentis cariem poſt ſe trahere ſolet. Aliquando ſtaſis fit in vaſculis ſero vehendo inſervientibus, atque malum rhevmatiſmi indolem nanciſcitur, in ſubjectis maxime phlegmaticis, ſeroſis, acrique colluvie humorum ſcatentibus, ac catarrhalibus affectubus complicatur. Atque quo magis altius radicatum vitium liquidorum craſis contraxit, quo magis in eorum univerſo oceano ſpecifica quædam acrimonia, ut arthritica, ſcorbutica, venerea etc. dominatur, eo magis in habitum degenerans odontalgia frequenter et acerbe affligit. Ad has multum inter ſe differentes odontalgias, quanquam in omnibus ſatis eminens poſſit adeſſe doloris gradus, attendendum diligenter eſt, antequam medicus feſtinet ad remediorum præſcriptionem, quæ certe promiſcue juvare nequeunt, adque id ipſum et de Opio valere debere certum eſt. Si carie maximam partem exeſus fuerit dens, evulſio

ſane

ſane eſt princeps remedium, tantoque magis hæc ſuadenda erit, quo magis accolas dentes alios inficere poteſt, ut vicina facere ſolent vitia, quin et maxillam ipſam. Si vero dentem ægrum eximere minus conſultum videatur, ut, dum immanes dolores ſæviunt et tumor gingivarum genarumque concurrens adeſt, commode fieri nequit, præter ea, quæ affluxum humorum avocant ſtagnationesque diſcutiunt, remedia in uſum vocanda cariei propria, dentique indenda et admovenda, quæ fere omnia cauteria ſunt actualia et potentialia, vel talia ex auctorum conſilio uſurpanda, quæ ſtuporem inferre apta ſunt. Additur talibus topicis a practicis etiam Opium, quod quousque valeat externo uſu exponam ſuo tempore, quando de uſu Opii topico verba ſum facturus. Quod internum uſum attinet, cum quo jam mihi res eſt, novi bene et hunc laudari communiter; ſed ſi narcoſis ſenſorio communi inducta aliquid præſtet, ceſſante actione remedii exſpirabit lenimen, quod unice certum expectari poteſt deſtructione ſentientium nervulorum in dente; imo vero quandoque etiam ſat magna doſis Opii interne dati nil efficiet, ut ex ſtatim dicendis clarius apparebit.

Quodſi deinceps odontalgiam concipio, a ſola partium ſenſibilium in dentibus neutiquam carioſis inflammatione rubra oriundam, congeſtionis univerſalis ſanguinis ad caput in ſubjectis juvenilibus plethoricis, narium hæmorrhagiæ adſuetis, lautæ et vinoſæ diætæ deditis, excretionum ſolemnium ſanguinearum penuria vel defectu laborantibus, pediſſequam, atque teſte pulſu magno et forti febre ſtipatam: quicquid dicant practici de Opio, ego certe tum id minus convenienter exhiberi crediderim. Sane ægro illi apud RIDLINUM, [a]) qui non niſi ſevera abſtinentia a vino ab odontalgia ſæpe revertente liberari potuit, parum profuiſſet vino analogum Opium, ſed æque ac vinum dolores exaſperaſſet et advocaſſet, ut in hoc caſu ſemper factum eſt. Atque in genere, ut ad nullum alium affectum inflammatorium, ita et ad odontalgiam vere inflammatoriam Opium haud

a) *Lin. med. Anno V. p. 462.*

haud quadrat, et ad hanc multo minus, quam ad inflammationes alias in medio et infimo ventre reſidentes, quia ſpecifica virtute ad caput liquida determinat, adeoque et appulſum ad illas dentis arteriolas, quæ jam inflammatæ ſupponuntur, adauget, ſicque neceſſario dolorem ipſum, qui a ſanguine in apices obſtructos arietante pendet, intendit potius quam minuit. Nihil impedit Thomſoniana ratiocinatio, ut ita ſtatuam; namque ſi a rarefactione ſanguinis atque compreſſione vicinorum nervorum deducatur Opii vis anodyna, in noſtro caſu congeſto et rarefacto ſanguine jam plenæ capitis et dentium arteriæ inhabiles reddere debuiſſent nervos compreſſos ad ſentiendum, antequam Opium, quod etiam congerit et rarefacit, fuiſſet exhibitum. Si vero congeſtio peperit dolorem, major congeſtio certe opem ferre nequit, aut ſtatuendum foret, impetum ad caput qui cauſa doloris eſt eſſe augendum, ut dolorem ſuum effectum fortius queat imminuere, quod ſane ſumere vix licet, cum potius aucto impetu augeri etiam debeat ejus effectus, dolor. Nil video, quod opponi queat, niſi eousque impetum vellemus extendere, ut ultra modum tandem diſtentæ arteriæ omnes externi internique capitis cum illis, quas denti proprias diſtentas ponimus, omnem ſenſum ad paralyſeos et apoplexiæ initia usque ſupprimerent, quod ipſum vero ægrum ex minori malo in majus præcipitem daret. At non ſola ratiocinia opponere volo practicis, ex amore Opii et recepta communi medendi methodo aliter forte ſenſuris, ſed ad præcepta potius illorum chirurgorum provocabo, qui data opera dentium morbos explicarunt. Non dubito inter eos primo nominare Celeb. PLATNERUM, [b]) qui in dentium dolore cauſam conſiderandam eſſe monet, ſique copia ſanguinis peccet, ac membrana dentem cingens inflammata fuerit, venam incidendam, cucurbitulas admovendas, alvum purgantibus antiphlogiſticis ducendam, potiones dilutiſſimas

b) *inſtit. Chir.* §. 1080. 1282.

mas cum nitro dandas, abſtinentiam ſuadendam docet, de Opio ne verbulum adjiciens. Neque etiam Opium pro interno uſu commendat celebris in ſanandis dentium morbis FAVCHARTVS,[c]) in inflammatorio dentium dolore, quem ſine carie adeſſe poſſe docet, ſed VSem ſaltem, diætam juſtam et topica anodyna et reſolventia. Atque recentiſſimus ſcriptor Gallus GERAUDLY,[d]) quem unicum odontiatri privilegio rex inſtruxit, quique bene a carie ſejungit dentium dolorem, ab inflammatione perioſtei et membranæ cavum alveolorum veſtientis, vel nervoſarum partium, quæ radicibus dentium adhærent, natales ſuos ducentem, hunc non niſi VSe, cataplaſmatibus emollientibus, lacte in ore detinendo, internisque remediis cauſæ contrariis oppugnandum dicit, quibus omnibus Opium non adjecit. Ex his vero conſiliis niſi fallor innoteſcit, odontalgiam inflammatoriam ſine Opio ſanari poſſe, feliciusque forte et certius per adductas a me in antecedentibus rationes ſine eo ſanari. Atque ad ejusmodi plethoricum et inflammatorium ſtatum, monente etiam YOUNGIO, evacuationes longe melius quadrant, quam Opium: VSes nempe, ſcarificationes, purgationes antiphlogiſticæ, hirudines, ſinapiſmi, pediluvia etc. Atque talis etiam ſanguinea odontalgia, ſi cum carie concurrat, quando nempe in plethoricis præexiſtens a carie dolor orgaſtici ſanguinis ſuetum forte affluxum allicit et invitat, melius tractatur meo judicio methodo medendi antiphlogiſtica et topicis convenientibus, quam Opio. Inter caſus, quos Illuſtr. HOFFMANNVS[e]) in Medicina ſyſtematica capiti de odontalgia ſubjunxit, mentio injicitur fœminæ 30 annorum, menſium defectu laborantis, quæ dolore circa nucham, parotide cum tota regione dextræ maxillæ inflata et rubente, doloreque intenſiſſimo dentis carioſi ejus lateris vexata fuit, pulſu ſimul exiſtente febrili et arteriis circa tempora fortiter pulſantibus. Data fuit, neſcio an ex conſilio

celeb.

c) *Chirurg. dentiſte edit. Germ. p. 119. 120.*

d) *de dentium morbis edit. Germ. p. 27. 28. 29.*

e) *Tom. IV. Part. II. p. 485. 486.*

celeb. viri, mixtura ex liquore anodyno, camphora et laudano, nuchæque et capiti epithema valde ſpirituoſum cum camphora et Opio fuit applicatum. Miror vero ego valde, ſolamen potuiſſe inſequi, licet mitigato demum dolore daretur purgans, VS. prorſus negligeretur, nullumque præſcriberetur antiphlogiſticum, ptiſana excepta. Verum et non ab omni parte felix fuit medela; namque adnexa leguntur verba: utut dolores ex parte remiſerint, remanſiſſe tamen in gingiva circa dentis ſedem fixum cruciatum, cum inſigni inflatione et rubedine, qui ad aliquot menſes durabat. Malui in talibus caſibus ſequi conſilium FAVCHARTI, atque equidem applicare carioſo denti ſua remedia, topicaque emollientia genis, ſed ſimul recurrere ad VSem et purgantia alvum, quæ illo monitore nunquam omittenda ſunt, maxime in plethoricis; atque hoc ita præſtitiſſe me nunquam pœnituit.

Quodſi vero ejusmodi odontalgia carioſa vel inflammatoria, vel utraque ſimul, adfligens et ad ſummum gradum evecta poſtulare videatur Opium, medicusque fautor ac æger vigilans et querens ſine eo eſſe nolit, ſaltem ante ejus uſum evacuationes et revulſiones præmiſiſſe ſanguinemque diluiſſe ſumme neceſſarium erit; aliter enim certo certius, maxime in ſucciplenis corporibus, malum congeſtionem aucturo Opio magis exaſperabitur, quam delinietur, aliaque conſectaria ab impetu ſanguinis ad caput invitabuntur, quæ miſſo narcotico pharmaco eventura haud fuiſſent. Sane RIVERIVS [f]) ſupra laudatus, quando laudanum commendat, non oblitus eſt adjicere, id tuto exhiberi poſſe poſt remedia univerſalia; atque cum ipſe odontalgia cum tumore ſupra mandibulam inflammatorio laboraret, poſt VSem demum ad laudanum confugit. [g]) Juveni 20 annorum gravi dolore dentium correpto dedit Cl. HEI-STE-

f) *Operum p. 237.*

g) *Obſervat. Cent. III. obſ. 34.*

h) *Obſervat. Med. Chir. 166.* STERVS[h]) pulveres nitratos cum laudano, ſed præmiſit largam VSem in pede, quam, licet communiter neglectam, ſumme tamen neceſſariam et utilem in plethoricis maxime exiſtere monet. Quam parum poſſit Opium ſine illa, didici aliquando ſatis evidenter. Fœmina obeſa plethorica menſes parciores habens, ſaltans et corpus exæſtuans tempore brumali in conclavi haud calefacto, contraxerat atrociſſimam odontalgiam. Altera die convivio intereſſe exoptans, extorquet a me anodynum. Perdurat dolor; ſequenti die ſumit pulveres ſalinos alvi lubricitatem inferentes; cubitum itura iterum capit anodynum, ſed ſine fructu ullo; tandem VSe protinus a malo liberatur. Quantum vero valeat vel ſola VS. larga, docet obſervatio THONERI,[i]) fœminam plethoricam ſiſtens, quæ largiſſima detractione ſanguinis in pede, ad animi deliquium usque, ab exquiſitiſſima odontalgia ſtatim liberata eſt; et alia virginem plebejam memorans, quæ ſcarificatione et cucurbitularum applicatione in ſcapulis, cervice et ſupra utrumque cubitum, irritis aliis ab immani cruciatu vindicabatur. Memorabilis quoque eſt annotatio RIVERII,[k]) quando ſi VS. indicatur largam ſanguinis evacuationem frequentiſſima experientia in ondotalgia promptiſſimum remedium ſe expertum eſſe refert. Confirmant hoc aſſertum odontalgiæ multæ, ex neglecta ſueta VSe evenientes, qualem habet HOFFMANNVS,[l]) atque aliquoties per annum adminiſtrata præcavendæ. Refert vir clariſſimus odontalgiam ad rhevmatiſmos. Quando itaque illam conſidero ut rhevmatiſmum inflammatorium, tum facile mecum in ſanatione convenient perpendentes ea, quæ antea de rhevmatiſmo inflammatorio et Opii noxa in eodem, variorum auctorum ſententiis firmatus, ediſſerui.

i) *lib. II. cap. de Odontalgia obſ. V et VI.*

k) *Operum in fol. p. 236.*

l) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. cap. de rhevmatiſmo odontalgico obſ. V.*

Sed datur adhuc odontalgia rhevmatica a ſero viſcido lentoque, aut acrimonia ſpecifica imbuto, deducenda, ſine orga-

orgaſmo, ſine pulſu aucto adfligens et vagis motubus febrilibus ſaltem ſtipata, pituitoſis, cacochymicis, cachecticis, ſolemnis. Huic per auctorum celebrium teſtimonia, quibus experientia ſuffragatur, purgationes mercuriales conveniunt. Ita diu durantem talem odontalgiam, jalappa et mercurio dulci cito curatam, habet RIDLINVS.[m]) Si iisdem malum non cedat, ad decocta reſolventia ſudorifera, errhina et veſicatoria maxime conveniendum, quæ pone aures applicata modo citatus RIDLINVS[n]) fere nunquam fruſtranea eſſe dicit. His pharmacis jungere Opiata ego quidem nullus dubitarem, quanquam id non adeo ſolemne ſit practicis, quæ tamen in frigido rhevmatiſmo cum aliis calefacientibus non permitti ſaltem, ſed vere commendari debent. Probe memini, me ſubjectis, non in juvenili ætate verſantibus nec activa indole præditis, quibus circulus nulla velocitate peccabat, ſed potius intendi debebat, poſt molem humorum minutam per purgantia appropriata, veſperi dediſſe theriacam magno cum fructu. Legi dein cum voluptate, SCHVLTZIVM[o]) talem odontalgiam ſæpe repetentem curandam velle purgantibus fortioribus et Opio.

m) *Lin. med. An. II. Novembr. obſ. 14.*

n) *Lin. med. 1695. Jan. obſ. 14.*

o) *Diſſ. de purgatione copioſa et nimia §. 15.*

Odontalgia a ſero acrimonia ſui generis arthritica, ſcorbutica, quin et venerea laborante, non tollitur radicitus, niſi juſtæ humorum correctioni fuerit ſatisfactum. In genere autem tenendum eſt, quod bene animadvertit YOUNG, odontalgiæ cauſas et medendi eidem methodos adeo varias eſſe, adeo fallaces, ut ſæpe cogitaverit, nullum morbum magis mereri, ut ſcandalum medicorum audiat, quam odontalgiam; planam et perſpicuam eſſe ejus theoriam, ſi in ullo alio morbo; omnia phænomena in ſenſus incurrere; experientias eſſe frequentiſſimas; et tamen illum adeo ſæpe a medicaſtro

caſu fortuito ſanari, quam a medico ſecundum omnes regulas artis.

§. XL.

Otalgia. Poſt conſideratam Odontalgiam, jam et otalgia, quæ membranæ nervoſæ meatum auditorium arcte ambientis rhevmatiſmum frigidum vel calidum involvit, atque dum hic obtinet, in vera inflammatione non raro in ſuppurationem abeunte fundatur, ſilentio haud prætereunda eſt. Gravisſimus ſæpe hic dolor eſt, teſtibusque auctoribus febrem, agrypniam, deliria, convulſiones proritare aptus. Variis itaque remediis indiget, ſed pro efficaciſſimo leniente a plurimis ſcriptorum Opium declaratur. Ipſe HOFFMANNUS[a]) id rite correctum in pilulis Starkey, Wildeganſii, et de ſtyrace, laudat, laudanum liquidum Syd. et Helmontii ſimul adjungens. Atque qui de morbis aurium ex inſtituto egit, Cel. DUVERNEI,[b]) doloribus immaniter affligentibus externe et interne uſurpanda narcotica commendat. Interim Cel. de GORTER[c]) aurem interne ex inflammatione dolentem, quæ periculum portendat, leniri dicit hæmorrhagia et phlebotomia, et poſtea puris evacuatione ſequente, per applicationem mollium antiphlogiſticorum et ductionem alvi, ex catarrho et adfluxu humoris tenuis et acris molli lavamento, et materia aliorſum determinanda veſicatoriis, cucurbitulis et alvum moventibus. Nihil prorſus de Opio in auxilium vocando legitur. Poteram hic multas animadverſiones adſcribere, atque varia commentari, quanta circumſpectione dolori a calore et inflammatione enato Opium opponi debeat, quod non niſi evacuantibus præmiſſis locum, ſi habeat, habere poteſt. Ego in curatione otalgiæ ſemper ab Opio abſtinui, cum, quod ex aliena experientia didici, mediocres doſes nullum levamen adferant,

a) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. Sect. II cap. X. p. 492.*

b) *in Tractatu de Auditus Organo Part. III §. 22. 28.*

c) *in Syſtem. Pr. medicæ §. 294.*

rant, majores autem ſenſorium commune ſtupidum reddendo mala accerſant, gravia interdum, quæ ſine hoc remedio adhibito non acceſſiſſent. Ab evacuantibus, revellentibus, fotubusque tepidis emollientibus, talibusque injectionibus lenibus in meatum auditorium, ſemper lenimen, et horum decente continuatione, ſanationem obtinui. De his vero fuſius exponere jam meum non eſt; de Opii uſu topico in otalgia agam ſuo loco. Doleo vero, dum jam tractationem de doloribus finio, me hactenus impetrare non potuiſſe Cl. LOBB librum *de morbis dolorificis*, quæque de Opii in iis adhibitione egregio viro ſit ſententia, me adhuc ignorare.